H. XXV
17/m

51546

CAESARIS MAGATI
SCANDIANENSIS,
IN ALMO FERRARIENSI GYMNASIO
Medic. Doctoris & Profeſſoris Celeberrimi
DE
RARA MEDICATIONE VULNERUM
Seu de Vulneribus Raro tractandis
LIBER SECUNDUS
IN QVO NOVA TRADITVR METHODVS
Ad
Vulnera Particularia totius corporis citò, tutò, & jucundè perſananda,
CUI JUNCTA EST APPENDIX
De Vulneribus tormento bellico inflictis.
Cum triplici Indice Capitum, Quæſtionum, & Rerum omnium memorabilium
QUOD OPUS EX AUCTORIS SCHEDIS MULTO AUCTIUS, ET EMENDATIUS EXIT.

Veneunt in Nund. Franc. Lipſ. & Amſtel. apud JOH. P. SCHMIDT.
MDCCXXXIII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

INDEX CAPITVM SECUNDI LIBRI.

De Rara Medicatione Vulnerum, in quo de vulneribus in ſpecie pertractatur.

	PRæfatio.	pag. 1
Cap. 1	De Vulneribus partium carnoſarum	5
Cap. 2	De nervorum, ac tendinum Vulneribus, atque de nervi punctura.	8
Cap. 3	De curatione Vulnerum nervorum.	20
Cap. 4	De Vulnere cum nervi contuſione, atque diſruptione fibrarum, & de nervi contuſione absque cutis diſruptione.	47
Cap. 5	De Vulneribus cum oſſis fractura.	49
Cap. 6	De curatione Vulneris cum oſſis fractura.	60
Cap. 7	Quid agendum ſi oſſa penitus reponi non poſſint, vel adſit oſſis portio pungens carnes.	99
Cap. 8	De curatione Vulneris cum oſſe ſecundum totam ejus craſſitiem fracto, ſed à ſua ſede non emoto.	100
Cap. 9	De Vulneribus venenatis.	102
Cap. 10	De curatione Vulnerum venenatorum.	103
Cap. 11	De capitis Vulneribus, & primo de eorum differentiis.	111
Cap. 12	De ſignis fracti cranii.	126
Cap. 13	De aliis fracti cranii indiciis.	151
Cap. 14	De ſignis contuſionis.	153
Cap. 15	De ſignis rimæ extra vulneratam partem exiſtentis	157
Cap. 16	De ſignis contuſionis ſuturarum non in loco Vulnerato.	159
Cap. 17	De ſignis rimæ in interna parte cranii loci vulnerati.	161
Cap. 18	De ſignis fracturæ cranii ſecundum totam ſubſtantiam.	ibid.
Cap. 19	De ſignis læſionis membranæ.	163
Cap. 20	De ſignis concuſſi, & commoti cerebri.	176

Cap. 21 De ſignis vaſis fracti ſub oſſe, & effuſi ſanguinis aut inter cranium, & duram meningem, aut inter utramque membranam, aut in cerebri ſubſtantia, ſeu plexu choroide. Nec non & de ſignis alicujus ex ligamentis, quibus dura meninx alligatur cranio, vel alicujus nervi ſenſus diſrupti. 168
Cap. 22 A quibus cauſis proveniant ſymptomata, quæ fracturas cranii comitari ſolent. 173
Cap. 23 De præſagiis in Vulneribus capitis. 179
Cap. 24 Cur vulnerato capite ſequatur oppoſitæ partis convulſio, aut reſolutio. 206
Cap. 25 De univerſali curatione vulnerum capitis. 214
Cap. 26 De curatione ſimplicis Vulneris capitis absque oſſis denudatione. 217
Cap. 27 De Vulnere muſculi temporalis. 221
Cap. 28 De curatione Vulnerum capitis cum deperditione ſubſtantiæ absque oſſis læſione & denudatione. 222
Cap. 29 De curatione Vulnerum capitis cum oſſis denudatione. 224
Cap. 30 De curatione Vulnerum capitis cum oſſis fractura in genere. 230
Cap. 31 De Vulnere capitis cum rima in oſſe. 234
Cap. 32 De curatione Vulnerum capitis cum ſede teli. 242
Cap. 33 De curatione Vulnerum capitis cum oſſis contuſione. 244
Cap. 34 De ſimplici introcesſione. 246
Cap. 35 De curatione Vulnerum capitis cum altera introcesſione. ibid.
Cap. 36 De ſubſtantiæ oſſis defectu. 250
Cap. 37 De osſis fractura in parte interna, & in alia parte à vulnerata. 251
Cap. 38 De materia ſub cranio contenta. 252
Cap. 39 De inſtrumentis quibus utimur ad osſis exciſionem & qua ratione os ſit detrahendum. 254
Cap. 40 Solvuntur nonnullæ dubitationes circa oſſis exciſionem. 272
Cap. 41 Num fracturæ cranii curari poſſint absque abraſione & terebratione. 279
Cap. 42 Quid agendum poſt perforationem, detectaque membrana. 294
Cap. 43 Quæ ratio habenda ſit detectæ membranæ, ſi labem aliquam contraxerit. 301
Cap. 44 De receſſu membranæ à proprio loco. 307
Cap. 45 De membranæ vitiis, quæ poſt perforationem ſuperveniunt. 311
Cap. 46 De craſſa tenuique meninge ac cerebro ſauciato curando. 312

Cap. 47

Cap. 47 De ſanguinis fluxu ex membranis. 314
Cap. 48 Quomodo ſit conſervandum os. 315
Cap. 49 De oſſe denigrato, aut aliter vitiato. 319
Cap. 50 De fractura oſſis integra cute, & de cerebri concuſſione. 321
Cap. 51 De deligandi ratione, & ſitu eligendo in Vulneribus capitis. 326
Cap. 52 De Vulneris ſtatu cognoſcendo absque detectione. 329
Cap. 53 De ratione victus inſtituenda in capitis Vulneribus. 330
Cap. 54 De Aere. 334.
Cap. 55 De reliquis rebus non naturalibus. 336
Cap. 56 De quibuſdam annexis. 338
Cap. 57 De ſanguinis miſſione. ibid.
Cap. 58 De purgatione. 342
Cap. 59 De reliquis revulſionum generibus. 354
Cap. 60 De alterantibus. 356
Cap. 61 De oculorum, & palpebrarum Vulneribus. ibid.
Cap. 62 De Vulneribus genarum. 362
Cap. 63 De vulneribus narium. 366
Cap. 64 De linguæ Vulneribus. 367
Cap. 65 De Vulneribus cervicis, & juguli. 368
Cap. 66 De curatione Vulneris ſpinalis medullæ. 371
Cap. 67 De curatione Vulneris trachææ arteriæ, Oeſophagi, & gulæ. 373
Cap. 68 De Vulneribus thoracis. 377
Cap. 69 Prognoſtica Vulnerum thoracis. 382
Cap. 70 De curatione Vulnerum thoracis. 386
Cap. 71 De Vulneribus abdominis. 402
Cap. 72 De curatione Vulnerum abdominis. 411
Cap. 73 De Vulneribus articulorum. 430
Cap. 74 De curatione Vulnerum articulorum ſine luxatione. 435
Cap. 75 De inflammatione præſtantiorum partium Vulnera conſequente. 438
Cap. 76 De præſagiis. 443
Cap. 77 De curatione harum inflammationum. 447

CAPITA APPENDICIS DE VULNERIBUS

Bellico fulmine illatis.

PRæfatio ſcribendi occaſionem continet. 465
Cap. 1 Num ambuſta & venenata ſint Vulnera ſclopo inflicta. 466
Cap. 2 Quod hæc Vulnera non ſint venenata. 480
Cap. 3 De generali curatione Vulnerum ſclopo inflictorum. 490
Cap. 4 Quid primo agendum, & quid deinceps in curatione horum Vulnerum. 492
Epilogus ad Lectorem.

INDEX QUÆSTIONUM

QUÆ IN HOC SECUNDO LIBRO De Rara Medicatione Vulnerum deciduntur.

Quæſtio 1. Utrum nervi facti ſint ex humida ſubſtantia, quam congelavit frigus. pag. 15
2. Utrum in Vulneribus cum oſſis fractura ita ſit deligandum, ut vulnus detectum maneat. 69
3. Cur vulnerato capite ſequatur oppoſitæ partis convulſio, aut reſolutio. 206
4. Utrum unica terebratio ſufficiat in omnibus calvariæ fracturis. 288
5. Utrum in læſione ſuturarum ſatis os perforare altera ex parte ſuturæ. ibid.
6. Utrum in oſſis perforatione conſumendum ſit triduum. 276
7. Utrum calvariæ fracturæ curari poſſint absque abraſione, & perforatione. 279

8. Utrum

8. Utrum materia ſub oſſe collecta poſſit medicamentis extrinſecus adhibitis evocari· 288
9. Utrum pulveres, cephalici dicti, ſint neceſſarii pro conſervatione oſſis. 316
10. Utrum detecta membrana lenienti ratione, an exſiccante ſit utendum. 294
11. Utrum purgatio conveniat in Vulneribus capitis. 342
12. Utrum luxati articuli cum vulnere reponi debeant. 434
13. Utrum in Vulnere cubiti recta figura brachii ſit ſervanda. 436
14. Num ambuſta ſint Vulnera bellico fulmine inflicta. 466
15. Num venenata ſint Vulnera bellico fulmine inflicta. 480

QUÆSTIONES TRACTATUS JOANNIS BAPTISTÆ MAGATI

De rara Vulnerum curatione contra Sennertum.

Apparatus ad quæſtiones de vulnerum curatione. pag. 497
Quæſt. 1. *Utrum melius ſit vulnera quotidie ſolvere, & procurare, an pluribus interjectis diebus.* 500
Conſideratio 1. Malè propoſitam fuiſſe a Sennerto Septalii, & Magati curandi rationem. 548
2 Dilvuntur Sennerti objecta. 555
3 Defenduntur fundamenta novæ Methodi contra Sennerti objecta, ejuſque reſponſiones ad rationes Magati rejiciuntur. 563
4 Proponuntur reſponſiones Sennerti ad ea, quæ Magatus, & Septalius communi modo objiciunt, & impugnantur: defenduntur que reſponſiones Magati ad rationes, quibus ſtabilitur antiquus modus. 573

5 Utrum

5 Uttum Galenus re vera prætermiſerit indicationem, quam præſtat naturalis caloris læſio, & an obſervatio hujuſce indicationis novum conſtituere poſſit curandi vulnera modum. 588

6 Raram ſolutionem adhibitam fuiſſe à Magato etiam ulceribus, & quibus medicamentis ipſe uteretur in ulceribus, oſtenditurque antiquos rarò ſolviſſe ulcera, & proinde non eſſe abſurdum, ſi & vulnera rarò ſolvantur. 600

7 Raram ſolutionem à Magato uſurpatam eſſe etiam in Sinibus poſt diſruptos abſceſſus relictis, oſtenditurque, & Galenum rarò ſolviſſe ſinus: quàm etiam efficax ſit curatio ſympathica declaratur exemplo ſympathicæ curationis, quæ hodie maximo cum fructu adhibetur à quibusdam morbis articularibus, & propterea non eſſe damnandam ſympathicam vulnerum curationem Magati, & Septalii. 611

Quæſt. 2. *Vtrum Turundarum, & penicillorum uſus in curatione vulnerum ſit neceſſarius.* 624

Conſideratio unica. Quem locum habeant Turundæ, & penicilli in curatione vulnerum, oſtenditurque exemplo curationis, quæ adhibebatur ab Apparitio Vaſconio vulneribus non eſſe abſurdum ablegare turundas in curatione vulnerum immo utiliter rejici, diluunturque Sennerti objecta, 638

INDEX

CÆSARIS MAGATI
DE RARA MEDICATIONE VVLNERVM
LIBER SECVNDVS.

VEREOR, ne mihi ſuccenſeant, & vertant vitio noſtri temporis Chirurgi, & appellati Phyſici, ægrè ferentes, quæ ad totius procurationem attinent, atque ad affectus occaſione vulneris in partibus internis genitos, me fuſius, quam Chirurgum deceat, pertractaſſe, quaſi illorum tranſcenderim limites, horum verò munus mihimet aſſumpſerim. Iam enim in more poſitum eſt, vt Chirurgi tractent vulnera, totum verò, & latentes affectus procurent Phyſici. Et qui ſecus faciunt, in alienam meſſem falcem immittere iudicantur. Rebus tamen vulnerati mihi potiùs duxi conſulendum, quam huiuſce criminationis habendam rationem. Neque accuſantes timebo, patronos habens Hippocratem, & Galenum, Celſum, Aetium, Paulum, Auicennam, Rhaſem, & alios antiquos ſapientes, quorum veſtigia ſum perſecutus.

Cæterum inter infortunia, quæ poſt primos illos dies experta eſt medicina, collocari neque in poſtremo loco meritò poteſt diſtinctio hæc Chirurgi à Phyſico, quæ nec ratione aliqua nititur, nec auctoritate, exemploque maiorum facta eſt, neque ſalutem ægrotantis primùm reſpicit. Qua ratione diſiunctionem hanc excogitauerint poſteriores, ex hoc vno licet intelligere, quod nec, quæ ſint propriæ Chirurgi partes, quive ſint eius termini, ſatis rectè præfinierunt. Tres quidem eſſe Curatricis medicinæ partes, ſcilicet διαιτητικὴν, quæ victu medetur, φαρμακευτικὴν, quæ medicamentis, & χειρουργικὴν, quæ manuali opere, & ab antiquis, & a recentioribus receptum eſt: Et proindè Chirurgi munus eſſet, cum à tertia illa medicinæ parte ſit dictus, manuali opere ægrotantibus opitulari, & proindè ſecare, vrere, luxata membra reducere, fracturas componere, terebrare, & id genus ſexcenta, reliqua verò ad Phyſicum pertinerent, cuius eſt naturæ vires conſiderare, quod reſpiciens Celſus in ſeptimo, & octauo libro ſuæ Medicinæ, in quibus partem Chirurgicam explicare profitetur, ſolas manuales operationes complexus eſt: idem fecit Paulus libro ſexto. At Chirurgi noſtri hæc quidem non prætermittunt, ſed præterea, & medicamentorum, quibus externis affectibus medeantur, conſiderationem ſibi vendicant; hinc vnguenta conficiunt, olea, cerata, cataplaſmata, pulueres, & alia permulta ad vulnera, vlcera, tumores, & eiuſcemodi affectus, quæ ad ſecundam illam medicinæ partem, quæ medicamentis curat, ſpectare, nullus ſanæ mentis inficiabitur. Porrò ad reliquas partes medicinæ ſe habent, ſicuti aſini ad lyram; quocirca illis prorſus incognita eſt natura corporis, cum tamen penes eam diiudicanda ſit medicamentorum facultas. Diſiunxerunt igitur, quæ nulla ratione poſſunt ſeparari. Quo verò exemplo id fecerint, adhuc me latet. Nam ſi Hippocratem, Galenum, Celſum, & alios præcipuos Græcos, Latinoſque Medicos, immò & clariores Arabes euoluamus, eos non magis

gis hanc, quàm illam partem elaboraſſe comperiemus. Vt videantur poſteriores ſolo fumoſo quodam faſtu diuortium hoc excogitaſſe, quaſi manualis operatio de eorum dignitate nonnihil detraheret, nec ſat honeſtus fuerit Princeps medicinæ Hippocrates, qui tamen Regem Perſarum contempſit; aut non magis ſint laudandi, qui plura cognoſcunt. Vtinam ſalutem ægrotantis propoſitam habuiſſent, vel ſaltem eorum inuentum nihil ægrotanti officeret.

At ſi rem diligenter inſpiciamus, & æqua, vt aiunt, trutina ponderemus, non leuia ob id ægrotanti acceſſiſſe incommoda, nec paruam in medicina facienda confuſionem ortam, vel inuiti fatebimur. Vndenam quæſo quale medicamentum ſit expugnando affectui accommodatum, ſi reliquas medicæ artis partes non attigerunt, dimetientur? Nihil eſt autem, cur experientiam adducant, conſtat enim neque hanc poſſe omni naturæ conueniens pharmacum inuenire. Saltem diſtinguerent, vt antiqui Empyrici, molles carnes à duris, agreſtes ab vrbanis, à viris mulieres, à ſenibus pueros, & concurſum ſymptomatum intelligerent. Verùm nullo habito diſcrimine æquè omnes tractant; ad omnem pedem eundem calceum habilem eſſe, & aptum exiſtimant. Nec longè meliora expectari ab iis poſſunt, qui Phyſici dicuntur, vt qui in externis affectibus parum ſunt uerſati, medicamentorumque effectus non obſeruant, morborum proceſſus, atque immutationes non animaduertunt, paruam habent excrementorum notitiam, & eorum tandem, quæ à libris ſine quotidiana experientia elici nequeunt, tanquam hæc alterius ſint negotii: ideoque eiuſmodi omnia expendit Chirurgus, qui nec Grammaticen didicit, & nullius omninò eſt coloris. Quapropter ſi affectus quiſpiam ſuperueniat, æquè hæret Phyſicus, ac Chirurgus, mirum autem videri minimè debet, poſtea quam vtramque medicinam neceſſe eſt excoluerit, qui hac ſigna, illa verò ſignatum vult diiudicare. Habet quidem Chirurgus quæ antecedant,

quæ conſequantur Phyſicus, at qui inferat nullus eſt. Quoties vidi ego hæſitare alioqui peritiſſimos Phyſicos, num febris, quę, vulnerato ſuperuenerat, referenda eſſet in apparatum morbificum, an potius in inflammationem ſubſequutam, vel in puris generationem, aut animi, vel corporis motum: qui ſi vtramque medicinam profeſſi eſſent, nullo negotio rem ipſam fuiſſent aſſequuti. Quantum autem momentum hoc habeat ad vulnerati ſalutem, nemo eſt, qui ignoret.

Et quoniam vno inconuenienti dato, multa contingunt, volunt non pauci, vt Chirurgus de tempore exhibendi pharmaci eos ad moneat, quaſi facilius ſit, & magis Chirurgi ſit partes cognoſcere, an dandum ſit pharmacum, quam ipſius medicamenti formam definire. Vndenam Chirurgus hoc habebit? qui nec cuius gratia exhibendum ſit pharmacum, exploratum habet, nec qui ſint affectus pharmacum deſiderantes, notas ignorat boni, maliue ſucci, & omnino corporis ſtatum, & ipſam curandi rationem, quidque primò, quidue ſecundò, aut tertiò, ſiue quid ante quod, quid cum quo, & quid poſt quod ſit agendum, & alia permulta, quæ ad præſcribendum pharmacum ſunt neceſſaria.

Acceſſit aliud incommodum, quòd etſi hæc rudis, indigeſtaque moles, operarii, inquam, iſti ne quidem viderint oleum, non pauci tamen, ita eos ambitio obcæcat, ne inferiores habeantur, quàm alii, Phyſici titulum, & perſonam ſibi vendicant, congeſtaſque habent hinc, & illinc varias medicamentorum formulas ad expurgandum corpus, atque ad varios internos affectus, & illis, cum ſeſe offert occaſio, ſine vllo delectu vtuntur, quanta cum ægrotantis vtilitate, ipſi viderint. De hoc abuſu ſatis: longior enim fierem, ſi mala omnia, quæ ex hac diuiſione orta ſunt, vellem recenſere.

Sed demus, Chirurgum, quæ ſua ſunt, præſtare, & itidem Phyſicum, nemini tamen dubium eſt, quin longè melius ęgrotanti conſulturus ſit vnus tantùm, qui in vtra-

que

que Medicina ſit verſatus, quam duo, quorum vnus Chirurgicæ tantum, alter verò Phyſicæ parti ſtuduerit: cum obſeruatio quotidiana eum doceat, quod ſimplici Chirurgo, ac ſimplici Phyſico nunquam oſtendet. Vt ob id perfectus Chirurgus, aut Phyſicus eſſe nequeat, qui non vtramque habuerit. Si igitur disiunctio hæc neque rationi eſt conſentiens, nequeanti quos ſapientes auctores habet, nec ægrotanti quicquam prodeſt, patiantur libenter, vt qui in hanc non minus, quam in illam incumbunt, quæ vulneratis magis vtilia nouerunt, poſſint copioſiús diſſerere. Sed ad rem noſtram redeamus.

CAPUT I.

De Vulneribus partium carnoſarum.

HActenus vulnerum procurationem in vniuerſali ſumus proſeqnuti, & quamuis, quod vniuerſaliter dictum eſt, forſan aliquibus ſufficeret, quoniam iis, qui perſpicaci ſunt ingenio, ſatis eſt innuiſſe, attamen quia non omnibus datum eſt ire Corinthum, propterea præiactam doctrinam ad partium vulnera applicare decreuimus; immo tanti momenti eſt indicatio, quæ à parte affecta deſumitur, vt de hac peculiariter meminiſſe neceſſarium videatur, ſi integra doctrina ſit tradenda, nam ſi quis indicationem dicebat Gal. 3. Meth. 19. quæ à partibus ipſis præſtatur, detraxerit, nihil prohibet, quo minus medicinam non ſex menſibus, ſed ſex diebus perdiſcas. Principium autem ſumemus ab ipſis ſimilaribus partibus, vt quæ priores ſunt, & fundamenta organicarum. Quæ quidem vulnera carnoſæ parti infliguntur, nullam habent peculiarem prouidentiam, ſed penitus tractanda, vt in vniuerſalibus dictum eſt.

Itaque oblato huiuſmodi vulnere, niſi tantùm ſanguinis effluxerit, quantum expedire videtur, vt ex hoc vulnus reddatur ſiccius & ſubtrahatur fluxionis materia, & occaſio, permittendum, vt exeat, dein ſupprimere con- *Curatio ſimplicis vulneris.*

ueniet, facilè autem hoc aſſequemur, ſupponimus enim nullum vas inſigne cōnuulneratum fuiſſe; dein ſi vulnus fuerit ſimplex, eo curiosè emundato, ne quid intra labia contineatur, adducenda labia ad mutuum contactum aliquo ex iis modis, quos in vniuerſalibus propoſuimus, applicandumque aliquod ex medicamentis agglutinantibus, de quibus ibidem mentionem fecimus, tegumentumque parandum ex linteis, vel molli lana, aut cotone, quod calorem naturalem fouere poſſit, & ab externis iniuriis defendere, congruoque ſitu collocata parte, non eſt detegendum vulnus uſque ad perfectam ſanationem. Pauca autem ſunt vulnera ſimplicia, quæ intra quartam, niſi erratum fuerit, non coeant. Neque hæc vulnera tenuem illum victum expoſcunt, ſed oua ſorbilia, & caro pulli, aut vituli, & hædi, & auium paruarum concedi poſſunt, à vino tamen abſtinendum, vtpotè quod fluxionem valdè commoueat. In quiete pariter continendus eſt vulneratus, & alui excrementa ſi non ſpontè excernantur, arte procuranda eſt ipſorum excretio. Quod ad reliqua præſidia, quibus fluxio prohiberi conſueuit, tractandus eſt vulneratus, vt in vniuerſalibus dictum eſt. Peculiariter tamen monebo, quod ad ſanguinis miſſionem attinet, modicam ſanguinis miſſionem ſatis eſſe, niſi plethoricum fuerit corpus, nam & occaſiones fluxionis in hiſce vulneribus ſunt imbecillæ. Pariter niſi corpus fuerit valdè cacochymum, non erit neceſſarium exhibere purgans pharmacum, verum ſat erit clyſtere vti, qui acris immittendus erit, ſi cacoclymum fuerit corpus. Denique diligenter conſiderandum eſt, quantum ſit fluxionis periculum, nam pro maiori, vel minori periculo, maiora vel minora preſidia ſunt vſurpanda.

Curatio vulneris caui. Si autem cauum fuerit vulnus, & labia fuerint valdè diſtantia, vt in primo libro dictum eſt, ſecundùm aliquam partem ſunt adducenda; in primis tamen videndum eſt, num generanda materia idoneum effluxum ſit habitura, atque ſi ſic admoto ipſis labiis aliquo medicamento, quod

quod calorem naturalem fouere, ac roborare ualeat, ita vt eius portio ad fundum uulneris percolare poſſit, ſuper impoſitoque linteo, quod idem medicamentum habeat, parandum ex linteis, uel aliqua alia re tegumentum idoneum, deligationeque conuenienti adhibita, pars congruo ſitu collocanda, itaque ſinendum uulnus, donec carne fuerit repletum, vt in primo libro diximus, quod in grauioribus uulneribus intra decimam quartam ſolet contingere, in leuioribus uerò circa ſeptimam. Hìc quoniam fluxionis periculum eſt maius, licebit uberius ſanguinem mittere, & purgans exhibere, vt ſubtrahatur materia fluxionis, & excrementorum. Conueniunt etiam repellentia ad partem affectam. Victus quoque tenuior conuenit, hoc eſt minus plenus, quam in ſimplicibus uulneribus.

Qua ratione paretur effluxus.

Si generandæ materiæ non pateat exitus, nec ex quauis membri figuratione, ex eiuſdem, uel contrarii loci diuiſione, uel ex totius cauitatis diſſectione parare effluxum oportebit. Quando autem hoc, aut illud agendum ſit, conditio, & natura partis affectæ, nec non & cauitatis quantitas demonſtrabit: nam ſi parua ſit cauitas, tota ſecari poterit, niſi loca ſectionem periculoſam faciant. Hoc enim in caſu ſat erit ortificium amplius reddere tum ſectione, tum immiſſione turundæ, quemadmodum alias dictum eſt, niſi cauitatis modus, & conditio partis potius ſuadeant ex contraria parte ſectione facta exitum moliri; at ſi cauitas longius excurrat, & ad penitiores partes penetret, tota citra periculum ſecari non poteſt, ſed ex contraria parte potius parandus effluxus. Vnde Galen. 5. Meth. 10. Eius igitur, cui effluxus patet, eadem, quæ aliorum, curatio eſt, cui non eſt, huic ipſi moliamur effluxum quemdam oportet. Eius duplex ratio eſt, alias tota cauitate diſſecta, alias in fundo tantum aperta. Quando verò harum alterutra ſit ineunda, docebit tum locorum ipſorum natura, tum verò uulneris, ſeu vlceris magnitudo. Si etenim & loca ipſa periculoſam ſectionem faciant,

ant, & uulnus magnum fuerit, in fundo aperire magis expedit. Sin contra ſe habeant, præſcindere præſtat, quando uulnus carne repletum eſſe coniectamus, vel parum abeſſe, quin ſit repletum, ſoluendum uulnus, & aliquod ex cicatrizantibus oponendum, & quarta quaque die ſoluendum uulnus, & immutandum medicamentum, quoad cicatrix fuerit inducta. Si fortaſſe uulnus detegentes, comperiamus carnem ſupercreuiſſe, aliquo cathærretico abſumenda, puta alumine combuſto, aut præcipitato, dein cicatrix inducenda. De vulneribus venarum, & arteriarum non eſt, quòd peculiarem inſtituamus ſermonem, id enim, quod in ipſis negotium faceſſit, eſt ſanguinis profluuium, de quo in primo libro ſatis diffusè.

CAPUT II.

De Neruorum, ac Tendinum vulneribus; atque de nerui punctura.

QVamuis in re medica tanti ſit momenti dignitas, & natura partis, vt dempta indicatione, quæ ab ea deſumitur, Ars medica, teſte ipſo Galeno, non ſex menſibus, ſed ſex diebus addiſci poſſit in re tamen vulnerum habere quid peculiaris deprehenditur, vt vel admirari liceat, quod manifeſtè oſtendunt vulnera neruis inflicta: non ſolùm enim ob partis dignitatem ægrotis pericula, & Medico negotia faceſſunt, verùm etiam ob figuram ipſam, quæ vt plurimum neque periculum augere ſolet, neque curationem immutare, plurimum habere momentum compertum eſt ad ſalutem, & mortem. Et quod maius eſt, morbi ferè omnes in aliis partibus, quò ſecundùm propriam eſſentiam ſunt maiores ceteris paribus, eò difficilius curationem recipiunt; namque ſi pulmo, aut hepar, uel uentriculus vulnerentur, quo maius ſecundum eſſentiam eſt uulnus, eo lethalius cenſetur. At non ſic ſe habet res in uulneribus neruorum, ualdè enim differt, an totus neruus ſit diſſectus, an pars eius tantùm, an punctus, & an punctura ſit cæca, uel patens, quo enim maior ſecundùm eſſentiam eſt nerui læſio,

ſio, eo minus uulnerati ſalus periclitatur, immo toto neruo diſſecto res eſt in tuto, at ſi ex parte tantùm diſſectus ſit neruus, non leue periculum imminet, maius tamen, ſi punctus ſit tantùm, & adhuc maius, ſi punctura ſit cæca, quamuis ſanitas, quæ poſtea conſequitur, non ſecundùm proportionem ſe habeat, inculpata enim ſanitas ex punctura ſolet ſubſequi, at ex ſemiſectione aliqualiter imbecillis remanet particula, ex totali uerò præciſione omnino imbecillis. Quare differentiæ omnes uulnerum illis contingentium maximè ſunt animaduertendæ.

Deſumuntur autem à telo, & læſionis modo; namque telum aut eſt ſecans, aut pungens, aut contundens, vnde tres primæ vulnerum differentiæ, videlicet inciſio à telo ſecante facta, quam Auic. quarta quarti, tract. quarto, capitulo primo, appellat ſciſſuram: punctio, quam ibidem appellat Auic. puncturam, facta à telo pungente: & attritio, ac laceratio ipſius nerui facta à telo contundente. Inciſio autem eſt ſecundùm nerui longitudinem, aut ſecundùm latitudinem, atque vel neruus penitus diſſectus eſt, aut ex parte tantùm. Punctio verò ſeu punctura aut eſt cæca, aut patens, atque vel cum nerui detectione, vel abſque nerui denudatione. Detectum autem neruum dicimus, quando ad eius ſubſtantiam quid immiſſum per vulnus poſſit peruenire, ſiue extima ſit eius ſuperficies, ſiue ſuperficies labiorum vulneris. Verum quidem eſt, cæcam nerui puncturam propriè vulnus dici non poſſe, nam vulnus eſt euidens ſolutio continui, de ipſa tamen, ac ſi vulnus eſſet, quoniam non minus urget, quam propriè dictum uulnus, pertractare oportet. His addere poſſumus differentias, quæ ſumuntur ab iis, quæ illis complicantur, cum uidelicet alia ſint cum inflammatione, dolore, &c. licèt non ſint ueræ differentiæ. Eaſdem differentias recipiunt tendinum uulnera.

Differentiæ vulnerum neruorum.

Studere autem oportet, ut quando uulneratus eſt neruus, omninò id cognoſcamus, ne fortè talia uulnera, ſicuti ſi forent in carnoſa parte, tractemus, & ægros ad interitum

Signa nerui vulnerati.

ritum ducamus. Vulneratos autem eſſe nervos partim ex loco uulneris, in quo ſunt nerui, dignoſcitur, partim ex ſupervenientibus ſymptomatibus. Loci, in quibus continentur nervi, ex anatomica inſpectione deprehenduntur, unde in hiſce potiſſimum vulneribus elucceſcit, quid inter Empyricos, & Dogmaticos interſit, ſæpè enim decipiuntur Empyrici in dignoſcendo, & ex conſequenti in curando, quia ut dicebat Senex, tantum Medicus ſufficit ad curandum, quantum ſufficit ad cognoſcendum. Tendines eſſe vulneratos, licet vt plurimum, quid ſint, ignorent, ſæpius poſſunt cognoſcere, vbi etenim vulnus propè articulum contingit, arguere poſſunt vulneratum eſſe tendinem, quamvis & alibi ſint tendines, at de neruis non poteſt certa regula aſſignari, quæ in pluribus ſit vera, quamvis, ſi vulnus in capitibus ſit muſculorum, poſt oſſium ſcilicet dearticulationes, neceſſarium ſit nervum eſſe vulneratum. Obſervare autem plerique ſolent, num videant aliquod corpuſculum album, & rotundum in vulnere, quod conſpicientes, dicunt eſſe nervum, dein ſe jactant curaſſe neruorum vulnera absque motus, vel ſenſus membri iactura. ignorantes, & ligamenta aſſimilari neruis in colore.

Quæ ſymptomata comitentur nervorum vulnera.

Symptomata autem conſequentia, ex quibus vulneratum nervum cognoſcimus, pendent tum ab officio ipſorum nervorum, ſiquidem deferunt facultatem ſenſitivam, & motivam, vnde & ſunt exquiſitiſſimi ſenſus; tum à colligantia ipſorum, ſiquidem à cerebro ortum habent, & lege conſortii cerebrum non rarò afficitur. Dolores igitur inſignes vulnerato neruo ſtatim contingunt, niſi totus nervus ſit præciſus, etiam ſi corpus neque plethoricum ſit, neque cacochymum, neque manifeſta inflammatio fuerit ſuborta. Neque in parte tantum vulnerata perſentiuntur dolores, ſed & ad proximas, & remotiores etiam partes dolor extenditur, namque ſi in manu ſit vulnus, usque ad humerum quandoque extenditur dolor, ſi in pede, vsque ad inguina: hinc fluxiones, febres, in-

inflammationes, abſceſſus, putredines, neque in parte vulnerata ſolummodo, ſed & in proximis, & quandoque etiam in remotioribus eo quod natura inordinatè, ac tumultuosè pellit, perperam ob irritationem operans. Deindè conſentiente cerebro acceduut vigiliæ, deliria, & convulſiones. Unde Galen. 4. Meth. 6. Ubi tendines, nervi, & carne vacua, atque oſſea loca ſunt, (loca carne vacua, & oſſea potiſſimum nervos habent, vnde Galen. quaſi deſcribit, vbi ſint tendines, & nervi) hic doloris, vigiliarum, convulſionis, & delirii periculum inſtat. Et 2. Meth. 2. Adverti namque vbi punctus nervus eſſet, ei ex ſentiendi, quod obtinet, acumine, neceſſe eſſe tum dolorem incidere quam reliquis partibus maiorem, tum ex neceſſitate phlegmonem conſequi, niſi quis & medelam dolori inveniret, & phlegmonis generationem prohiberet. Et Avic. quarta quarti, tract. 1. cap. 1. Galen. ſequutus: Nervis propter vehementiam ſenſus eorum, & continuitatem ſuam cum cerebro accidunt ex vulneribus dolores vehementes valdè, & læſiones valdè magnæ, ſicut ſpasmus, & permixtio rationis. Et multoties perducunt ad ſpasmum absque anteceſſione læſionis pravæ, & non fit in eis excuſatio, quin illic ſit apoſtema magnum absque dolore magno. Et faciliores eorum diſpoſitiones ſunt febres, & apoſtemata multa apparent in aliis locis, quam in vulneribus, & ſitis, & vigiliæ, & deſiccatio linguæ, & propriè quando accedit illic apoſtema: ſimiliter eſt diſpoſitio vulnerum, chordarum, & lacertorum, & propriè in vulnere capitis eorum, hæc autem magis accidunt puncto nervo, & cæca punctura, quam eo ſecto, & aperto vulnere, eò quòd materia concluſa manens fit æruginoſa, & virulenta, & pravos fundens halitus non ſolùm nervum, & partem extendit, & ſævos dolores concitat, verùm etiam ad cerebrum iisdem transmiſſis, deliria, & convulſiones accerſit. Quæ & contingunt, dum acris quidam, flammeusque calor per vulneratum nervum cerebro, ſeu principio nervorum commu-

Cur ita facile ſequatur convulſio ad cæcam puncturam.

municatur, tunc enim inſurgit facultas, vt quod moleſtum eſt, expellat. itaque convulſivi excitantur motus: quamvis, & nonnunquam vera convulſio fiat, dum cerebrum, & principium nervorum inflammantur, vt diximus lib. 1. in tract. de convulſione. Vnde Galen. 3. loc. aff. 7. Nervoſis partibus inflammatis, promptius quàm reliquis delirium ſupervenire ſolet, idque aſcendente ad caput interdum per continuas partes ſolo calore, interdum ſpiritu vaporoſo, & fumoſo, aut fuliginoſo. & tertio Art. med. capitulo 92. Nervi, & tendinis punctura propter ſenſus vehementiam, & quoniam hæc pars principio continuatur, prompta eſt ad nervorum convulſionem excitandam, ac tum præſertim, cum nihil extrorſum expirat, obcæcato cutis vulnere. Et 6. Meth. ſecundo: Vbi punctus eſt nervus, neceſſe eſt dolorem incidere, quam reliquis partibus, maiorem, tum ex neceſſitate phlegmonem ſupervenire neceſſe eſt, niſi quis & medelam dolori inveniat, & phlegmonis generationem prohibeat. Vbi & torpor, & ablatio ſenſus, & omnino paralyſis in aliqua parte contingit, ſignum eſt, vulneratum eſſe nervum, ex vulnere enim impeditur tranſitus qualitatis animalis ad partem illam, vnde oportet, vt hæc contingant, ſtatim inflicto vulnere, & vulneris ratione. Animadvertendum tamen, læſionem in ſenſu, & motu non ſemper ſequi ad nervorum vulnera, ſed tunc tantùm, quando medullaris nervi ſubſtantia eſt vulnerata, per quam defertur qualitas animalis. At nervi tunicis ſolummodò vulneratis non ſequitur per ſe læſio in ſenſu, & motu, eò quòd per eas non deferatur qualitas illa animalis, ſed ex accidenti tantùm, hoc eſt ratione doloris, & inflammationis. In tendinum vulneribus non contingunt adeò ſævi dolores, neque adeò ſequitur convulſio, ſed tamen & ſequitur, eò quòd conſtat ex nervea ſubſtantia, & ligamentali, unde ratione nerveæ ſubſtantiæ ſunt maxime ſenſibiles, & cerebro communicant, ſed quoniam permiſcetur ſubſtantia nervea cum ligamentali inſen-

ſenſibili, tantum differunt à nervi ſenſu, quantum ab integritate ſubſtantiæ. Potiſſimum autem motus læditur per tendinum vulnera, eò quòd ſint præcipua pars in muſculo, cui debetur actio motiva. Sed, vt ſupra dictum eſt, nulla certior cognitio haberi poteſt, quam ex loco vulneris opes Anatomes: reliqua ſigna omnia poſſunt nobis imponere, niſi ſenſum excipere velis, dum ſcilicet viſu cognoſcimus vulneratum nervum, ſed vt plurimum ſenſum latet vulneratus nervus, & vbi etiam oculis cernimus totum vulnus, opus etiam eſt ſcire ex ipſa Anatome, quid interſit inter nervum, & tendinem, atque ligamentum, poſteaquam in colore albo aſſimilantur.

Præſagia vulnerati nervi.

Sunt autem nervorum vulnera maximi momenti, eo quod partes ſunt exquiſitiſſimo ſenſu præditæ, & primo ſenſorio copulatæ, vnde ſuperveniens inflammatio ipſi facillimè communicatur, hinc vigiliæ, deliria, convulſiones, & interitus. Attamen, ſi nervus ex toto fuerit præciſus, ſi, vt decet, huiusmodi vulnus tractetur, nullum imminet periculum convulſionis, aut vitæ; convulſio enim excitatur à fibris non ſectis, eò quòd inflammatæ, vel purulenta materia repletæ contrahuntur breviores factæ, atque ita convulſio accidit, vel ab acri materia, aut pravis vaporibus ab ea elevatis vellicantur fibræ non ſectæ, vnde expultrix irritata, vt rem moleſtantem expellat, motus convulſivos excitat, vt dictum eſt in ſuperiori libro, capitulo de convulſione, & vterque affectus, cerebro ob colligantiam affecto, fit poſtea vniverſalis: at fibris penitus reſectis non poteſt fieri contractio, nec poſſunt ſe concuti nervorum partes præciſæ, quia non continuantur. Verùm etſi convulſionis periculum non ſubſit, aliud tamen malum, & illud irreparabile totales nervorum præciſiones conſequitur, videlicet debilitas particulæ in ſenſu, & motu; etenim propter nervi diviſionem prohibetur tranſitus qualitatis animalis ad partes, ad quas per eum nervum ferebatur, cum nervorum partes diſ-

ſectæ vera unione coire non poſſunt, ſed per medium tantùm heterogeneum, quemadmodum accidit omnibus ſpermaticis partibus. Vnde Galen-ſexto Meth. tertio: Si totus neruus præciſus eſt, nullus metus inſtat, debilis tamen particula manebit. Valdè periculoſum eſt, quando ex parte tantùm diſſectus eſt neruus, à fibris enim diſſectis, iis, quæ diſſectæ non ſunt, noxa communicatur, hinc dolores, fluxiones, & alia mala. Siquidem fibræ non diſſectæ inflammantur ob inflammationem diſſectarum: aut virulenta materia imbibuntur, vel etiam putreſcunt, ex quo mentis motiones, conuulſiui motus, & vera etiam conuulſio, vt ſuperius dictum eſt, quæ non adeo contingunt in vulnere ſecundùm nerui longitudinem facto, quoniam non adſunt fibræ diſſectæ, quæ proximas non diſſectas poſſint oblædere. Et ideò Galenus 6. Meth. 3. Neruo per tranſuerſum vulnerato maior conuulſionis metus impendet, phlegmone à diſſectis fibris ad non diſſectas communicata, cæterum conuulſione ab ipſis non ſectis excitata. Et Auicenn quarta quarti, tractat. primo, capitulo primo. Et vulnera quidem cadentia ſecundùm longitudinem in neruis ſaluiora ſunt cadentibus in latitudinem, villus enim ſanus læditur ex vicinitate inciſi, & nocetur per ipſum, & nocet cerebro, & facit accidere ſpaſmum, & ægritudines magnas. At punctura periculoſiſſima eſt, maximè autem cæca, ratione ſuperius allata. Vnde Galenus libro Artis Medicæ capitulo nonageſimo ſecundo: Nerui, & tendinis punctura propter ſenſus vehementiam, & quoniam hæc pars principio continuatur, prompta eſt ad neruorum conuulſionem excitandam, ac tum præſertim, cum nihil extrorſum tranſpiret, obcæcato cutis vulnere.

Cur nerui tam promptè putreſcant. Ratio Aui. & Gal.

Verùm eſt maxima dubitatio, quomodo ita promptè putreſcant nerui, vt in praxi obſeruamus, cum tamen frigidi ſint, & ſicci, ob idque maximè deberent putredini reſiſtere, ſiquidem frigiditas, & ſiccitas putredini, cuius cauſa caliditas eſt, & humiditas, aduerſantur. Aui-

cen

cen. loco citato reddit rationem, cur adeo putrefactioni ſint opportuni, quæ quidem eſt, quoniam facti ſunt ex humiditate, quæ frigore concreuit, accedente igitur inflammatione, calor inflammationis eam diſſoluit, atque ita humidam reddit, ſimulque fit calida, & putredini ob caliditatem, & humiditatem opportuna; hæc ſunt eius verba: Et putrefactio quidem feſtinat ad eos, quoniam ipſi ſunt creati ex humiditate, quam congelauit, & coagulauit frigus. Et ad huiuſmodi quidem properat putrefactio ex humiditate; & ex caliditate humida, & decoquitur in eo. Quam tamen rationem videtur Auic. deſumpſiſſe ex ipſo Galen. ſexto, Meth. ſecundo, vbi Galenus hæc habet: Aqua calida quamquam reliquas phlegmonas valdè mitigat, vulneratis tamen neruis eſt inimiciſſima, cum præſertim eorum ſubſtantia ex refrigerata, concretaque humida materia ſit condita: omnis enim eiuſmodi conſtitutio per ea, quæ ſimul calefaciunt, & humectant, reſoluitur, ac putreſcit.

Verùm hæc ſolutio non paruam habet difficultatem, *Improbatur.* primò quidem, quia falſum videtur, quòd nerui ſint facti ex humida ſubſtantia, quam congelauit frigus, propterea quod calor innatus omnes corporis partes efformauit, etſi frigido concreſcit eorum ſubſtantia, calido deberet liqueſcere, quod tamen non accidit, immò vix ex longa decoctione fiunt molliores. Sed quomodo nerui frigido poſſunt concreſcere, cum neque oſſa omnium noſtri corporis partium frigidiſſima frigididate concreſcant, ſed caloris actione ad eam duritiem deueniant? Nonne omnes noſtri corporis partes, & ipſa oſſa à generationis principiis ſunt validè mollia, & humidiſſima, qua ratione dicebat Galenus, oſſa caſeo nuper coagulato aſſimilari, & calor progreſſu temporis ſuperfluam humiditatem abſumit? Hoc manifeſtè tradidit Galenus primo de ſan. *Oſſa præcaloris actione duréſcunt.* tu. capitulo primo, cum enim ſanguinem, & ſemen genitale generationis noſtræ primordia eſſe ſtatuiſſet, ſanguinem vt materiam, ſemen verò, vt opificem, ſubiungebat:

gebat: Diſſident hæc inter ſe ipſa temperamenti menſura. Siquidem in ſemine plus eſt igneæ ſubſtantiæ, atque aereæ, in ſanguine aqueæ, terreæque, quamquam præpolleat in hoc quoque, & calidum frigido, & humidum ſicco. Eoque fit, vt non ſiccus, ſicut oſſa, pilusve, ſed humidus meritò dicatur. At ſemen ſanguine ſiccius quidem eſt, cæterum ipſum quoque humidum, fluxileque eſt. Atque ita nobis vtrinque ex humida ſubſtantia genituræ origo proficiſcitur; hanc tamen humidam ſeruari non erat, ſi modò ex ea nerui, arteriæ, venæ, oſſa, cartilagines, membranulæ, & alia id genus fieri deberent. Ergo ſtatim in generationis initio coniectum copioſius oportuit elementum id, quod ſiccandi vim haberet. Eſt verò id natura quidem maximè ignis, ſed tamen, & terra, eſt enim, & ipſa quoque res ſicca: verùm huius plus immiſcere principiis non erat, ſi modò hæc humida erant futura. Ignis certè quo minus plus ſit admixtum, nec obſtat quicquam, & ſanè admixtum eſt tanto planè plus in vtroque principio, quantùm nec iam torreat, vratve, & tamen abundè ſiccet. Quippe etiam tantus calor adhibitus agilitatem præſtare ad motiones ſat erat. Ab hoc igitur primum cogitur, paulumque concreſcit, quod in vtero conceptum eſt, mox ſiccius redditum, veluti lineamenta quædam, & rudimenta cuiuſque membri obtinet. Vlterius verò etiam ſicceſcens, non lineamenta, rudimentave modò, ſed etiam exactam vniuſcuiuſque ſpeciem oſtendit. Ex his luce clarius apparet, neruos duros euadere, non quia frigore concreuerint, ſed quia calore humiditatem ſuperfluam abſumente, facti ſunt ſicciores, vt merito dicendi ſint frigidi, & ſicci Deinde, ſi hac de cauſa facilè putreſcnnt, cur etiam penitus diſſecti non putreſcent? deberent eadem de cauſa, & ipſa oſſa facilè putreſcere, nec non & ligamenta, atque cartilagines. Et cur ipſa caro, quæ connata habet putredinis ſemina (calida enim eſt, & humida) non adeò promptè putreſcit?

His

His adducor; vt credam, non idcircò neruos adeò facilè putreſcere, quia ſint ex ſubſtantia humida, quam congelauit frigus, ſed quia pauco admodum naturali calore ſunt præditi, ac prætereà ſubſtantia conſtat, quæ promptè extranea humiditate imbibitur, vnde accedente feruore ex putredine, vel inflammatione obruitur, & abſumitur natiuus nerui calor, quo extincto, quid habet reliquum neruus, niſi vt ad putredinem conuertatur? Ex quo non eſt difficile rationem reddere, cur aqua, & oleum vulneratis neruis ſint inimica, vt quæ putrefaciant. Oſſa, cartilagines, & ligamenta licet paruo natiuo calore ſint prædita, non eam tamen habent ſubſtantiam, quæ ſuperflua humiditate facilè imbibatur, idcircò diuturniori actione putrefacientis cauſæ indigent, vt putreſcant. Caro verò ipſa calida quidem eſt, & humida, verùm copioſo naturali calore eſt prædita. Neruo contuſo, vel attrito idem imminet periculum, ac ſi per tranſuerſum ex parte tantùm eſſet diſſectus, vnde Galenus tertio, de comp. med. per gen. ſecundo: Curatio communis, & periculum par amborum, nempe contuſorum, & vulneratorum, vel neruis, vel tendinibus, immò ſi magna ſit attritio, magis timendum eſt, quam ſi ex parte diſſectus eſſet; violentior enim eſt noxa, & periculum fluxionis eſt maius. Addamus, quòd omne uehementer contuſum ex Hippocrate neceſſe eſt ſuppurare, in qua quidem nerui ſuppuratione contingunt inflammationes, & ex conſequenti conuulſiones, putredines, & alia mala. Debilis prætereà manet particula ex nerui attritione, præſertim ſi totus neruus ſit attritus, non ſolùm propter continui ſolutionem, ſed etiam, quia poſt ſanationem remanet in ipſo neruo affectio quædam ſcyrrhoſa irradiationem impediens. Neque ſolùm vulneratæ parti per neruorum uulnera mala adueniunt, uerùm & partibus proximis, & remotioribus etiam, natura perperam ob irritamentum operante; uulnerato enim crure in femore abſceſſus fieri ſolent, uulnerata manu, aut digito, in brachio, aut humero; neque

Ratio vera cur nerui promptè putreſcant.

in latere tantùm affecto, uerum & in oppoſito, ut omittam dyſenterias, laterum dolores, & febres, quæ non raro hiſce uulneribus ſuperueniunt, unde Auic. loc. cit. Et faciliores eorum diſpoſitiones ſunt febres, & apoſtemata multa apparent in aliis locis, quam in uulneribus, & ſitis, & uigiliæ, & deſiccatio linguæ, & propriè quando accidit illic apoſtema.

Sed quod maius eſt, aliquando mala latenter inuadunt, & conuulſio quandoque iam iam aderit, & nec ſignum aliquod inflammationis, aut putredinis apparet, etſi enim nerui exquiſitiſſimo ſenſu ſint præditi, ut quæ ſunt inſtrumenta qualitatem ſenſitiuam aliis partibus deferentia, conſtantque ex ſubſtantia medullari hanc qualitatem deferente, & duabus tunicis medullarem illam ſubſtantiam ueſtientibus, ab ipſis cerebri membranis ortum ducentibus, nihilominus materia, quæ in ſubſtantia nerui imbibitur, aut inflammationem facit, aliquando uel ob copiam, uel ob malam ipſius qualitatem deſtruit ipſum nerui ſenſum, unde neruus inflammatur, materia repletur, putreſcit nullo doloris ſenſu, ideo Auicen. loco citato: Et multoties perducunt ad ſpaſmum abſque anteceſſione læſionis prauæ, & non fit in eis excuſatio, quin illic ſit apoſtema magnum abſque dolore magno Quod obſeruamus ex leui punctura bene ſe circa primos dies habere, & propria munia obire, dein repente, oborta conuulſione, miſerè interire? Adeſt hiſtoria à Galeno enarrata pueri ſtylo iuxta interiorem brachii regionem ſupra medias ipſius partes in ſchola puncti, ab obtimoque Empyrico pharmaco emplaſtico curati, cum enim Empyricus ille uideret puerum ab inflammatione, doloreque immunem, putabat in totum ex eo fuiſſe curatum, verùm repente, inquit Galenus, ſeptimo die conuulſus periit. Nihil igitur vel minimum negligendum, quando vulnerati ſunt nerui Modica tenſio poteſt magna mala portendere. Maximè autem obſeruandum eſt, num hiſce vulneribus tumor ſuperueniat, nec ne, ſi enim tumor

Cur vulnerati nerui interdum putreſcant, & conuulſionem accerſant abſque dolore.

non

non appareat, malum eſt, vt dicebat Hippocrates quinta, Aph. ſexageſimo ſexto, nam ſignum eſt, materiam ad vulnus influentem in penitioribus partibus detineri, vel ad principes partes tranſmutari: quandoque tamen, exquiſite euacuato corpore, nullus tumor ſuperuenit, neque ob id vllum ſequitur incommodum. Pluries curaui ego talia vulnera, nec vnquam apparuit veſtigium tumoris, eo quod omnem fluxionis occaſionem adimebam, & fœliciter ſanati ſunt, & breui. Non igitur ſat eſt obſeruare, an tumor ſuperueniat, verùm inſuper conſiderare oportet, num in propoſito ſubiecto adſint fluxionis occaſiones, quibus exiſtentibus, ſi tumor non appareat, malum eſt ingens, & ideo Galenus quinta, Aph. ſexageſimo ſexto, dicebat: Et hoc in illis præſertim fieri vulneribus exiſtimandum eſt, in quibus adeſt quidem dolor, & propter ipſum aliquid omnino influit, à medicis autem reprimitur tum valdè infrigidantibus, aut adſtringentibus medicamentis, ſicuti, ſi dolor abſit, neque fluxio mouetur. Pari ratione, ſi tumor appareat, dein repente euaneſcat ſine manifeſta cauſa, nam ex congruis euacuationibus id poſſet contingere, & deliria, & conuulſiones, & lateris dolores, & dyſenteriæ, & alia mala poſſunt expectari, iuxta illud Hippocratis quinta, Aph. ſexageſimo ſexto: Quibus tumores in vlceribus apparent, non maximè conuelluntur, neque inſaniunt. Verùm his euaneſcentibus derepente, quibuſdam à tergo conuulſiones, & diſtenſiones fiunt, quibuſdam ante inſania, vel dolor lateris acutus, vel ſuppuratio, vel difficultas inteſtinorum, ſi tumores ſint rubicundi; ſignum eſt enim naturam deficere ab expulſione recta materiæ, & proinde materiam tranſmutari ad nobiliores partes, vnde pro eius varia tranſmutatione varia mala ſequantur. Quare & hìc ſupponitur, adeſſe in corpore fluxionis occaſiones. E conuerſo autem tumorem in hiſce vulneribus apparere bonum eſt contrariis ex cauſis. Non tamen boni ſunt ſimpliciter omnes tumores, ſed qui molles ſunt, duri enim, ac renitentes,

Expoſitio Aph. 66. 5. part.

Expoſitio Aph. 67. 5. part.

& crudi mali ſunt, iuxta illud Hippocratis quinta, Aph. ſexageſimo ſeptimo: Molles boni, crudi verò mali, quando enim crudi ſunt ſignificant naturam partis non benè concoquere humores ad ipſam fluentes, vt dicebat Galenus in comm. illius Aph. Valde autem bene ſperandum eſt, quando intra ſeptimam nihil mali ſuperuenit, ſignum eſt enim naturam exagitationem ſuccorum ſedaſſe, quod eſſe non poſſet citra bonum vulneris ſtatum. Vnde Galenus tertio, de compoſitione medicamentorum per genera ſecundo: Si vſque ad quintam, vel ſeptimam morbi diem nec phlegmone tentetur, vacetque prorſus dolore, & nullam ſentiat tenſionem, in poſterum tutus erit. De tendinum vulneribus idem ferè eſt iudicium; etenim ratione partis neruoſæ, ex qua conſtant, ſunt exquiſiti admodum ſenſus, cerebroque continuantur, ob idque facilè eidem proprias affectiones communicant. Verùm quidem eſt, propter partem ligamentoſam, quæ vnà cum neruea tendinem conſtituit, eos non eſſe adeò exquiſiti ſenſus, ac ipſi nerui, neque adeo facilè putreſcere. Vnde ab illa malitia vulnerum neruorum nonnihil recedunt, præcipue quæ finibus muſculorum accidunt; tendines enim, in quos muſculi deſinunt, magis habent de ligamento, & ideo dicebat Auicenna, loco citato: Et ſimiliter eſt diſpoſitio vulnerum chordarum lacertorum, & præcipuè in latere capitis earum. Quòd ſi totus tendo ſit penitus præciſus, nullus ſubeſt conuulſionis metus verùm partis motus oblæditur, ſiquidem muſculus, cuius tendo præciſus eſt, motum amittit.

CAPVT III.

De curatione Vulnerum neruorum.

INtentiones curatiuæ in puncturis, & vulneribus neruorum huc debent ſpectare, vt fluxio ad partem, & inflammatio prohibeatur, & generandæ ſaniei effluxu paretur, ſi ea exſiccari, & digeri non poſſit, calorque natura-

turalis partis protegatur, ac roboretur. Fluxio inhibebitur, ſi eius materia ſubtrahatur ſenſibiliter euacuantibus iuxta humoris ideam & victu tenui, & quod influit, & poteſt confluere ineptum ad motum reddatur, intercipiatur, aliò auertatur, atque repellatur, etſi quæ adſint fluxionem commouentes cauſæ, cuiuſmodi eſt dolor, tollantur. Calor tegumento, & medicamentis amicis roboretur.

Sed & dum fluxionem inhibemus, & exitum materiæ procuramus, ipſi quoque calori conſulimus, & vice verſa. Iidem ſcopi in aliis quoque vulneribus ſunt propoſiti, in vulneribus tamen neruorum præ omnibus accuratiſſimos nos eſſe oportet, vt omnia quam primum exequamur, quibus ſuccorum affluxus, & inflammatio prohibeantur, & generandæ ſaniei conſulatur, & calor ſeruetur, ac roboretur, poſteaquam inflammatio ſuperueniens conuulſionem lethalem accerſit propter naturam partis; materia enim non habens exitum, virulentiam vel modico tempore acquirit, atque conuulſionem excitat, ac neruum putrefacit ſua natura facilè putreſcibilem. Eadem mala ex iis proueniunt, quæ calori ſunt infenſa, vnde vnicus frigidi ambientis occurſus ſatis eſt ad conuulſionem inuehendam.

Itaque ſi punctus ſit neruus, conſiderandum erit, num per valida exſiccantia, quæ tenuiſſimarum ſint partium, vt ob id penetrare ad penitiores partes poſſint, & quæ natiuum calorem roborant, aſſequi poſſimus, vt vel impediatur collectio materiæ in neruo, vel quæ in parua quantitate colligenda eſt, ſiccetur, & abſumatur, vel non. Sperabimus autem id poſſe nos aſſequi, ſi corpus neque plethoricum ſit, neque cacochymum, neque exquiſito ſenſu præditum; neque adhuc influxit materia ad partem vulneratam, & neruus vulneratus non ſit nimis profundus, ideoque in hoc caſu ſatis erit in vulnus inſtillare aliquod medicamentum, quod maxima tenuitate partium ſit præditum, & vi exſiccandi inſigni, & quod neruis ipſis, & natiuo calori ſit maximè amicum, extrinſecuſque aliud *Topica qualia.*

ſimile medicamentum apponere, quod tamen vim ſuam diutius poſſit conſeruare; ſperandum eſt enim, & id ſæpius experientia comprobat, vulnus agglutinandum iri, priuſquam materia colligatur in ipſo in effatu digna quantitate, virulentiamque acquirat. Huiuſmodi efficacitatis multa comperiuntur medicamenta, vtpote oleum ſtillatitium terebinthinæ, vel abietinæ lachrymæ, & quod præ cæteris laudandum eſt, balſamum arte confectum, vel oleum ipſius, quod calens in vulnus inſtillandum eſt, ſuperponendumque idem terebinthina, & propoli exceptum, vt paretur veluti ceratum, quo diutiùs vires aſſeruare poſſit, aliàs promptè in auras diſſolueretur medicamenti ſubſtantia. Inſtillatur etiam maximo cum fructu oleum noſtrum de hyperico cum aqua ardenti, item abietina lachryma aqua ardenti liquata, extrinſecuſque apponitur ceratum ex Tacahamacha aqua ardenti diſſoluta, & factitio balſamo, ac cera confectum. Sed ne humor ad partem confluat, circumſtantibus partibus congrua repellentia erunt adhibenda, de quibus alias, omnique reuulſionum genere prohibendum erit, ne influat humor, vnde & ſanguinis miſſio, & purgatio conuenient, nec non & alterantia aliàs propoſita. Tenuiſſimuſque ſeruandus erit victus, de quo inferiùs: breui autem ſanari ſolent, niſi ſympromata ſuperueniant.

Medicamenta ad neruos punctos.

Verum, ſi hanc curationem vereamur, aut quia corpus ſit plethoricum, vel cacochymum, aut exquiſiti ſenſus, & dolor vrgeat, ac fluxio cœperit, aut neruus ſit in profundo, aut punctura adeò cæca, vt nullum admittat medicamentum, veluti quæ acu tenuiſſimo infligitur, aut quia deſit idoneum medicamentum; parandus erit quam primum idoneus effluxus generandæ materiæ: atque ſi corpus fuerit plethoricum, aut prauis ſuccis ſcateat, quod ſuperabundat, & mala qualitate præditum eſt euacuandum iuxta humoris ideam, ſicuti in vniuerſalibus dictum eſt, & alia remedia adminiſtranda, quæ ad fluxionem, & inflammationem inhibendam faciant, & ſedandus dolor, qui

qui omnium maximè fluxionem aduocat, fieri enim vix poteſt, quin puncto neruo, qui exquiſitiſſimo ſenſu eſt præditus in tali ſubiecto, & ei medela adhiberi non poteſt, ſæui dolores inuadant, vnde Galenus ſexto Meth. ſecundo: Aduerti namque, vbi punctus eſt neruus, ei ex ſentiendi, quod obtinet, acumine, neceſſe eſſe tum dolorem incidere, quam reliquis partibus maiorem, tum ex neceſſitate phlegmonem ſuperuenire, niſi quis & medelam dolori inueniat, & plegmonis generationem prohibeat. Vnde ſubiungebat: Rationabile igitur mihi eſt viſum, vulnus apertum, inglutinatumque cuſtodire, quo per id ex neruo vulnerato ſanies efflueret, ecce parandus materiæ exitus, & totum corpus ſuperfluis humoribus liberare, & ne quis dolor vulneratam partem vrgeat, in primis ſolicitudinem habere, vt ſcilicet prohibeatur affluxus materiæ, & phlegmones generatio. Vnde & inferiùs ſanguinis miſſionem proponit, forti exiſtente virtute, purgationem verò, ſi vitioſis ſuccis repletum ſit corpus, ita tamen, vt protinus fiat.

Sed, quoniam potiſſima doloris ratio, immò omnium ferè malorum eſſe ſolet materia concluſa, dum diutiùs retenta virulentam qualitatem acquirit, & neruum replens non ſolùm diſtendit, ſed & qualitate infeſtat, ac putrefacit, in primis conſiderandum erit, num per vulnus præexiſtens generanda ſanies poſſit liberum habere exitum; namque niſi ſatis patens ſit, ſatius erit, immò neceſſarium, vulneris orificium amplius reddere, facta idonea ſectione, vnde Galenus loco citato. Tutius verò fuerit, ſi quis cutem latius incidat. Duabus igitur ſectionibus ad angulos rectos ſecari cutis poterit. ita vt punctura ſit ſectionis centrum. vnde Galenus tertio, de compoſitione medicamentorum per genera ſecundo: Ob quam rem in id genus puncturis orificium duabus in cutem ſectionibus ad angulos rectos diuidere oportet, digitoque ſubducere labia, ne rurſus coaleſcant. Siue autem ſectio fiat, ſiue non excogitare pharmacum oportebit, quod & inglu-

tina-

tinatum contineat vulneris orificium, nec non & ſaniem partim exſiccare, & digerere, partim à profundo, & à centro ad circumferentiam trahere poſſit, neque tamen partem contrahat, & mordeat, & fluxionem concitet: quare moderatè calida ſint talia medicamenta oportet, frigidum enim neruis inimicum, & valdè exſiccantia citra dolorem, tenuiumque partium, quoad profunda penetrare valeant ideò Galenus ſexto Meth. ſecundo. Facultas medicamentorum neruorum vulneratorum tum tenuis eſſe debet, tum modicè excalefaciens, & quæ ſiccare citra dolorem poſſit, cum ſola hæc trahere ex profundo ſaniem, neque contracta, neque demorſa particula, poſſit. Et inferius: Nerui vulnerati medicamenta poſtulant, quæ & tepidum calorem excitent, & valenter ſiccent, & quæ ex ſubſtantiæ ſuæ natura, & trahendi vim habeant, & tenuium ſint partium. Et tertio de comp. medicamentorum per genera, ſecundo: Quoniam, quæ putreſcunt, omnia ex humiditate, & calore putreſcere cognoſcebam, curationem per ſiccantia, & refrigerantia moliendam eſſe deprehendi. Rurſum apud me contemplatus, frigidum ferè ab Hippocrate neruis inimicum dici, optimum fore neruorum vulneribus medicamentum intellexi, quod & ſiccaret, & quod medium eſſet inter ea, quæ calefaciunt, & refrigerant, vel quod parum ad calefacientium latus à medio recedat: calidum tamen eſſe ſatis poſſe, modò ſiccandi facultate polleat, etenim calor citra humiditatem putrefacere nihil habet. Et inferiùs: quæ ex alto humores educere, digerereque poſſunt, neruorum vulneribus ex vſu ſunt. Et Auic quarta quarti, tract. quarto, capitulo ſecundo: Medicamen vulnerum neruorum eſt illud, quod eſt calidum, ſiccum, ſubtilium partium, æqualis caliditatis, ita vt non mordeat, & ſit eius exſiccatio vehemens valde cum attractione, non cum ſtipticitate omnino. Habenda tamen eſt ratio naturæ ægrotantis, namque vt dicebat Galenus loco citato, mollioribus corporibus imbecilliora, duris fortiora ſunt adhibenda. Neque vereri oportet

Medicamenta ad cæcam puncturam qualia.

oportet ex vſu talium vulneris orificium iri agglutinandum, quia videlicet facultate ſiccandi ſint prædita, id enim minus probè præſtare poſſunt, tum quoniam adſtringendi vi ſunt deſtituta, tum ob vim attractricem. Habenda quoque eſt ratio materiæ exſiccandæ, nam pro quantitate humiditatis medicamentum exſiccans eſt eligendum, vt enim dicebat Galenus 3. de comp. med. per gen. 2. Copioſa humiditate auctum, inſigniter exſiccante, parua, modicè hoc faciente, quemadmodum multa, admodum reſiccante, non tamen extremè, neque in ſummo exſiccari deſiderat; ſiccitatis enim quantitatem humiditatis copiæ reſpondere conuenit, vnde ſubiungebat. Ego itaque dum communem neruorum vulnerum curationis modum immutare primùm auſus ſum, conieci, in quantam humiditatem, caloremque affecta pars recidiſſet, &c.

Illud etiam animaduertendum, quòd multa ex valde exſiccantibus, tenuiumque partium, quibus ad vulnera neruorum vti poſſumus, adiunctam habent inſignem caliditatem, & mordacem quandam acrimoniam acutiemque, & propterea dolores excitandi, & fluxionem commouendi, vim habent; quare, ſi interdum cogamur aliqua ex talibus medicamentis aſſumere, niſi eius ſint naturæ, vt eorum caliditas promptè euaneſcat, vt eſt de aqua ardente, & balſamo ab Auic. propoſito, alia permiſcenda ſunt, quæ inſignem illam caliditatem, acrimoniamque obtundant, neque tamen ſiccitatem, & vim attrahendi remittant: vnde Galenus loco citato. Quandoquidem verò nonnulla caliditatem immoderatam, vel mordacem vehementer acrimoniam, vel acutiem coniunctas habent, alia ipſis pharmaca admiſcere ratio eſt, quæ prædictos exceſſus ſine virtutis offenſa temperare queant. Et Auic. 4. 4. tract. 4. c. 2. Et ſi neceſſaria eſt fortis caliditas quandoque tunc neceſſaria eſt, vt non ſit profundans tantùm, ſed vt frangatur, & declinetur cum ea ex eo, quod ei admiſcetur ad æqualitatem, vt calefaciat cum menſura, & exſiccet cum fortitudine. Multa igitur proponit

Materia medica.

Gal. 6. Meth. 2. & 3. de comp. med. per gen. ſecundò, vtpotè terebinthinam, per ſe quidem in mollibus corporibus, in duris verò admixto euphorbio, pariter, & propolim recentem, præſertim per ſe in mollibus, cum euphorbio verò in duris; item ſagapenum, opopanacem, Cyrenaicam lachrymam, reſinam, ſtrobelinam, ſulphur, quod ignem expertum non ſit, neque ſit lapidoſum, ſed tenuium partium, ex quibus varia medicamenta parari poſſunt, tertiò verò de comp. med. per gen. tertio, addit metallica aceto acerrimo priùs præparata, ea autem ſunt chalcitis, miſy, æris ſquama, ærugotum vſta, tum etiam non vſta. Capite verò ſeptimo, addit dictamnum, amarachum, ariſtolochiam, & omnes herbas, ac radices amaritudinem ſine adſtrictione habentes, vel acrorem, non tamen immodicum, cuiuſmodi ſunt meium, polium, argemone, chamæpithis, centaurium, radices omnium ariſtolochiarum, dracunculi, ſtactes, myrrha. Capite quinto, addit ammoniacum, galbanum, ladanum. Capitulo ſexto, ſtercus columborum in turribus ruſticorum agentium. Et quoniam medicamenta, quæ neruorum vulneribus adhibentur, vt dicebat Galenus tertio, de comp. med. per gen. ſecundo, liquida, & mollia eſſe conuenit, idcircò oleum aliquod tenuiſſimum, quale eſt ſabinum bimum, aut trimum addi poterit Vtebatur igitur Galenus in mollibus corporibus terebinthina ſola, aut propoli recenti, in duris reſina ſtrobelina, ſagapeno, & opopanace cum oleo, & terebinthina illud miſcens, aut terebinthinæ, vel propoli euphorbium addebat; ſulphur verò tenui oleo miſcebat, ſic vt mixtura ſordium haberet craſſitudinem in minus duris corporibus, in durioribus verò mellis idem Tetrapharmaco permiſcebat. Conficiebat etiam emplaſtrum ex cera, pice, terebinthina, atque euphorbio, accipiendo ceræ partem vnam, terebinthinæ, & picis vtriuſque partis vnius dimidium, & huic mixturæ euphorbium addendo. Pondus autem euphorbii eſt duodecima emplaſtri pars, vel paulò minus,

ſi

ſi recens fuerit euphorbium. Si valentius pharmacum deſideretur, paulo plus euphorbii adiicit, atque ſi euphorbium ſit veteraſcens, plus quoque ipſius adiicit; ſi verò trimum, aut quadrimum, duplum ipſius, vel triplum. vnde tertio, de comp. med. per gen. cap. 2. componens pharmacum ad neruorum puncturas ex cera, oleo, & euphorbio, accipiebat vnam partem euphorbii recentis, decuplam verò olei & triplum ceræ, at veteraſcens euphorbium, ſubiungebat, copioſius ei immittendum eſt, trimum verò, & quadrimum, vel duplicatum prioris pondus, vel æquale ceræ.

Recta compoſitio medicamentorum ex euphorbio.

Quoniam autem, vt ipſe loco citato dicebat, vſum ipſius euphorbii menſura comprehendere nemo poteſt, tum propter variam euphorbii ætatem, tum propter varias naturas corporum, idcircò, quam apta ſit medicamenti compoſitio, ex effectu eliciendum admonet; ſiquidem enim plus caloris ſentiat vulneratus, quam par ſit, & mordicationem ex pharmaco, ſcire oportet, plus euphorbii, quam conveniat, adiectum fuiſſe, ſi verò moderatum calorem, & veluti à Sole, neque morſum ullum, ſed potius pruritum, ſignum eſt, congruam eſſe mixtionem; ſicuti ſi nullum calorem ſentiat à pharmaco, & dolor non miteſcat, medicamentum eſt imbecillius, quibus effectibus animaduerſis, conſtabit, quando euphorbii quantitas ſit augenda, & quando aliarum rerum, quæ ipſius acrimoniam obtundunt, & quando in eodem medicamento perſiſtendum. Antequam etiam parti pharmacum apponatur, indagari poterit eiuſdem caliditas, ſi medicamenti modicum linteo illitum tibiæ noſtræ, aut cubito per aliquot horas appoſuerimus, & erit forſan melius, ſi tibiæ, aut cubito alterius, qui temperamentum habeat vulnerato ſimile, aut ipſius vulnerati applicuerimus. Namque, ſi ex eo calor iuſto feruentior, ſentiatur, vehementius eſt pharmacum, & mixtura emplaſtri, aut oleo illud remittere oportebit. Si verò nullus calor ſentiatur, imbecillius eſt pharmacum, augerique

que eius vim oportebit pauco euphorbio addito. Sin calorem edat temperatum calori ex ſole ſimilem, iuſtum eſt pharmacum, & eo audacter vti licebit, vnde Galen. 3. de comp. med. per gen. loco citato : At ſi ignoras, an euphorbium exactè ſit calidum, aut nonnihil ab eo diſcedat, poſt confectionem linteo paululum medicamenti illitum tuæ ipſius tibiæ, vel cubito, horis aliquot imponito, poſtea, ſi modicè calefacere deprehendis, benè temperatum eſſe medicamentum arbitraberis. Quod ſi vel nullum ſenſibilem calorem edat, vel iuſto feruentiorem, integrum eſt, aut pharmacum remittere, aut intendere, remittere quidem mixtura cerati, intendere appoſito euphorbio. Et Auic. loco citato : Et oportet, vt obſerues in medicinis, ſic calefaciant vltra quam ſit neceſſe, neque abbreuietur in calefactione neceſſaria, & ſimiletur in abſterſione, & exſiccatione, & in contrario vtriuſque. Et paulo inferius : Et quandoque experiuntur cerata facta cum euphorbio ſuper crus hominis ſani, & ſimilis infirmo in complexione ſua, & ipſius forma, & conſideratur, an ſuperfluant in calefactione eius, an non calefaciant ipſum in aliquo, de quo ſit curandum, aut calefaciant ipſum calefactione temperata, & tunc ſecundùm illam quantitatem poſtea adminiſtratur ſuper infirmum, & experiuntur ſuper ipſum ſecundo. Verùm, vt experiantur ſuper alium de illis, qui aſſimilantur ei, in primis eſt melius, vt non ſit neceſſaria in experientia eorum alteratio plurima. Et hæc ſatis ſint de medicamentis Galeni ex euphorbio, in quibus quidem vires attrahentes, & exſiccantes, ac dirigentes potiſſimum ſunt ipſius euphorbii, cera verò, & reſina, & oleum, quando recens accipitur, gratia compoſitionis adduntur, oleum verò quando vetus eſt, vim, & medicamenti robur tuetur Propolis verò quando additur, primum ſcopum ſpectat, vim enim habet attrahendi ex alto, vt ea ſola, recenti tamen fælici cum ſucceſſu vſum ſe fuiſſe in corpore duro teſtetur Gal. 2. de comp. med. per gen. c. 2. ſicuti

ſicuti & ſagapenum, & opopanax, & ammoniacum. Proponit etiam Gal. fermentum vetuſtiſſimum, modò per ſe, modò propoli admixtum: aliquando etiam eidem adiicit ſuccum tithymalli, quem & ipſi propoli interdum permiſcet, quando videlicet profundior eſt punctura, aliquando verò acetum acerrimum. Tetrapharmaco quoque nonnunquam adiicit, & Aphronitrum, & Beroniti- um litrum, & Apholitrum non lapidoſum, quod ſpumæ conſiſtentiam habeat, florem Aii lapidis, & alia multa, quæ videre eſt locis iam citatis. Vt ex Gal. medicamenta hæc ad neruorum puncturas colligere liceat, terebinthinam per ſe in mollioribus corporibus, qualia ſunt puerorum, & mulierum, propolim in iiſdem, & durioribus etiam, ſi recens ſit, item & ſagapenum, & opopanacem oleo tenuium partium bimo, aut trimo liquata, addita etiam terebinthina. In duris verò corporibus fermentum vetuſtiſſimum per ſe, aut aceto acerrimo liquatum, vel cum modico ſucco tithymalli, aut cum propoli recenti permixtum, & medicamenta omnia ex euphorbio, quorum primum paramus ex cera, oleo, & euphorbio ſecundùm proportionem ſuperiùs dictam, accipientes, exempli gratia, olei vncias x. ceræ vncias iii. euphorbii recentis vnciam j. m. & f. vnguentum a. ſ. Paulò plus euphorbii addetur, ſi fuerit bimum, ſi verò trimum, aut quadrimum, accipientur euphorbii vnciæ ii. aut iii. Alterum paratur ex cera, pice, terebinthina, vel abietina reſina, vel colophonia, vel reſina pinea, & euphorbio, exempli gratia. Recipe ceræ drac. vi. terebinthinæ, picis ana drac. iii. euphorbii drac. i. aut duplum, vel triplum, ſi ſit vetus, m. & f. vnguentum, a quo ſi opus ſit addatur oleum aliquod tenuium partium, bimum, aut trimum, vt medicamentum acquirat iuſtam conſiſtentiam. Tertium paretur ex Tetrapharmaco, & euphorbio ſecundùm eandem proportionem. Quartum ex oleo, & euphorbio confectum ſordium habet ſpiſſitudinem. Quintum ex propoli, & euphorbio

Medicamenta Galeni ad neruorum puncturas.

ſecundùm eandem proportionem, & ex iiſdem innumeræ compoſitiones fieri poterunt. Item medicamentum ex ſulphure ignem non experto, non lapidoſo, atque oleo ad ſordium conſiſtentiam redactis, vel ipſius mellis, ſi fortius pharmacum requiratur vel ex ſulphure, & Tetrapharmaco.

His addere poſſumus, quæ ex metallicis conficiuntur à Gal. propoſita 3. de comp. med. per Gen. 3. inter quæ valentiſſimi formula iuxta Galenum talis eſt, Recipe chalcitidis crudæ partem vnam, miſyos duas ſimiliter crudi, tres æris ſquamæ. Inualidiſſimum vnam miſyos, & chalcitidis, ſed vtriuſque combuſti, ſquamæ quatuor, medium amborum, miſyos, chalcitidis, æruginis cuiuſque vſti partem vnam, æris ſquamæ partes tres, quibus ex aceto acerrimo omni vinoſa qualitate experte, & vetuſtiſſimo, ſubſtantiaque tenuiſſimo in æſtiuo ſole pluribus diebus contuſis, atque læuigatis; in valentiſſimo addetur ceræ duplum; in altero duæ partes, & ſemis, in horum medio partes duæ, & quarta. In inualidiſſimo etiam apponitur ceræ triplum. Oleum verò ad ceram ſemper ſit in ſubdupla proportione, vt ſi ceræ ſint vnciæ octo, olei ſint duodecim, non adſtringentis, & tenuioris eſſentiæ, & proinde oleum vetus laudat. Quandoque etiam, cum ex aceto parata ſunt metallica, thus album, & pingue addit, vbi metallica ex aceto pluribus diebus in mortario trita fuerint, & rurſus aliquot diebus læuigat, antequam ceram, & oleum permiſceat ponit verò thuris dimidiam quantitatem metallicorum, ſi mediocre, plus verò, quam dimidia, ſi mollius, & minus quam dimidia, ſi acrius deſiderat. Si ſub emplaſtri forma vult medicamentum parare, dum oleo ceram liquat, addit aliquam reſinam, ſtrobilinam quidem, dum acrius exoptat medicamentum, terebinthinam dum mitius, abietinam, dum medium, & huius ſextam partem ponit, vt ſi ceræ ſint vnciæ ſex, reſinæ vnica ponatur vncia. Aliquando etiam dicto medicamento addit galbani æquale pondus ipſi thuri, vbi mitiſ-

mitiſſimum vult medicamentum, vbi valentius dimidium, vt ſi quatuor fuerint drachmæ thuris, duæ ſint galbani in valente, in miti quatuor, in medio tres. Id etiam animaduertens, quod galbanum non eſt adeo miſcendum reliquis, neruo denudato exiſtente, ſicuti enim habet molle, & anodynum quidpiam, ita quoque σηπτικὸν, hoc eſt, quidpiam putrifici. Magis verò miſcendum, neruo ſecto exiſtente doloris ſedandi gratia, ideoque in mollioribus corporibus, & exquiſiti ſenſus vti ſuadet eo, quod galbanum recipit, vt minus dolorifica ſint metallica; immo admonet, vt ſemper paratum habeamus medicamentum ex galbano, & adipe tenuium partium, cuiuſmodi eſt adeps leonis, pardi, hyenæ, vrſi, anſerum, agreſtium gallinarum, vel medulla ceruina, vel vitulina loco adipis, admiſcendo tertiam, vel quartam partem ceræ, vt medicamentum cerati conſiſtentiam habeat, vel ſi adeps fuerit mollior, etiam dimidiam ceræ quantitatem; huius enim pharmaci duplex erit vſus; primò enim ſi fortè acre medicamentum impoſitum valentius viſum fuerit, quam par ſit, obtundi poterit huius medicamenti permixtione; ſecundò vbi partem irritatam acri medicamento conſpexerimus, fotam priùs calente oleo, vt ſupra dictum eſt, contegere poterimus tali medicamento, donec ad ſtatum ſuum reducatur, ad quem vbi redierit, opus eſt ad acrem redire curationem.

Eodem ſpectant quæ ex herbis tenuium partium Galenus componit, tertio de comp. med. per gen. 7. accipiens de iis, quæ calida guſtu percipiuntur, cuiuſmodi eſt dictamnum, meium, & acorum, quantum eudhorbii bimuli in compoſitionibus de euphorbio, quantum verò in illis trimuli, tantum iis ariſtolochiæ, iridis, dracunculi, gentianæ, & aliorum id genus iniiciens, quæ proinde ac illa amara ſunt; atque conciſum medicamen, læuigatumque (admonet enim herbas, radiceſque accuratè contuſas tenuibus cribris ſecerni debere, & denuò etiam exactè læuigari, vt arida collyria,

vſque

vſque dum in puluerem tenuiſſimum redigantur, poſteaquam quæ craſſa ſunt ſubſtantia nihil iuuant neruos vulneratos, vt qui ſubtilia pharmaca requirant) alicui, quod cerati modum haberet, permiſcens. Pariter & quod ex ſtercore columbarum in turribus ruſticorum agentium conficit capitulo ſexto, eodem prorſus modo, quo medicamentum de euphorbio, loco ſcilicet euphorbii ſtercore indito, reliquis verò eodem modo ſe habentibus. Animaduertit autem ſtercus hoc ſubtilitate euphorbio cedere, eoque duris corporibus in agris ex vſu eſſe, & quæ ſumptuoſa appellat capitulo octauo, eadem medicamenta recipit Auic. loco citato capitulo tertio, & alia addit, potiſſimum autem oleum balſami, quod propter tenuitatem ſuam, quia videlicet velociter reſoluitur, non eſſe multæ calefactionis aſſerit. Iiſdem addere poſſumus gummi iuniperinum, Tachamacham Indam, Carannam, quæ oleo noſtro de hyperico ad iuſtam conſiſtentiam redigentur.

Medicamenta recentiorum. Recentiores tamen arte chymica mediante alia præſtantiſſima medicamenta adinuenerunt, quæ licet ſint calidiſſima, eorum tamen caliditatem vereri non oportet, propterea quod ob maximam partium tenuitatem breui reſoluitur, & interim omne excrementum abſumunt, & naturalem calorem maximè roborant, cuiuſmodi ſunt oleum de terebinthina, vel abietina lachryma, oleum ſulphuris terebinthinatum, oleum philoſophorum appellatum, oleum ex cera, ex folliculis maturis hyperici, aqua ardens, & quinta appellata eſſentia ex ea confecta, aqua balſami, balſamum arte confectum, quod ſecundùm noſtram deſcriptionem eſt maximæ efficaciæ, quibus aliquando ſolis vtimur, aliquando verò aliis commixtis, quæ reddant medicamentum ad ſordium, vel mellis conſiſtentiam, qua forma virtus quodammodo alligata diutius perdurat, aliàs breui ob ſummam partium tenuitatem diſſoluenda. Permiſcemus igitur reſinam, terebinthinam, vel abietinam, propolim, & huiuſmodi. Eadem addimus iis, quæ à Galeno ſunt propoſita, quæ tamen

men minorem acrium quantitatem recipiant, & omnibus denique ſuperius relatis. vnde innumeras medicamentorum formulas prudens medicus facili negotio componet, paucas autem in exemplum ſubiungemus. Prima.

Recipe ammoniaci.

Opopanacis

Sagapeni, aqua ardenti diſſolutorum.

Propoleos.

Terebinthinæ ana vnc. s.

Olei tenuium partium bimi, aut trimi, in quo lumbrici terreſtres bullierint vnc. i. s.

Miſce & f. vnguentum.

Et hoc medicamento vti poſſumus in corporibus etiam non adeò mollibus, in durioribus addentur ſulphuris ignem non experti drac. ii. aut drac. i. euphorbii, in duris verò drac. ii. aut drac. ii. s. & plus etiam, ſi euphorbium ſit vetus. Secunda recipit

Terebinthinæ claræ.

Lacrymæ abietinæ ana vnc. i.

Tacahamachæ vnc. s.

Carannæ drac. ii.

Balſami Peruniani drac. iii.

Propoleos drac. vi.

Olei noſtri de hyperico vnc. i.

Miſce, & f. vnguentum.

Tertia.

Recipe ſagapeni.

Opopanacis.

Propoleos ana vnc. s.

Tacahamachæ drach. iij.

Olei ſtillatitii ex terebinthina, vel abietina lachrima vnc. i.

Sulphuris ignem non experti drac. i. s.

Miſce, & f. vnguentum.

Quarta.

Recipe Tacahamachæ,

Opopanacis.

Propoleos.
Abietinæ lachrimæ ana drach. ij.
Balſami artificialis drach. vi.
Miſce, & f. vnguentum.

Quinta eſt liquidioris conſiſtentiæ, vt ad intima poſſit facile peruenire, vnde ea vtemur in profundis puncturis, recipit autem

Balſami artificialis.
Olei noſtri de hyperico ana vnc. s.
Aquæ ardentis, aut aquæ balſami drac. iij.
Miſce.

Sexta habet formam cerati, &

Recipit Diachylonis gummati vnc. i.
Tacahamachæ.
Carannæ.
Sagapeni.
Propoleos.
Reſinæ pini.
Picis naualis ana drac. iij.
Balſami artefacti vnc. s.
Euphorbij ſcrup. ii.
Miſce.

Hoc medicamentum vim habet inſignem ex alto attrahendi, atque abſumendi vulneris excrementa exſiccando, ac digerendo, ipſumque extrinſecus linteo illitum applicamus.

Septima conſtat ex *fermenti vetuſti vnc. i. s.*
Stercoris columbini, aut ſulphuris drac. i.
Aquæ ardentis, aut aquæ balſami q. s. vt medicamentum acquirat mellis conſiſtentiam.
Miſce.

Octaua conſtat ex

Olei de terebinthina, vel abietina lachrima vnc. i.
Sagapeni.
Propoleos ana vnc. s.
Euphorbii drac. i.
Miſce.

Sed

Sed de compoſitis pharmacis hæc ſint ſatis ; poterit enim vnuſquiſque iam dictis inhærens varia parare, prout neceſſitas expoſtulabit.

Antequam autem medicamenta vulneri admoueantur, ſi pars doleat, ſatius erit dolorem ſedare, fouendo vulneris locum, & circumiacentes partes oleo tenuiſſimarum partium, non adſtringente, quod calens lana, vel ſpongia excipi poterit, atque ita parti applicari, & ſi prius in eo vermes terreſtres incoquerentur, longè eſſet præſtantius. Si talis olei copiam non habuerimus, incoquentur in eo, quod erit ad manus, flores chamæmeli, liliorum alborum, anethum, & huiuſmodi. Neque ſpernendum erit roſaceum completum, in quo incocti fuerint vermes terreſtres, præſertim ſi initium phlegmonis apparuerit, ſi oleum adeo tenuium partium haberi non poſſit, communi permiſcebitur acetum acerrimum, hacque mixtura fouenda pars, donec melius medicamentum inueniatur. Aqua verò calens quamuis alioqui conferat ad ſedandos dolores, in vulneribus tamen neruorum penitus ablegandа, quemadmodum etiam conſulit Galenus locis citatis, & Auic. & quotquot poſt ipſos ſcripſerunt cum enim neruus ſit facile putreſcibilis, & quæ putreſcunt omnia calore, & humiditate putreſcant, procul dubio ſi nerui ſunt à putredine præſeruandi, arcenda ſunt omnia humida, calor enim niſi adnectatur humiditas, vt dicebat Galenus 6. Meth. ſecundo : nihil habet putrefacere, vnde Galenus 6. Meth. 2. Aqua calida quanquam reliquas phlegmones valde mitigat, vulneratis tamen neruis eſt inimiciſſima, cum præſertim eorum ſubſtantia ex refrigerata, concretaque humidiore materia ſit condita, omnis enim eiuſmodi conſtitutio per ea, quæ ſimul calefaciunt, & humectant, reſoluitur, & putreſcit. Itaque ab aqua calida eos, qui ita vulnerati fuerunt, omnino prohibet, vtilius indicans oleo calente fouere, quod tenuiſſimum inferius ſe deligere ſubiungit, cuiuſmodi eſt ſabinum, præſertim bimum, aut trimum, nam vetuſtius

Aqua calida neruis vulneratis inimica.

minus dolorem mitigat, licet magis digerat. Et Auicenna loco citato: Et non ſedes dolorem eorum cum aqua calida omninò, immo cum oleo ſubtilium partium, in quo non eſt ſtipticitas.

Sedato dolore liquidum medicamentum calens, ita tamen ne partem poſſit offendere, in vulnus inſtillandum, extrinſecuſque apponendum aliud medicamentum eiuſdem quidem virtutis, ſed ſolidioris ſubſtantiæ, vt diutius vires retineat. Quod ſi à fotu penitus dolor non quieuerit, vel etiam initium phlegmones affuerit, optimum erit ſupra pharmacum appoſitum, & circumiacentes partes apponere cataplaſma ex farina hordeacea, vel fabarum, vel erui, vel lolij, vel ciceris, vel lupinorum amarorum, & oxymelite, vel aqua lixina, quam Auicennas appellat aquam cineris, atque oleo tenuium partium veteri, vel oleo roſaceo completo lumbricato; aut ſi dolor magis vrgeat, loco oxymelitis ſyræum, ſeu ſapam accipere licebit, immo huiuſmodi cataplaſmata protinus ab initio, etiamſi phlegmone non adſit, maximo cum fructu applicantur, vnde & iiſdem vtebatur Galenus & Auicenna, & iure merito, nam ſicuti dolorem ſedant, ita etiam prohibent, ac præterea digerunt, exſiccant, & putredini obſiſtunt, caloremque naturalem fouent, ac roborant, & appoſiti medicamenti ſubſtantiam, ac vires conſeruant: hinc Galenus tertio de compoſitione medicamentorum per genera, ſecundo: Præſtat oleum eſſe vetus in huiuſmodi mixturis, puta ex oxymelite, & fabarum farina, vel eruorum, vel lolii, vel ciceris, vel lupinorum amarorum, vel tenuiori polentæ puluere, vel hordeacea farina, quibus in vrbibus vſus ſum cataplaſmatis, non ſolùm in his, quos iam phlegmone prehenderat, ſed etiam protinus ab initio. Et Auicennas 4. quarti, tract. 4. c. 2. Et ſimiliter ſit vehemens conatus in ſedatione apoſtematis, & de illis, quæ adminiſtrantur etiam tunc, ſunt emplaſtra facta cum ſyrupo acetoſo, & cum aqua cineris, & ex pulueribus, ſicut farina fabarum, & erui, & ciceris,

&

& lupini amari, & ſauich hordei, immo iſta iterum admini-ſtrantur, antequam apoſtementur. Si autem vocati fueri-mus, quando iam phlegmone cœperit, & comperiamus cæcam eſſe puncturam, protinus orificium ſectione congrua diuidere oportet, deinde reliqua, prout dictum eſt, exequi. Si autem neruus vulneratus fuerit danudatus, ab omnibus acribus, & mordacibus abſtinendum, & ob id medicamen-omnia, quæ ex euphorbio, & ſulphure componuntur, ſunt fugienda, ſed ea inſtillanda, quæ abſque omni mordicatio-ne ſiccent, vnde Galenus ſexto Meth. tertio: Si neruus nu-dus appareat, nullum acre medicamentum apponendum, ſed omnis curationis conſilium huc dirigendum, vt mini-ma cum mordicatione ſicces: quamuis enim Galenus de neruo loquatur, qui per medium diſſectus eſt, tamen ea-dem eſt ratio, quando etiam punctim vulneratus eſt, mo-dò ſit denudatus, nemo enim ignorat, quandoque etiam denudatum apparere neruum in vulnere punctim inflicto, & quæ inſtillantur medicamenta immediatè ipſum tange-re. Vnde & tertio de compoſitione medicamentorum per genera, ſecundo: Inſuper illud quoque præmeditatus mul-tum referre, nudæ ne parti medicamentum offeras, an per alia corpora ei præpoſita, conuenire aduerti aliis in nu-dato neruo vti pharmacis, aliis, cum punctus fuerit, par-tibus, quæ ipſi præiacent, illæſis. Vbi enim nudo neruo medicamentum adferas, ibi prædictam auxiliorum inte-gram indicationem aſſumi ratio eſt, præpoſitis autem parti-bus ſaluis tenuius pharmacum inueniendum eſt, cuius vir-tus inter iacentes particulas permeando non diſſoluatur, ſed in altum penetret. Et Auicenna quarta quarti, tract. 4. ca-pitulo ſecundo: Et ſi fuerit neruus diſſectus, non ſufficit aliquid, cui ſit acuitas omnino, & eſt nocumentum illius cum eo magnum. Et inferius: Et cum hoc toto cum neruus eſt diſcoopertus, & vulnus amplum valde, & non ſuffert aliquid valdè calidum, ſicut euphorbium, & ſulphur, & eis ſimilia. Et paulo poſt: Et non oportet omnino, vt ſit in eis de acuitate & mordicatione.

Neruo vulnerato deſecto cauendum ab acribus.

Medicamenta Galeni ad neruos vulneratos detectos.

In hoc igitur caſu Galenus 6. Meth. tertio, & tertio de compoſitione medicamentorum per genera, ſecundo, multa proponit, vt calcem ſæpius elotam, elui autem ſolet æſtatis tempore, ac multo oleo ſolutam, & pompholigem lotam, & id medicamentum, quod ex eo componitur largo roſaceo ſalis prorſus experte liquatum, emplaſtrum ex melle optimo pariter raſaceo ſolutum. Admonet tamen, vt cera, & terebinthia, reſinæque omnes, quibus ad compoſitionem medicamentorum vti proponimus, ſint optimè lotæ, vt mordacitatem omnem exuant. In robuſtioribus probat trochiſcos Polydæ ſapa ſolutos vel eorum vice trochiſcos Andronis, vel Paſſionis, quos primò terit, deinde ſapa ad ſordium ſpiſſitudinem redigit, ita tamen, vt æqualiter leue fiat medicamentum, & hoc linamentis excipiens neruo denudato tepidum imponit. Laudat etiam emplaſtrum diachalciteos, quod æſtate roſaceo, hieme ſabino oleo liquat. Et tertio de compoſitione medicamentorum per genera, quarto: Spicam nardi, amomum, cinamomum, foliumque malabatri. Et quamuis neruo tecto exiſtente adſtringentia improbet, vbi tamen denudatus eſt, laudat, vt aliqua adſtrictione participent, quæ puſillum innatum calorem ipſius nerui tueatur. Vnde Galenus tertio de compoſitione medicamentorum per genera, octauo: In puncturis acriora medicamenta ſunt vſui, quæ vulnus apertum perſeruent: denudatis autem mediocri adſtrictione cum digerente facultate abſque morſu prædicta offerre oportet. Et Auicenna loco citato: Et ſi fuerit in eis ſtipticitas parua in curatione diſcooperti, licitum eſt cum virtute reſoluente ſine mordicatione, & propriè quando infirmus eſt debilis complexionis, vnde medicamenta Galeni recipit.

Medicamenta recentiorum ad neruos vulneratos detectos.

Ætas autem noſtra & propter longum vſum, & propter Spagyricam artem magis exculta, qua multa prius incognita fuerunt adinuenta, longè meliora habet medicamenta, vnde non eſt neceſſarium, vt ad metallica confugiamus, habemus enim oleum ſtillatitium de terebinthina, & abietina lachrima, & ipſum balſamum arte confectum, quæ ſiccare citra

citra morſum, ac digerere valenter poſſunt, mirumque in modum putredini obſiſtere, atque natiuum calorem roborare. Habemus aquam ardentem, aquam balſami, oleum ceræ, iuniperi. Sed & oleum noſtrum de hyperico mira præſtat, præſertim modica aqua ardente, vel balſamo permixtum. Olea verò ſtillatitia modò ſola vſurpamus, modò terebinthinæ, aut abietinæ lachrymæ admixta, quæ tamen reſinæ ſint curioſè lotæ vel aqua communi, vel hyperici florum, vt mordacitatem omnem deponant. Commiſcemus autem haſce reſinas, ne tam promptè euaneſcat medicamentum, quod ob ſummam partium tenuitatem breui contingeret. Eiuſmodi ſunt medicamenta, quæ in vulnus inſtillamus, non enim linamentis excipimus, vt vulnus poſſit diutius tectum ſeruari. Mordacia quidem prima impoſitione videntur, quod ob vehementem eorum caliditatem contingit, ſed paulò poſt quieſcit omnis mordicationis ſenſus; namque ob ſummam partium tenuitatem breui excedens illa caliditas reſoluitur, quare vehementia actionis ocyſſimè, & efficaciter prodeſt, ob breuitatem verò nihil poteſt obeſſe. Extrinſecus Galenus admouebat aliquod ex iis medicamentis, quibus vtebatur in puncturis neruorum, quando tectus eſt neruus, & omnino in puncturis cæcis, quæ ad quatuor genera reducit tertio de compoſitione medicamentorum per genera, tertio quorum primum ex metallicis conficitur, ſecundum ex liquabilibus, inter quæ connumeratur & id, quod ex euphorbio conſtat, tertium ex ſtercore columbino, quartum verò ab eodem vocatur mite, & de ipſis ſatis ſuperius actum eſt. Nos autem, licet hæc non improbemus, fælici cum ſucceſſu applicamus aliquod ex iis, quæ recipiunt oleum ſtilatitium de terebinthina, vel abietina lachrima, balſamum artefactum, Tacahamacam, Carannam, balſamum Peruuianum, & huiuſmodi, ſolidioris tamem conſiſtentiæ, ac ea ſint, quæ in vulnus indimus, de quibus etiam ſuperius actum eſt.

Eadem propemodum conueniunt medicamenta, quando *Ad neruũ*

ex parte tantum diſſectum.

do inciſus eſt neruus, ſiue ſciſſura per longitudinem ipſius acciderit, ſiue per tranſuerſum, neque totaliter fuerit diſſectus, quamuis neruo per tranſuerſum vulnerato, maior conuulſionis metus impendeat, vt ſuperius dictum eſt, & propterea etiam in iis, quæ fluxiones inhibent, liberaliores nos eſſe oporteat. Eadem vſu veniunt, quando à telo contundente, puta à pila plumbea fulmine bellico expulſa vulneratus eſt neruus, quamuis hic etiam longè maior ſit conuulſionis, & putredinis metus, nam & maior eſt læſio in ipſa nerui ſubſtantia, & maius diſpendium paſſus eſt naturalis calor. Prætereà, quod vehementer contuſum eſt, ſuppuret neceſſe eſt, at propter caloris naturalis ipſius nerui penuriam vix fiunt bonæ ſuppurationes, ſed potiùs putredines, vnde procurato vulnere apprimè conducet, ſi ſupponatur aliquod emplaſtrum ex iis, quæ putredinem inhibent, de quibus etiam ſuperius actum eſt. Vtor fœlici cum ſucceſſu emplaſtro ex farina hordeacea, fabacea, & erui, oxymelite, puluere florum chamæmeli, & roſarum rubearum, nec non & roſaceo lumbricato, in maiori caloris naturalis diſpendio vinum addo, & hypericinum oleum.

Curatio per totalem nerui ſectionem.

Vt tutior ſit curatio, quando per tranſuerſum neruus eſt vulneratus, aut aliter lacerata eſt aliqua eius portio, vt periculum conuulſionis tollatur, aliqui neruum vulneratum ſtatim à principio penitus ſecant, & hoc Galenus ſe factitaſſe ſcriptum reliquit tertio, de compoſitione medicamentorum per genera, ſecundo. Hæc eius ſunt verba: Tunc vulneratos in priore, infernaque femoris parte inuento præſidio curaui, in iis ſanè, qui per tranſuerſum percuſſi erant, reliquum tendinis ipſe amputans, vt tuta eſſet mihi curatio; qui verò paruum, vel per directum vulnus acceperant, cum ſecuritate ſimul, & metu totam curationis traductionem perficiens. Et quidem negari non poteſt, quin curatio euadat tutior; nullus enim impendet conuulſionis metus neruo penitus diſſecto, poſteaquam non communicatur affectio à fibris diſſectis ad non diſſectas, quod eſt conuulſionis cauſa vt ſuperius dictum

ctum eſt; attamen, quoniam ex totali nerui præciſione in poſterum debilis futura eſt particula, aliqui abſque totali ſectione vulnus ad ſanitatem perducere conantur: ſi uerò minus proſperè ſuccedat curatio, & mala inſtent, uel aduenerint, tunc penitus neruum, ſeu tendinem amputant, ſic enim ablata tenſione, tollitur etiam conuulſio, dum tamen noxa non fuerit principio communicata, ut ex hoc aliæ quoque partes conuellantur. Vnde Auic. quarta quarti, tract. 4. capit. 1. Et fit multoties neceſſarium tunc abſcindere uulneratum, & punctum cum totalitate, & prouenit ex eo quies, & ſeparantur accidentia mala, & capitulo tertio. Et quando ſignificatur dolor, uel læſio, & timetur putrefactio in uulnere cadente in latitudine, tunc ſeca, uel incide ipſum totaliter, & ſtude, ut præſerues ab apoſtemate, & putrefactione.

Alii præſectorum neruorum capita ignito ferramento tangunt, vt refert Guido ex Rhotlàndo, & Rogerio, vt citius, atque facilius conſolidentur, idque etiam ſcribit Chirurgos ſuæ terræ ſeruare: verum probandus non eſt hic curandi modus; namque omnia acria in vulneribus neruorum, neruo exiſtente denudato, cauere oportet, nihil autem ipſo igne acrius. vnde Hippocrates lib. de art. com. 1. text. 55. dum adurendi modum in humeri luxatione à cauſa interna proponit, monet vt neruos præcaueamus, inimicus enim eſt, dicebat, ipſis neruis. Quare neque probandi ſunt qui omnia vulnera neruoſarum partium oleo feruente comburunt ſtatim à principio, vt prohibeant, dicunt, conuulſionem, non videntes, quomodo ſæuos dolores concitent, & fluxionem accerſant. Sed & in aliud incommodum incidunt, quod poſtea ad eſcharæ lapſum procurandum ſuppurantibus vtuntur, quæ ſunt neruis denudatis pernitioſa, vt quæ neruos putrefaciunt; & proinde ſicuti neruo nequaquam denudato aqua calida pro dolore ſedando reprobatur, eo quod tanquam calida, & humida neruum putrefaceret, alioqui facile putreſcibilem, ita oleum, & oleoſa omnia, ac

De inuſtione neruorum vulneratorũ

Oleoſa, &

pinguia vulneratis neruis inimica.

ac pinguia à neruo denudato ſunt arcenda. Vnde Galenus 6. Meth. 3. Sanè oleo perfundere tale vlcus non oportet, præſertim cum, vt nunc comprehenſum eſt, curatur, nam oleum paſtilli huius viribus eſt aduerſum, ac ſordidum vlcus reddit; neque enim parum intereſt, nudo ne neruo oleum, an per interpoſitam cutem admoueas. Idem comprobat Auic. loco citato. Haud tamen reiicienda dicimus olea; quæ licet conſiſtentia ſint oleoſa, poteſtate tamen efficaciter exſiccant, cuiuſmodi eſt oleum noſtrum de hyperico, oleum Hiſpanæ vulgo appellatum, & artefacta balſama, & alia huiuſmodi. Id igitur intelligendum eſt de oleo relaxante, vnde & cataplaſmata omnia relaxandi vim habentia, vt quod ex farina triticea, & hydræleo conſtat, ſiue tectus, ſiue denudatus ſit neruus, ſunt ablegandi, vt meminit Galenus ſexto Meth. tertio: Quod ſi dolor vrgeat, vt fotus ex oleo ſit neceſſarius, illud ſit tenuium partium, & bimum, aut trimum, & diligenter protegatur vulnus, ne oleum ipſum ingrediatur.

Actu frigida fugienda in neruorum vulneribus.

Illud etiam animaduertendum in omnibus neruorum vulneribus, ſiue nudatus ſit neruus, ſiue tectus, ne quid actu frigidum admoueatur, quamuis enim frigida putredini aduerſentur, præſertim ſi & exſiccandi vim habeant, & videantur temperaturam ipſius nerui tueri, vt qui frigidus eſt natura, attamen, quoniam nerui, vt exangues, pauco innato calore participant, & exquiſitiſſimo ſenſu ſunt prædíti, & continuantur cerebro, & ideo promptè admodum proprias affectiones ei communicant, frigidumque mordax eſt, & dolorificum, vt dicebat Hippocrates quinta, Aph. vigeſimo, & perſpiratum tollit, nihil eſt admouendum, quod actu ſit frigidum, ſed nec tepidum, vtpote quod robur exoluit. Vnde Galenus ſexto Meth. tertio: Id quoque uel in primis ſemper habendum curæ eſt; ne quid ex eis, quæ uulnus contingunt frigidum ſit, quandoquidem ipſa laborans pars, & ſenſilis maximè eſt, & principum partium primati continua, & tem-

temperamento ſuo frigida, quorum omnium occaſione, & ex facili à frigido oblæditur, & ſuam offenſam impartit cerebro: quod ſi ex iis fuerit, quæ in muſculos perueniunt, etiam conuulſionem facilè accerſit. Et tertio de compoſitione medicamentorum per genera, ſecundo: Oleum verò, quo fouemus, ſatis calens eſto, verùm ne vulneratam partem offendat, ſicuti enim frigidum huiuſmodi affectibus eſt maximè contrarium, ſic tepens non omninò vtile: Et paulò poſt: Nam frigidum corpori admotum perſpiratum obſtruit, immò prohibet, calidum verò digerit, ac extenuat: & paulò inferiùs. Propter quòd & ego fomentum ex oleo calente ſatis vſurpare malui, tepidum ſemper vitans, hoc autem magis, frigidum. Et Auicenna loco citato: Et ſimiliter ſi applicaueris medicamen, aut pannum ſuper vulnus, cui obuiat, dum eſt frigidum actu, tunc læſio nerui ab eo eſt vehemens. Et inferiùs. Et de vulneribus, à quibus neceſſe eſt magis elongare aquam, eſt vulnus nerui, & ſimiliter frigus, quamuis minoretur, tamen eſt de rebus nocibilioribus ei. Hippocrates quoque quinta Aph. decimo octauo, frigidum appellat neruis inimicum, & conuulſiones excitare tradit quinta Aph. vigeſimo. Quando verò detectus eſt neruus, Galenus non ſolùm frigida medicamenta abhorret ipſi nudo neruo appoſita, verùm etiam calida æſtiuo tempore, & temperatura calida, tepida verò probat contra eos, qui oleum feruens infundunt. Vnde ſexto Meth. tertio: Aliquando cum id genus vulneris accepiſſet iuuenis quidam Philoſophiæ ſtudioſus, alioqui corpore benè habito, & tum in æſtiuo ſole peruſto, ex Polydæ paſtillis ſapa ſolutis, poſtea ſuper calida aqua tepefactis linamenta imbuta impoſui. Et inferiùs: Abluenda igitur à vulnere ſanies eſt molli lana ſpecillo circumuoluta: madefacere verò lanam ſi placet, ne ſcilicet ſicco vlcus attingas, ſapa ſuffecerit. Eſto verò hæc quoque ipſa tepida primis maximè diebus.

Procurato, vt decet, vulnere, puluillus ex lana, vel cotone, vel linteis, qui calorem naturalem læſarum partium fouere, ac roborare, ambientiſque iniurias arcere valeat, ſuperponendus, inde pars deliganda ad retentionem appoſitorum, & congruo ſitu collocanda, neque ante ſeptimam ſoluenda, niſi quid aliud vrgeat, quo tempore, ſi vulnus à telo ſecante fuerit inflictum, coaleſcere conſueuit abſque alicuius ſymptomatis interuentu. Verùm ſi à telo contundente, differri ſolutio debet, namque & in hoc tardior fit coalitus. Et quamuis Galenus pluries qualibet die vulnus ſoluat, vt videre eſt ſexto Meth. ſecundo, & tertio de compoſitione medicamentorum per genera, ſecundo, & huic Auicenna ſubſcribat locis citatis, attamen tantam vim in temperamento deprehendi, vt à Galeno diſcedere fuerim coactus, non rarò enim ſola reſina, terebinthina, vel abietina, quandoque etiam admixta portiuncula olei ex hyperico, & aquæ ardentis, & vnica medicamenti impoſitione vulnera neruorum, ac tendinum ſanaui, & cum pauciſſimi puris generatione: quid ergo erit, ſi quo valentiori medicamento vſi fuerimus? Hoc tegumentum partes proprio deſtitutas ab iniuriis ambientis defendit, naturalem calorem fouet, ac roborat, unde & pauca admodum excrementa generantur, & quæ neceſſariò generantur à calore roborato fortius expelluntur, hac etiam curatione deuitamus partis motum, & moleſtiam, quæ ex crebra illa manuali abſterſione in omnibus quidem uulneribus prouenit, ſed in uulneribus neruorum potiſſimum propter exquiſitum eorum ſenſum, cuius ratione Galenus dum huiuſmodi uulnera abſtergit, molli lana ſpecillo obuoluta non ſicca, ſed ſapa tepente, primum madefacta, dein expreſſa, vtitur ſexto Methodi, tertio. Hac de cauſa non ſemper ob dolorem vulnus detego, ſed puluillo detracto, relictoque linteo medicamento illito, calente oleo vulnus, & proximas partes foueo, inde iterum puluillum ſuperpono.

Tempus ſolutionis.

Quomodo

Congruo igitur ſitu collocata parte intermediæ partes vſque

vſque ad neruorum principium largo oleo calente ſunt perfundendæ: libenter autem oleum lumbricatum accipio, quod neruis eſt maximè amicum, ſed & oleum liliorum alborum probatur, nec non & vulpinum, atque coſtinum, & de caſtoreo in remotioribus partibus, vnde Galenus 6. Meth. 3. oleo calente vbertim in axillis, collo, tendinibus, ligamentis, & capite vtitur. Quòd ſi vulneratus neruus ex iis ſit, qui in crure habentur, ſicuti cum in manu erat, alæ, ita in his bubones largo oleo imbuendi, tum per totam ſpinam ad collum, & caput aſcendendum. Et Auic. quarta quarti, tract. 4. capitulo ſecundo. Et obſerues membra propinqua vulneribus cum inunctione, & ſimiliter caput eius, & collum, & ſubaſcellas ipſius cum inunctione, ſi fuerit, vulnus in inferioribus, & partibus cruris. Si verò in vulnere putredo apparere incipiat, conuenient ex Galeno 3. de comp. med. per genera ſecundo, trochiſci Andronis, & Polydæ ſapa ſoluti, & linamentis excepti, ac in vulnus inditi, extrinſecus verò aliquod ex medicamentis de euphorbio, nec non & cataplaſma ex farinis iam dictis, & lixiuia facta, vel oxymelite; quandoque etiam ceratum tam humidum, quam in fracturis vtimur, cui euphorbium ſit admixtum, illinit. Vtor ego fœlici admodum cum ſucceſſu præcipitato reſinæ terebinthinæ, aut abietinæ permixto. Hoc medicamentum linamentis excipio, atque putreſcentibus partibus impono. Neque enim ſolutionem adeò protraho propter adnexam putredinem, quæ curationem ad ſe trahit. Extrinſecus idem medicamentum, aut aliud ex iis, quæ euphorbium recipiunt, appono, & demum aliquod ex iis cataplaſmatis, quæ putredini aduerſantur. Partes verò circumiacentes tenſas, ac dolentes oleo roſaceo lumbricato calente fouere oportet, antequam cataplaſma imponatur. In his perſiſto, donec totum, quod computruit, à ſano ſeparetur. Alia medicamenta ad inhibendam putredinem, atque corruptionem propoſita ſunt libro primo, capitulo de putredine, atque

procuranda partes proximæ.

corruptione vulneribus adueniente. Verùm ea deligenda, quæ minus acria ſunt, ſi intra vulnus ſint immittenda, & propterea præcipitatum ſummopere laudo; namque ſtrenuè exſiccat, & putredinem cohibet, dolorem effatu dignum non inferens: ipſum tamen in mollioribus corporibus, ac minori putredine libenter eluo, quamuis neque illotum refugiam. Et quando putredo eſt inſignis, non ſolùm reſinis permiſceo, ſed & ſiccum inſpergo. Hoc medicamento vſus rariſſimè aliis indigui. Quomodo verò uulneratis neruis procurandum ſit totum pro fluxionis inhibitione, ex primo libro petendum eſt, vbi de omnibus euacuantibus, ac reuellentibus, alterantibuſque præſidiis diffusè tractauimus; non eſt enim, quod ea inutiliter repetamus.

Victus ratio. Illud ſolùm moneo circa victus rationem, in omnibus neruorum vulneribus tenuem victum conuenire; ſed in punctura, & tranſuerſa ſectione, non tamen penitus præciſo neruo, tenuiſſimum. A vino penitus abſtinendum. In molli ſtrato collocetur æger, & quieſcat. A frigore ambientis maximè cauendum, nec tantùm ſecundùm vulneratam partem ſed & ſecundùm totum, quoniam ſicuti totum neruoſum genus vnius partis affectionem experitur, ita etiam quæ affectiones accidunt toti neruoſo generi, & maximè principio, facilè parti vulneratæ communicantur ob continuitatem, & vniformitatem ſubſtantiæ, & maior poſteà fit noxa in vulnerata parte, vt quæ læſa iam eſt, atque imbecillis. Curandum igitur, vt ambiens ſit modicè calidus, nam qui ſuperfluè calidus eſt, ſuccos attenuat, ac fluxiles facit. Reliqua, prout in vniuerſalib. dictum eſt, moderari oportet.

Si neruus totaliter fuerit præciſus, eadem curatio conuenit, quæ vulneribus carnoſarum partium; nullum enim faceſſit negotium totalis nerui præciſio, vnde Galenus 6. Meth. 3. At ſi totus præciſus neruus ſit, metus præterea nullus inſtat, debilis tamen particula manebit.

Cu-

Curatio verò communis eſt cum ea, quæ aliorum eſt vlcerum.

CAPUT IV.

De Vulnere cum nerui contuſione abſque diſruptione fibrarum, & de nerui contuſione abſque cutis diſruptione.

TElum contundens aliquando vnà cum carnoſa parte neruum ipſum diſrumpit, ac lacerat, vt obſeruamus quotidie in iis vulneribus, quæ tormento bellico infliguntur, aliquando verò carnoſam quidem partem, vt molliorem lacerat, neruum ipſum autem, vt duriorem ſolummodo contundit, ſeparando etiam fibras inuicem, ipſas verò fibras nequaquam diſrumpit, vt quando minori cum impetu telum vulnerat; aliquando etiam & cutis ipſa ſolummodo contunditur, non diſrumpitur; quandoque etiam ſolus neruus contunditur. Si igitur neruus contuſus, & ſimul ſit diſruptus, aut laceratus, neque tamen fibræ omnes ſint diſruptæ, eadem curatio conuenit, quæ in vulnere ipſius cæcim facto, ſed per tranſuerſum, præterquam quod maiori ſtudio putredinis inhibitioni ſtudere oportet, vt ſuperiùs dictum eſt. At ſi diſrupta parte carnoſa, ſeu cute, neruus ſolummodo ſit contuſus, pariter conueniunt medicamenta, quæ moderatè calefaciant, ſed fortiter exſiccent, quemadmodum & in vulneribus neruorum. Sed præterea, quoniam fibræ ipſius nerui à ſe inuicem abſceſſerunt, opus eſt, vt quamdam vim adſtringendi habeant, qua partes nerui diſſidentes cogant, atque conſtringant, vnde Gal. 6. Meth. 2. Contuſi verò nerui, vbi cum his vnà cutis quoque contuſa, exulcerataque eſt, medicamenta poſtulant, quæ in ſiccando quidem commune nerui vlcera ſanantium conſilium ſeruent: Cæterum quæ partes, quæ per contuſionem à ſe diſſident, contrahere, conſtringereque ſint apta. Et Auic. loco citato capitulo quinto: Quòd ſi fuerint illic in cute vulnera etiam, tunc neceſſaria ſunt illa, in quibus ſunt exſiccatio fortis, & aggregatio, & ſtrictura,

ctura, quibus aggregantur partes contuſæ, & conferat vulneri.

Procurato igitur vulnere, ſuperponendum cataplaſma ex farina fabacea, & oxymelite, veluti Galenus conſulit loco citato: addo interdum puluerem roſarum rubearum, & radicum conſolidæ maioris. Probatur etiam cataplaſma ex farina fabacea, & vino ſubadſtringente, atque puluere roſarum rubearum. Si magis ſiccans medicamentum requiratur, loco fabaceæ farinæ accipietur farina erui, etſi adhuc magis, puluerem radicum iridis Illiricæ addere oportebit. Si dolor vrgeat, antequam imponatur cataplaſma, fouendus locus aliquo oleo tenuium partium. Probatur oleum oliuarum maturum bimum, aut trimum, oleum lumbricatum, oleum camæmeli, anethinum, irinum, & huiuſmodi Cataplaſmati quoque doloris ratione addit Galenus picem liquidam, & cum reliquis benè coquit. Addo ego vtiliter puluerem florum camæmeli, & hypericinum oleum. Hic quoque cataplaſmata omnia relaxantia ſunt fugienda, aqua & omnia actu frigida. Proximæ verò partes vtiliter aliquo ex dictis oleis calente perfundentur. At ſi contuſa ſit cutis, non tamen diſrupta eadem erunt ex vſu, ſi excipias quæ ad vulneris curationem attinent. Auicennas inſuper proponit carnem oſtrearum, ceratum ex ſale, & emplaſtrum cum thure, & myrrha. Si verò ſolus neruus ſit contuſus, quod raró admodum contingit, vt id ſemel tantùm viderit Galenus, ſatis erit partem perfundere oleo calente, quod digerendi facultatem habeat, cuiuſmodi eſt oleum maturum tenuè bimum, aut trimum, & camæmelinum ex tali oleo paratum, præſertim lumbricatum, oleum rutaceum, & alia ſuperiùs propoſita, oleum ſtillatitium de terebinthina mirifice neruis contuſis ſuccurrit, atque ſi timeatur eius caliditas, permiſceri poterit cum roſaceo lumbricato. In hoc etiam caſu Auic. laudat carnem oſtrearum. In his quoque affectibus totius cura habenda eſt, vt prohibeatur fluxio.

Carpet

Carpet nos forſitan quiſpiam, quod à negotio vulnerum diſceſſerimus, tractantes contuſorum neruorum abſque vulnere curationem. Verùm ſatius duximus nonnihil à noſtro inſtituto recedere, quàm permittere vt lector à nobis deſideret alicuius violenti ictus neruo contingentis curationem, poſteaquam affinis eſt quodammodo hæc tractatio ei, quæ de Vulneribus.

CAPUT V.

De vulneribus cum oſſis fractura.

QVàm arduum ſit, atque operoſum vulnera tractare, quibus oſſium fracturæ connectuntur, variæ in hac re illorum ſententiæ, qui ea curare profeſſi ſunt, apertè demonſtrant; neque enim antiquiores inter ſe; neque recentiores conueniunt; immo neque qui noſtris temporibus medicinam faciunt, idem ſentire videntur. Quod enim ad antiquos attinet, alij primis diebus ſolius vulneris curam habebant, & vbi vlcera pura facta fuerant, deligabant ad fracturæ compoſitionem; alii verò vt & fracturæ, & vulneris rationem haberent, hinc inde deligabant; & vlcus abſque vinculo relinquebant, quod poſtea aliquo medicamento ad vulnera idoneo curabant. Item alii hinc, alii inde capita faſciæ iniiciebant. Hippocrates primas circumuolutiones ſupra vulnus ipſum faciebat, & à principio oſſa reponebat, aut tranſacto inflammationis periculo, nec ferulas apponebat, niſi poſtquam præteriiſſet inflammationis periculum. Ex recentioribus quoque alii volunt, vt deligatio hinc inde fiat, & vlcus detectum relinquatur, vt eius propria habeatur curatio. Alii vinculo vulnus quoque comprehendunt, & quotidie ſoluunt, vt vulnus curent. Alii ferulas abiiciunt, alii accipiunt. Et ex his alii procul à vulnere illas collocant, alii verò vnam ponunt ſupra ipſum vulnus, verùm perforatam, vt per foramen pus exeat, ac medicamenta congrua in vulnus immittantur. Nunc pariter

alij hac via incedere deprehenduntur, alii illa; alii deligant hinc inde alii penitus, alii nullam adhibent deligationem; alii crebrò, alii per longa interualla ſoluunt, cum tamen longa experientia iam verum modum comprobare debuiſſet.

Non mediocriter igitur nobis laborandum eſt, vt quinam ſit germanus modus talia vulnera tractandi, ſeligamus. Quia verò à rei natura agendorum indicationes ſumuntur, in primis differentias huiuſmodi vulnerum proſequi oportet. Fracturas tamen cranii, vt quæ peculiarem prouidentiam expoſcant, in aliud tempus reiicere decreuimus. Quoniam autem duo ſunt affectus, videlicet vulnus ipſum, & fractura, in vtroque conſiderandæ ſunt differentiæ. Verùm de vulnerum differentiis aliàs egimus idcirco ſatis eſt, ſi eas tantùm, quæ ad fracturas attinent, conſideremus, ex quibus etiam ſolùm quæ vtiles ſunt ſeligemus.

Differentiæ. Si igitur os vnà ſit fractum, aut hoc ei accidit ſecundùm totam ipſius ſubſtantiam, ita vt vna eius pars ab altera ſit ſeparata; aut ſecundum aliquam tantum ipſius partem. Si ſecundùm totam ſubſtantiam, ita vt tranſuerſim tota oſſis ſubſtantia ſit diuiſa, quæ quidem maximè propriè fractura dicitur, & cauledon factam Græci dicunt, aut hoc eſt à telo ſecante, aut à vi diſrumpente: ſi à vi diſrumpente, aut hæc fractura eſt æqualis, & plana, aut inæqualis, & fruſtuloſa. Præterea aut eſt ſimplex, aut multiplex, ita vt etiam comminuta ſint oſſa. Amplius, aut à proprio loco oſſa receſſerunt, aut in ſuo naturali loco perſtiterunt: atque ſi receſſerunt, aut os extra eminet, aut intus ſub carne manſit, atque vel denudatum eſt, vel carne tegitur. Præterea aut oſſis aliqua portio abſceſſura eſt, vel magna, aut etiam in tota ſubſtantia, vel parua, aut nullius oſſis abſceſſus expectatur. Item aliquando fragmenta oſſis vi ictus, ſeparata fuere, aliquando verò nullum oſſis fruſtulum à reliquo oſſe fuit diuiſum. Tandem aliquando fractura eſt è vulneris directo,

ſto, aliquando verò procul à vulneris orificio. Si verò os penitus, hoc eſt ſecundum totam ſubſtantiam non fuerit fractum, ſed ex parte tantum, aut talis fractura eſt ſimplex ſectio, ſiue tranſuerſim, ſiue obliquè, ſiue per ipſius oſſis longitudinem fuerit facta, quæ ab Hippocrate ſedes teli appellari conſueuit, aut contuſio, de qua diffuſius tractatu de Vulneribus capitis; aut rima, atque vel cæca, vel patens, & aut ſecundùm latitudinem ipſius oſſis, aut ſecundùm longitudinem, quæ Græcè ſi patens fuerit, ſchidacelon fieri dicitur, quemadmodum tradit Gal. 6. Meth. 9. atque aut ſimplex, aut multiplex, atque vel integra eſt oſſis ſubſtantia, vel eius aliqua portio abſciſſa, vel quouis alio modo à reliquo oſſe detracta. Similiterque aut expectatur oſſis diſceſſus, aut nullus futurus eſt oſſis abſceſſus. His addere poſſumus alias differentias, quæ à parte affecta deſumuntur. In iis tamen non immorabimur, cum omnibus per ſe ſint manifeſtæ.

Ad quatuor autem genera reducuntur cauſæ omnes fracturæ oſſis, frangit enim os quod contundit, durum, & magnum exiſtens, ſi valido impetu percutiat, aut comprimat, quod incidit, aut perforat: vnde & feræ dentes oſſa frangunt. Vis flectens, aut obtorquens; vt ſi violenter obtorqueantur oſſa, cum enim ob ariditatem flecti non poſſint, diſrumpuntur. Et occurſus cum impetu corpori cuipiam duro, vt patet in iis, qui ex alto ceciderunt. Has quatuor cauſas recenſuit Galenus libro de fract. com. 2. tex. 9. his verbis: Nam quatuor ſunt maximè generales cauſæ, ex quibus oſſa frangi conſueuere, quia vel aliquid, quod contundere poteſt, ſuper ipſum magno defertur impetu, atqui palam eſt, oportere corpus id durum quidem ſubſtantia eſſe, non autem molle, neque paruum: vel quod incidit, non modò cutem, & quicquid ſub ipſa eſt vſque ad oſſa, ſed ipſa etiam oſſa. Quomodo & ex alto quidam deſilientes os femoris, vel tibiæ fregerunt, quippe qui ea rariora, nec denſa ſatis habebant. Vidimus interdum, & in palæſtra ex circumtorſione, quemad-

Cauſæ fractu rarum.

admodum euenit, cui tibia vnà cum ſura infracta fuit, cum adeò magno vulnere, vt oſſa quoque nudata fuerint. Ea uerò fractura illata eſt per tranſuerſum ſubiecto crure tibiæ aduerſarii, atque eius utriſque capitibus, nempe quod iuxta genu eſt, & quod iuxta pedem uiolenter deorſum agendo depreſſis.

Si[illegible] fracti oſſis.

Os fractum eſſe immiſſo per uulnus digito, aut ſpecillo facilè cognoſcitur; inæqualitas enim percipitur. Et ſi deficiat oſſis ſubſtantia, fouea remanet, ut latere non poſſit. Si penitus fractum os fuit, tractantes partem haud ægrè cognoſcimus, ſtrepitus enim oſſium ſe mutuò confricantium, & colliſio ipſa ſentitur. Obtorqueretur etiam membrum, atque ſi quid immittatur, quod flecti non poſſit, aut diſrumpi, & os impellatur, non reſiſtit, ſed cedit. Membrum etiam vix, aut nullo modo ſuſtentatur. Si præterquam quod abruptum eſt os, à proprio loco ſit egreſſum, quod præſertim contingit, quando à re contundente, aut à vi diſrumpente, & omnino quando citra muſculorum ſectionem, aut diſruptionem os artuum eſt fractum, contractis muſculis versùs proprium principium, quod fieri non poteſt, quando ipſi ſunt penitus præciſi; vitiatur partis conformatio, ex altera enim parte apparet tumor, in quam videlicet os prorupit, & cauitas ex altera, à qua videlicet receſſit, conſpicitur; breuius fit membrum, niſi duobus oſſibus ſuſtentetur, & vnum tantum ſit fractum, dolor eſt vehemens, quia ab oſſe extante tenduntur partes; ſed adhuc maior, ſi adſint fragmenta, quæ pungant ſentientes partes, & ſi adſint fruſta ſeparata, quæ pungant, præterquam quod ſæpè ſpecillo immiſſo deprehenduntur, compoſita fractura puncturæ permanent, & ſi comprimatur membrum, augentur, ex quo vnà licebit cognoſcere, vbinam reperiantur.

Signa abſceſſuri oſſis.

Os abſceſſurum ſignificant nigrities ipſius, mobilitas, ita vt vix hæreat reliquò oſſi, modo à carne ſit denudatum, & omnino os à carne penitus denudatum ſolet abſcede-

ſcedere, ſicuti & quod reponi non potuit, vnde Hippocrates libro de fract. text. com. 44. In quibus autem oſſa reſtitui nequiuerunt, ſcire licet, hæc abſceſſura eſſe, atque ea etiam, quæ omnino carne nudata ſunt.

Si vulneri fractura oſſis acceſſerit, & os penitus non fuerit fractum, nihilo periculoſius cenſendum eſt vulnus, quam ſi citra oſſis fracturam ſolæ molliores partes fuiſſent vulneratæ; os enim non eſt pars ad vitam neceſſaria, aut ſenſu prædita, vt poſſit dolores, & inflammationes concitare, ac nobiliores partes in conſenſum trahere. Longius tamen protrahitur curatio quando ſanari vulnus non poteſt, priuſquam fractura callo ſit obducta, quod tardius fieri ſolet ob partis terreſtreitatem. Eò etiam tardius ſanabitur, ſi os ſit abſceſſurum cæteris paribus. De tempore autem, quod ad oſſis ſeparationem requiritur, poſterius tractabitur. Si verò os penitus ſit fractum, & à proprio loco partes fractæ receſſerint, vel altera tantùm, valdè periculoſum eſt, ob vulnus enim imminet fluxio, & inflammatio, ſed præterea ab oſſe à proprio loco egreſſo tenduntur muſculi vulnerati, itaque inflammationis, & conuulſionis periculum augetur; additur poſtea extenſio, vt oſſa reſtituantur, & ex ea nouus accidit dolor, & ex conſequenti noua inflammationis, & conuulſionis cauſa. Addamus, quod muſculi ad proprium principium retracti, & proinde breuiores redditi, reſtitutis oſſibus ad priſtinam magnitudinem reuertuntur, quare & hac ratione tendantur neceſſe eſt; quocirca niſi prima, aut altera die fiat reſtitutio, vel poſtquam ſedata eſt inflammatio, conuulſio facilè ſequetur, & ideo Galenus tertio de fract. text. 42. Cur ergo eſt, quod cum oſſa, quæ alternatim dimota ſunt, tam in fracturis, quam in luxationibus, dum reponuntur, muſculorum conuulſio ſequitur, nam iſtius quæſtionis ſolutio in hoc maximè videtur conſiſtere. Membrum in fracturis, & luxationibus, quam eſſet prius, breuius redditur, cùm os cutem perforauit. Vbi autem oſſa denudata in ſuam ſedem reſtituta ſunt, ad ſuam priſtinam magnitudinem redit, quo deinde ſit, *Præſagia.*

vt muſculi, qui iam inflammatione tentantur, vnà cum toto membro cogantur extendi, vnde duplici laborant extenſione, ea quam ex inflammatione contraxerant, & hac, quæ dum redeunt ad priorem longitudinem, eis accidit.

Hinc etiam fit, vt periculum longè maius ſit, quando os egrediens plures partes, & maioris momenti, cuiuſmodi ſunt muſculi, nerui, & venæ, atque arteriæ, vulnerat. Vnde vulnus in femore, & humero cum oſſis exitu maximè eſt periculoſum, ita vt pauci euadant, ſiue reſtitutio fiat, ſiue non, quamuis longè pauciores ſeruentur, ſi fiat reſtitutio ob ſuperius allatas cauſas, vnde Hippocrates tertio de fract. tex. 47. Illi autem ferè non euadunt, quibus oſſa, aut brachij, aut femoris extra exiere. Quippe cum & prægrandia ſint ea oſſa, & plurimum medulloſa: atque cum multa præterea ſint, & magni momenti ea, quæ vulnerantur, nempe nerui, muſculi, & venæ, vnde & ſi ea reponas, conuulſiones concitari ſolent. Sin autem minimè reponas, febres acutæ ſuboriuntur, llioſæ, cum ſingultu, & nigritia. Illi tamen non minus euadunt, quibus neque reponimus, neque reponere tentamus. Præterea verò & illi potius euadunt, quibus inferius os, quam quibus ſuperius extra excidit. Superſtites etiam & illi ſunt interdum, quamuis raro, quibus ea reponuntur. Et ſuperius, text. videlicet 41. Conuulſio tamen magis ſi reſtituentur, quam ſi reſtitui non poterunt, inducetur. Et Celſus libro 8. cap. 10. Grauius aliquando eſt, cum oſſis fracturæ carnis quoque vulnus acceſſit, maximeque ſi id muſculi femoris, aut humeri ſenſerunt, nam & inflammationes multò grauiores, & promptiores cancros habent. Augetur periculum, ſi os à parte domeſtica egrediatur; in illa enim partes maioris momenti reperiuntur, quam in ſilueſtri. vnde Hippocrates tertio de fract. text. 47. Nec parum inſuper refert in exteriorem ne brachij, aut femoris partem os erumpat, cum multæ, ac præcipuæ venæ per interiorem femoris partem deferantur, quarum ſi aliquæ conuulnerentur, ho-

Fracturæ femoris, & humeri cum vulnere periculoſiſſima.

hominem iugulant, pauciores verò per exteriores. Hinc nos monet Hippocrates tertio de fract. text. 50. vt huiuſmodi fracturas, ſi fieri honeſtè liceat fugiamus, tanquam parum exiſtimationis nobis allaturas, exigua enim in his eſt ſpes ſalutis, & multa pericula emergunt, atque ſi oſſa non reponamus, expertes huius artis videbimur, ſi verò reponamus, ad interitum propiùs, quàm ad ſalutem deducemus.

Oſſe fracto prope articulum valde periculoſum.

Similiter eadem de cauſa periculoſius eſt vulnus cum fractura prope oſſis caput, ſiue à parte ſuperiori exiſtat, ſiue inferiori, quam in medio, ſiquidem plures tendines, & nerui in his partibus reperiuntur, quam in medio. Quòd ſi prope articulum, vel in ipſo articulo fuerit vulnus, ac fractura, caſus eſt difficillimus, & maximè lethalis, vt enim ſuo loco explicabitur, vulnera articulorum ex facili maligna euadunt. Si ergo fractura oſſis adiungatur, vehementiores aderunt dolores, & inflammationes maiori momenti, præterquam quod talibus vulneribus, ac fracturis congruam medelam adhibere non poſſumus, vnde Celſus libro octauo, capitulo 10. Quibus periculis etiam magis expoſitum eſt id, quod iuxta ipſos articulos ſitum eſt. Semper etiam augetur periculum, quando præter fracturam adſunt oſſis fruſtula, quæ partes ſentientes pungant, ob maiores enim dolores maius eſt fluxionis periculum, & quò plura fuerint, magis inæqualia, ac inter ſe ſeparata, eò maius eſt periculum, & difficilius etiam committuntur. Quòd ſi fruſtula in parte oppoſita ipſi vulneri reperiuntur, quæ manuum opera extrahi non poſſint per ipſum vulnus, quemadmodum accidit non rarò, adhuc periculum eſt maius, & niſi cita ſuppuratio, & abſceſſus diſruptio, aut ſectio arte facta in ea parte exitum paret, imminent febres malæ, conuulſiones, deliria, gangranæ, & ſphaceli. Conſideranda eſt autem, vt certius quid futurum ſit, prædicere valeamus, ægrotantis natura, & proinde temperamentum, ætas, conſuetudo, præcedens victus ratio, regio, anni tempus, & huiuſmodi,

di, non enim omnia corpora æque ſunt fluxionibus obnoxta, & omnino æquè patibilia; aliqui enim ex paruo affectu ob naturæ imbecillitatem, vel quia prauis ſuccis ſcateant, & huiuſmodi de cauſis intereunt, qui ſi melius eſſent conſtituti, ſeruarentur. Aliqui è conuerſo ex grauiſſimis affectibus ob probam conſtitutionem ſeruantur, qui aliter perirent: & propterea Hippocrates loco citato. Superſtites etiam interdum, & illi ſunt, quamuis rarò, quibus ea reponuntur; magna enim intereſt differentia inter curationem, & curationem, atque inter naturam, & naturam corporum ad facilius tolerandum.

Repoſitis oſſibus poſt ſecundam diem, & intra ſeptimam, conuulſio ſequitur,

Si fortè ad curationem vocati, comperiamus, ab aliquo repoſita oſſa poſt ſecundum diem, & intra primum ſeptenarium, prædicenda erit futura conuulſio, niſi citra moleſtiam oſſa reſtituta detrudi ad priorem locum poſſint, duplici enim tenſione laborant muſculi, & ea videlicet, quam habent ex inflammatione, vt dicebat Galenus tertio de fract. text. 42. & ea, quæ illis accidit, dum membrum breuius factum ad propriam magnitudinem redit, vnde fieri non poteſt, quin ſequatur conuulſio; quæ ſi ſuperueniat oſſibus repoſitis, exigua eſt ſpes ſalutis, ideo Hippocrates loco citato, text. 40. Ac eo ipſo die, aut poſtero vectis adhibendus, ac membrum extendendum, non autem tertio; & longè minus quarto, & quinto; quoniam ſi his diebus faceſſas oſſibus negotium, nec illa in ſuam ſedem reſtitues, & inflammationem concitabis, & nihilo etiam ſeciùs, ſi ea reſtituas. Et text. 41. Conuulſio tamen magis, ſi reſtituentur, quàm ſi reſtitui non poterunt, inducetur, atque hæc optimè ſunt animaduertenda, quia ſi conuulſio poſt repoſitionem accedat, anguſtus locus ſpei ſalutis relinquitur. Tunc autem expedit, vt os retro expellatur, ſi id tamen poteſt fieri citra moleſtiam. Et tex. 47. In his enim, quæ laxiora ſunt, quam par ſit, neque conuulſio, neque rigor excitatur, ſed in his, quæ magis intenta ſunt, de quo nunc ſermo habetur.

Sa-

Sanitas, quæ non repoſitis oſſibus ſequitur, non prorſus eſt inculpata, vitiata namque remanet figura, & membrum fit breuius, ſicuti & quando totus oſſis circulus abſceſſit, & quando oſſa vnà fracta, & imminuta curantur, vt inquit Hippocrates tertio de fract. text. 46. Sub ipſa quoque fractura membrum ſolet tabeſcere; nam ob oſſibus extra proprium locum exiſtentibus comprimuntur venæ, & arteriæ, vt defectus alimenti, & caloris vitalis in parte neceſſariò ſequatur, & ex conſequenti partis atrophia, & imbecillitas, tum ob caloris vitalis defectum, tum etiam quia ab oſſibus comprimuntur, & nerui. Pariter, ſi totus oſſis circulus abſcedat, vt inquit Hippocrates tertio de fract. text. 46. & vtraque oſſa fracta ſint, & alternata, neceſſe eſt membrum breuius euadere. Si prope articulum, aut in ipſo articulo fuerit vulnus, & fractura, vt plurimum ſequuta ſanitate pars motum habet difficilem, namque à callo, qui ex oſſis excremento gignitur, ligantur quodammodo tendines, ligamenta, & oſſa ipſa articulorum. *Quæ ſanitas expectanda non repoſitis oſſibus.*

Tardiùs etiam, & difficiliùs ſequitur ſanitas non repoſitis oſſibus, tum propter multa loca vacua, quæ remanent, tum propter ſymptomata, quæ faciliùs, non repoſitis oſſibus ſuperueniunt, coalitum impedientia: ſed & craſſiori callo opus eſt, qui oſſa non commiſſa coniungat, & firmet. Si oſſa fracta in propria ſede manſerint, quod præſertim contingit, quando à telo ſecante penitus præciſum eſt os, nam & vnà ſecantur muſculi, & ita ad proprium principium contrahi nequeunt, quod eſt in cauſa non raró, vt os fractum moueatur ſimul attractum; minus periculi ſubeſt, neque enim ab oſſe tenduntur, & vulnerantur carnoſæ partes, neque tenſione opus eſt, vt oſſa reſtituantur. Debilis tamen pars ſuperfutura eſt propter totalem muſculorum, ac neruorum, vel tendinum præciſionem. *Tardè, & ægrè coaleſcunt oſſa non repoſita.*

Præterea ſi præciſum os ex maioribus fuerit, cuiuſmodi eſt os femoris, & humeri, præciſæ partes ægrè coaleſcunt, *Os à telo ſecante præciſum ægrè coaleſcit.*

 præ-

præſertim ſi recta fuerit inciſio, quod quidem euenit, quoniam à telo ſecante pori ipſius alimenti oſſis, per quos reſudabat oſſis excrementum pro calli generatione, quodammodo obſtruantur, atque ita impeditur egreſſus materiæ ipſius calli, quare mirum non eſt, ſi poſtea tardus fiat coalitus. Præterea tam æquali exiſtente fractura, vix poſſunt oſſa fracta immota ſeruari, motus autem eſt ex iis, quæ coalitum impediunt, minora verò oſſa magis immota ſeruantur, & præſertim ſi duobus in parte exiſtentibus oſſibus, vnum tantum ſit fractum. Et ideo Auicenna quinta quarti, tract. 2. c. 1. Et fractura prauioris incarnationis, & vnitionis eſt illa, quæ ſecundùm rotunditatem, deinde illa, quæ declinat, non enim adhæret, niſi ſuperlongetur ligatura habens fabricationem mirabilem tempore longiſſimo, & ſumat ex cibis, & medicinis, quæ præparant ſanguinem ad illam rem. Lenitas etiam oſſis partium, quæ propter inciſionem remanet, calli generationem prohibet, & eo magis, cum aſſiduè ſuperficies illæ à vulneris excrementis perfundantur; ſicuti enim lenitas, & humiditas oſſis carnis generationem prohibet, vt dicebat Auicenna quarta quarti, tract. quarto, capitulo ſecundo, & propterea exaſperari deſiderat, vt ſuper ipſum caro exoriatur, ita de callo exiſtimandum eſt.

Quando os ſit abſceſſurum aut ſquamam emiſſurum.

Quod autem ad tempus ſeparationis ipſius oſſis, ſcire licet, huic rei non eſſe præfinitum aliquod tempus, aliquando enim citius, aliquando tardius fit ſeparatio. Citius enim ſeparantur oſſa, quæ citius areſcunt, & quæ ſuccreſcente carne citius propulſantur, & ideo paruum os citius abſcedit, & quod in extrema eſt parte, & quod rarum eſt, ſicuti & quod vi ictus aliqua ex parte ſeparatum eſt, vt modicum remaneat ſeparandum, vnde non ſolùm intra vigeſimam, ſed & intra decimam quartam, & vndecimam vidi oſſa recedere; maiora verò oſſa, & ſolidiora tardius abſcedunt, nam & tardius areſcunt, & á ſuccreſcente carne tardius propulſantur, & ideò communiter ſtatuitur terminus eorum ſeparationis dies quadra-

drageſimus, quamuis nonnunquam, & ad ſexageſimum, & ad ſeptuageſimum etiam differatur abſceſſus, vt experientia teſtatur, immo & ad ſex menſes, & annos propter virtutis imbecillitatem, ſiue imbecillitas ſit naturalis illius partis, ſiue ad totum ſpectet, vt contingit in ſenibus; & ideò quando tarda fit ſuppuratio, tardus etiam fit abſceſſus, vires enim ſunt imbecillæ; at quando citæ fiunt ſuppurationes, citius quoque ipſa oſſa propelluntur: fortiores enim ſunt vires, & citius ſuccreſcit caro. Hinc & curatio non parum facit ad citum, vel tardum receſſum; etenim ſub vna curatione vires fiunt robuſtiores, & magis areſcunt oſſa, quam ſub altera. vnde Hippocrates tertio de fract. text. 45. Propter hæc igitur, quæ nuper dicta ſunt, non poſſumus vno verbo, quando oſſa receſſura ſint, aperire. Sunt enim ex eis aliqua, quæ propter paruitatem, alia quæ propterea quod in extrema parte ſunt, citius abſcedunt, alia verò minimè abſcedunt, ſed ſquamam emittunt, præterea & curatio à curatione plurimum differt. Plerumque tamen oſſa his quam citiſſimè abſcedunt, quibus ſuppurationes citiſſimæ fiunt, citiſſimeque, & optimè caro pullulat. Nam quæ in affecto loco carnes ſuccreſcunt, oſſa plerumque attollunt. Tamen totius oſsis circuitus, ſi in quadraginta diebus recedat, optimè recedit, aliqua enim ad ſexageſimum vſque diem perveniunt. Inter oſſa enim, quæ rariora ſunt, ea etiam velocius excidunt, tardius verò quæ ſolidiora. At quæ minora ſunt, breuiori etiam ſpatio, quam hoc ſit: alia etiam aliter excidunt.

Tempus conatus. Tempus quoque agglutinationis non eſt idem in omnibus oſſibus, os enim cubiti, teſte Hippocrate libro de fract. text. 6. triginta diebus firmatur. Os verò brachij, vt inquit Hippocrates eodem text. nono, quadraginta diebus. Os pedis, vt idem aſſerit text. decimo, viginti diebus. Oſſa tibiæ quadraginta, vt inquit ext. 21. Os femoris eodem teſte text. 23. quadraginta, quamuis ſi haud probè coaptentur oſſa, tardius firmentur. Sicuti & quæ

non ſeruantur immota, in quibus etiam callus imbecillior generatur, vnde Hippocrates loco citato text. 26. Sed & omnia oſſa tardius corroborantur, ſi non ſecundùm naturam poſita fuerint, itemque ea, quæ non in eadem figura quieſcunt, & calli quoque debiliores ipſis obducuntur. Sed tempus hoc ab Hippocrate poſitum de fractis oſſibus abſque vulnere intelligendum eſt, quando enim vulnus adiungitur, tardiùs fit coalitus, & adhuc tardiùs, quando ſymptomata ſuperueniunt, vnde ad tres menſes, & vlterius etiam vidi protractam tibiæ fractæ vnà cum vulnere agglutinationem. Quod verò os fractum non coaleſcat vero coalitu in adultis, ſed ſolummodo interuentu calli circumcirca fracturam ex ſuperfluo oſſis exorti, in primo libro explicatum eſt, quicquid enim ex eo, dicebat Galenus libro primo, de fract. com. primo text. 40. in ea effuſione inter ora confracti oſſis detentum concreſcit, id tempore ab eo, à quo contingitur, oſſe commutatum tandem oſſi ſimile redditur, & callus nuncupatur. Explicatum eſt etiam, ſi portio eius deficiat, non reſtaurari, qua de cauſa contingit cicatrices cauas reddi, quando portio oſſis deeſt, ſiue à cauſa vulnerante dempta fuerit, ſiue opere naturæ abſceſſerit, quod & Hippocrates ſcriptum reliquit 6. Aph. 47. Si enim, dicebat, vlcera fuerint annua, neceſſe eſt os abſcedere, & cicatrices cauas fieri. Non poteſt ab oſſe parte ſiccisſima tanta caro ſuccreſcere, quæ totam cauitatem repleat, & quæ ſuccreſcit tractu temporis exſiccatur, & attenuatur, fitque callus, vnde & cauitas redditur maior; labra etiam vulneris concidunt oſſe deficiente.

CAPUT VI.

De curatione Vulneris cum oſſis fractura.

SIcuti vulnus vnionem indicat, ita quoque oſſis fractura; & ſicuti, ſi deficiat ſubſtantia carnis, oritur indicatio regenerandi carnem, ita, ſi deficiat oſſis ſub-

ſubſtantia, ea eſt regeneranda, quæ omnia palam eſt eſſe naturæ opera. Verùm quod ſubſtantia deficiens ſpermaticarum partium, & earum præterea, quæ ſicciores ſunt, ac duriores, cuiuſmodi ſunt ipſa oſſa, regenerari non poſſit, aliàs oſtenſum eſt, & proindè non eſt expectanda oſſis deperditi regeneratio, ſi dentes primo ortos in pueris excipias. Satis eſt, ſi ex ſuperfluo alimento oſſis quidam callus generetur, qui locum ſubeat oſſis deperditi. Pariter neque veram agglutinationem in oſſe fieri, niſi in pueris, primo libro explicatum eſt, ſed tantummodo calli interuentu, qui circumcirca fracturam alligat.

Cum ergo ad huius calli generationem requiratur & agens, quod eſt natura partis, & materia, quæ eſt alimentum ſuperfluens ipſius oſſis, temperatura partis eſt *Indicationes.* ſeruanda, & naturalis calor adiuuandus, ac roborandus, vt opus ſuum, prout neceſſarium eſt, poſſit exercere, parandaque idonea materia pro calli generatione; quæ cum ſit alimentum ipſius oſſis, craſſius videlicet, & magis terreum, vt dicebat Galenus 6. Meth. 5. quàm aliud quoduis nutrimentum in toto animali, idcircò talis alimenti generatio eſt procuranda, vt non ſolùm generetur, quod faciat ad oſſis nutritionem, ſed & ad calli generationem. Quare vberius erit alendum, & cibaria, quæ multum nutriant, & non ſolùm craſſum, ſed & tenacem ſanguinem generent, erunt exhibenda, aliter fieret callus friabilis. Verùm, quoniam à principio fluxio, & inflammatio imminet, quæ temperiem partis euertit, & illis materiam ſuppeditat talis victus, idcirco non à principio procuranda erit materia generationis calli, ſed poſtquam inflammationis tempus præterierit, quo etiam tempore opus erit aliquid extrinſecus apponere, quod concretionem redundantis oſſis alimenti in fracturæ labiis adiuuet. Immo & à principio omni ſtudio fluxionem inhibere oportebit, quemadmodum in primo lib. traditum eſt. Amplius, cum ea, quæ agglutinanda ſunt, ad mutuum con-

contactum reducta eſſe oporteat, ſi fortè oſſa fracta à propria natura diſceſſerint, vt Hippocratis verbis vtar, in proprium locum erunt reſtituenda, atque vt in eodem conſeruentur, ſtudendum. Immo non ſolùm vt broba fieri poſſit agglutinatio, coaptata oſſa ſeruari neceſſe eſt, verùm etiam quia dum à proprio loco dimouentur, partes ſenſitiuas tendendo, ac pungendo, euadunt morbificæ cauſæ. Cum autem nihil inter oras agglutinandas interponi oporteat, cauere opus erit, dum ſit adductio, ne quid extranei interponatur, puta oſſis aliqua portio à reliquo oſſe, & carne ipſa ſeparata, aut carnis portio, & poſt ipſam adductionem etiam excrementa, quæ in vulneribus gigni ſolent, & propterea extranea corpuſcula erunt auferenda, paranduſque generandis excrementis effluxus, & humorum fluxio cohibenda. Quid ratione ipſius uulneris ſit agendum, in primo lib. copioſè tractatum eſt.

Curatio oſſis non penitus fracti aut diſciſſi.

Si igitur ita fractum os fuerit, vt eius portio à reliquo oſſe ſit ſeparata, integra exiſtente tota oſſis ſubſtantia, hoc eſt, minimè fracto per tranſuerſum oſſe, & illa oſſis portio carnoſæ parti fuerit adnexa, ſiue à telo ſecante contigerit, ſiue contundente, non oportet, quod nonnulli faciunt, portionem illam oſſis vi extrahere, ſed curandum, vt parti, vnde fuit ſeparata, hæreat, & ideo ſi à proprio loco fuerit egreſſa, à quo non raró à maſculis versùs eorum principium trahitur, ad eundem retrahenda, & conuenienti deligatione, de qua poſteriùs, vt in eodem loco maneat, curare oportebit. Reducta itaque oſſis portione, in eodem loco manu aut propria, aut miniſtri erit continenda, donec vulnus procuretur, quod non aliter tractandum eſt, ac ſi vulnus abſque oſſis fractura contigiſſet; vnde inſtillato aliquo medicamento ex ijs, quæ vim habent calorem naturalem fouendi, ac roborandi, extrinſecuſque appoſitis penicillis, & linteo eodem medicamento, vel alio eiuſmodi illitis, ſuperpoſitiſque aliis linteis, quæ ſufficiant ad protegendam partem ab iniuriis ex-

externis, & fouendum naturalem calorem, idonea faſcia deligetur pars. Deligatio autem ſit talis, vt contineat os in ſua ſede, & ab oſſe fracto, & vulnere expellat influentes ſuccos, & quod etiam in ipſa parte continetur, aliò exprimat, de qua quidem deligatione poſterius tractabitur. Quod verò ad reliqua, tractetur pars, & totum, veluti in vniuerſalibus traditum eſt.

Os quando auferendum.

Si oſſis portio non ſolùm à reliquo oſſe, verùm etiam & à carnoſa parte ſeceſſerit, tanquam demortua, & omnino extranea auferenda eſt, dein curandum vulnus, ac ſi abſque oſſis fractura exiſteret. Quod & faciendum eſt, quando os rimam ſolummodo contraxit, ſiue cæcam, ſiue patentem. At ſi eo modo fractura contigerit, vt oſſis portio non penitus à reliquo oſſe ſit diſiuncta, ſed ex parte tantum, qua ratione fiat, vt ſit mobilis, dum comprimitur, aut aliter tractatur, ſiquidem ea valdè ſit mobilis, vt citra vim poſſit auferri, exiſtimandum eſt, aut eam non amplius viuere, aut mox interituram; quare auferenda. Si reſiſtat, nec citra vim poſſit detrahi, naturæ onus relinquendum, quæ aut eam agglutinabit, ſi vitæ fuerit capax, aut ſuo tempore à reliquo oſſe ſeparabit.

Si oſſa fracta à proprio loco receſſerint, quid agendum.

Verùm, ſi tota oſſis ſubſtantia fuerit fracta, atque oſſa è proprio loco diſceſſerint, ſtatim à principio, prima die ſcilicet, vel ad ſummum ſecunda, prius quam videlicet parti ſuperueniat inflammatio, conuenienti extenſione reducenda erunt ad proprium locum oſſa, detractis tamen prius fruſtulis, ſi quæ adſint detrahenda. Dico autem in proprium locum, quia niſi adamuſſim coniungantur partes fracti oſſis, periculum eſt, ne ſanies intra relictas cauitates contineatur, & inflammationes, abſceſſus, corruptiones, & alia mala excitet, vnde Galenus libro de fract. comm. 2. text. 67. Osſis fracti partes ita coniunctas eſſe oportet, ſicuti quando membrum id naturaliter ſe habebat, nec vllum inter ipſas inane ſpatium relinqui, in qua detenta ſanies osſi periculum ſiderationis inferat. Et

Et 6. Meth. quinto, ob hanc cauſam monebat, vt caueremus, ne in reducendis osſis fracti partibus extantiæ quædam diſrumperentur; ſi enim ſemel comminutæ perierint dicebat neceſſe eſt inter applicata ſimul oſſa vacans interueniat ſpatium, in quo ſanies collecta, atque in tempore putreſcens, totum pariter membrum ſecum corrumpet. Si verò à principio non fueris vocatus, ſed tertia, aut quarta die, vel poſtquam partes cœperunt inflammari, tunc non erit tentanda reductio conuulſionis metu, ſed ſolùm cum ſedata fuerit phlegmone, vel tempus inflammationis opportunisſimum præterierit, quod quidem intra octauam præterire ſolet, vt ait Hippocrates libro de fract. text. 34. Hoc eſt Hippocratis conſilium libro de fract. vnde text. 33. de vulneribus cum osſis fractura ſermonem habens: Qui verò ad vnum, aut duos dies lanis deligare iuſtum cenſent, tertia verò, ac quarta linteis deligantes premunt, ac extendunt, hi in re multi adeò, & magni in medicina momenti ſe imprudenter gerunt. Minimè etiam tertia, aut quarta die omnia vulnera mouere oportet, & vt in ſumma dicam, etiam omnes ſpecillorum admotiones vitare conuenit in his diebus, & alia quoque quibus vulnera irritantur. In totum enim tertia, & quarta dies in pleriſque vulneribus recrudeſcentias pariunt, & quæ ad inflammationem, & ſordes procedunt, & quæ ad febres deueniunt. Et text. 34. Quicunque tamen iuſtum eſſe putant lanis vti, donec ſeptem præterierint dies, deinde verò extendere, ac dirigere, & linteis deligare, hi non ſimiliter imprudentes videri poterunt: nam & maximum inflammationis periculum præteriit, & oſſa laxa, & apta poſt hos dies ſunt. Longè tamen, & hæc curatio ſuperatur ab ea deligatione, quæ ab initio fit linteis. Et text. 25. Hanc autem per vectes commotionem, & extenſionem eadem die, aut ſecunda facere oportet, non autem tertia, minimè verò quarta, aut quinta; nam etiamſi non reponas, ſed aliàs moleſtiam exhibeas his diebus, inflammationem induxeris, quantò magis, ſi reponas?

naſ? Conuulſionem tamen multò magis induxeris, ſi reponas, quàm ſi reponere omittas. Atque hæc probè noſſe conuenit, ſi enim reponenti conuulſio acceſſerit, non multa ſalutis eſt ſpes. Et paulò poſt: Poſtquam verò ſeptem præterierint dies, aut paulò plures, ſi ſine febre fuerint, aut vlcus non inflammatum ſit, tunc minus vetat, vt reponere tentes, ſi ſperas obtenturum te eſſe. ſin minus, non oportet fruſtra moleſtiam ſuſcipere, & inſerre. Et rectè quidem inquit Hippocrates ſi ſine febre fuerint, & vlcus non inflammatum ſit, quoniam à principio frequenter obſeruamus, ſi inſignis fuerit fractura, & inſigne vulnus, inflammationem, cum ſuperuenit, diutius prorogari, atque tantiſper interdum, vt admodum difficilis reddatur fractura ad reductionem, & quandoque aliquo callo, vel carnoſa portione in ſpatiis inanibus genita ſpem ferè reductionis tollit, & propterea à principio arripere occaſionem oportet, vt reducantur ad locum proprium elapſa oſſa.

Conuulſione poſt repoſitionem ſuperueniente pauca eſt ſpes ſalutis.

Si opportunè igitur non fueris vocatus, ſed ſolummodo poſtquam inflammatio cœperit, vel cum iam immineat, & ob id reductionem tentare nequeas, totis viribus contra inflammationem pugnandum erit, præcipuè autem per ea, quæ fluxionem aliò auertunt, & materiam ineptam ad fluxionem reddunt, & omnino fomentum fluxioni detrahunt, & propterea & ſanguinis miſſione tum euacuatoria, tum reuulſoria, & purgatione calidorum præſertim, & tenuium ſuccorum, & ſerapiis infrigidantibus, & incraſſantibus inhibenda erit fluxio; atque prætereà omni alio reuulſionum genere, frictionibus videlicet validioribus, vinculis, cucurbitulis, & inſuper intercipientibus itineri admotis, repellentibuſque circa affectam partem. De parte enim recipiente tantiſper ſolicitum eſſe oportebit, ne promptè recipiat. Promptè non recipiet, ſi fluxiones repellantur; ſed & ſi eo modo tractetur, vt nullus dolor inferatur, & cauſa omnis doloris arceatur, & robur partis ſeruetur, & quam primum ſup-

Quid agendum ſi inflammatio ſuperuenerit aut immineat ante reductionem.

ſuppuratio procuretur. Vnde congruo ſitu collocanda erit pars, videlicet ſuo ſitu naturali, & in quo melius decumbit; habenda eſt enim & aliqua conſuetudinis ratio, vt monebat Galenus ſexto Meth. quinto: Vulneri verò applicandum erit medicamentum, quod calorem naturalem foueat, & ſuppurationem adiuuet, ſi ſit ſuppurandum, niſi quid ſuperueniat, quod aliter procedendum ſuadeat. Et hoc, aliqui volunt, intellexiſſe Hippocratem libro de fract. text. quinquageſimo quinto, quando dicebat: In prædictis illis diebus (quando videlicet ob inflammationem reductionem tentare non licet) moleſtiam exhibere non oportet, & curam adhibere, vt vlcus minimè inflammetur, & maximè ſuppuretur; dum enim in congruo ſitu collocata parte, atque vulneris ori applicato medicamento non amplius partem contrectamus, moleſtiam non exhibemus; Dum verò fluxioni occurrimus, inflammationem prohibemus, dum tectam ſeruamus partem, roborando natiuum calorem, ſuppurationem molimur. Tranſacto inflammationis tempore, ſi ſperes te reductionem obtenturum, aliter enim, vt dicebat Hippocrates libro de fract. text. trigeſimo quinto, non oportet fruſtra moleſtiam ſuſcipere, tentanda erit reductio, congruam extenſionem adhibendo, quæ hoc tempore præſertim adiuuanda erit per ferrei uectis admotionem inter oſſa fracta; animaduertendo, vt vectes ſint fortes, neque flexibiles, vnde Hippocrates lib. de fract. text. trigeſimo quarto: Sint autem valida ferramenta quantum fieri poteſt, vt ne flectantur; & propterea ſint & chalybe, & illis aqua, vt artis eſt, durities, ac renitentia erit comparanda: neque ſolùm hoc tempore, ſed etiam à principio vectium, & cuneorum vſus erit maximè congruus, & forſan etiam neceſſarius; cum enim ob uulnus non liceat tantam facere extenſionem per attractionem partium citra ipſorum uſum parum prodeſſe poterimus, ſi id operis, quod conficere oportebit, alicuius fuerit momenti, & uis ſit adhibenda, vnde Hippocrates text. 34. &

In repoſitione partis quæ conſideranda.

Tranſacto inflammationis tempore quomodo tentanda reductio.

& de illis ferramentis loquens, hoc magnum auxilium eſt, ſi & ferramenta idonea fuerint, & ſi quis veluti conuenit, commotionem faciat. Et tex. trigeſimo quinto: Nam ex omnibus inſtrumentis, quæ homines machinati ſunt, fortiſſima hæc tria exiſtunt, aſelli circumductio, per vectes commotio, & cuneorum vſus. At ſine horum aliquo, aut ſine omnibus, nullum vehementiſſimum opus homines conficiunt. Non igitur ſpernenda eſt hæc per ferreos illos vectes commotio, aut enim hoc modo, aut nullo alio in ſedem ſuam collocabuntur.

Vectium ergo talis erit vſus, opus eſt inter oſſa diuiſa idoneum vectem ponere (idoneum dico, quoniam alios latiores, alios anguſtiores paratos habere oportet, vt iuxta fracturæ exigentiam hi, vel illi deligi poſſint) ita vt pars ſuperior vectis ſpectet verſus os, quod exterius prolapſum eſt, & ita extenſionem facere, ac ſi quid eleuare velles, donec oſſa è directo collocata videas, deinde paulatim relaxare, atque vectem educere, vnde Hippocrates libro de fract. text. trigeſimo quarto: Ferramenta facere oportet ad eum modum, quem vectes habent illi, quibus lapicidæ vtuntur, alia latiora, alia anguſtiora: eſſe verò conuenit tria, aut plura etiam, quo quis congruis vtatur; poſtea cum his vnà cum extenſione motionem aggredi oportet, ita vt ad inferiorem oſſis partem ſubijcias, ad ſuperiorem verò oſſis partem ſuperiorem ferramenti partem innitendo firmes, in ſumma quemadmodum, ſi quis lapidem, aut lignum vehementer vecte commoueat. Quòd ſi fortè fortuna in ſuperiori parte os comminutum, vel adeo fractum fuerit, vt vecti non detur commodus locus, iuxta Hippocratis conſilium loco citato ſcalpris abradenda, quæ comminuta ſunt, & ſi acutum quid promineat, auferendum, vt tuta ſedes vecti paretur.

Variæ ſententiæ circa deligationem Paulus.

Facta reductione tractanda erit pars, ac vulnus curandum, ſicuti ſi à principio reductio facta fuiſſet. In quo quidem, & veteres, & neoterici non valdè conſentientes reperiuntur. Paulus Ægineta, vt videre eſt libro ſepti-

mo, capitulo 167. circulares faſcias partibus vulneris vtrobique iniicit, obliquas verò per vlceris longitudinem, vt iuxta hiatum occluſio ex omnibus fiat, dein ſi ſordidum eſt vulnus, purgantia adhibet, ſi purum, quæ carnem inducunt, linteolis illita, aliamque comprobatam vſu materiam. Eadem curationis ratione vtebantur multi Hippocratis tempore, vt videre eſt libro de fract. text. vigeſimo octauo. *Auic.* Auicenna ſi vulnus non ſit in loco fracturæ, ad latera vulneris deligationem ducit, & vulnus detectum relinquit, quod tamen poſtea aliis linteis tegit. At ſi vulnus ſupra fracturam extiterit, eadem ferè deligandi ratione vtitur, qua Paulus, hinc inde enim deligationem ducit, ita vt compreſſio fiat ſupra fracturam, ſed vulnus relinquatur detectum, vt medicamenta poſſint adhiberi, immò haſtellam quamdam è directo vulneris ponit, habentem foramen vulneris orificio reſpondentem, vt per illud foramen immitti in vulnus medicamentum poſſit, & excrementa vulneris expurgari, vnde dicebat ſexta quarti, tract. ſecundo, capitulo nono: Et quidam præcipiunt, vt incipiant cum ſtrictura à duobus lateribus vulneris, & dimittatur vulnus diſcoopertum, hoc quidem eſt melius, ſi vulnus non fuerit ſuper fracturam ipſam, deinde oportet, vt ſit ſuper ipſum velamen aliud ita vt tegat ipſum ab aere. Quod ſi fuerit ſuper fracturam, tunc oportet, vt ingeniosè conetur in figuratione ſtricturæ, ita vt cadat ſecuritas, & firmitudo ex omni latere, & ſeparetur parumper à vulnere ipſo cum præparatione conuenienti ad illud, ingenioſus autem modus eſt, vt ponatur extremitas ligamenti ſuper labium vulneris, deinde trahatur, vel inuoluatur tranſuerſum ad poſteriora, & firmetur cum ligamento alio, & ponatur ſuper labium aliud inferius, deinde ordinetur reliquum ligamentum, vt oportet, deinde tranſuerſè ducatur, ita vt remaneat vulnus ipſum apertum, & quod eſt præter ipſum, ſit firmum ex eo, ita quod iam aſcendit ligamentum, & deſcendit ligamentum, & cadat ſupra fracturam ſtrictura vehemens,

&

& remaneat vulnus apertum, vt diſcooperias ipſum, quando volueris. Et tibi ineſt, vt facias ſuper haſtellam foramen oppoſitum illi vulneri, vt perueniat, vel applicetur medicina vulneris ſuper ipſam, & poſſit egredi virus ab eo. Celſus eodem modo deligandum cenſet, quo deligantur fracturæ oſſium ſine vulnere. Latiores tamen faſcias eligit, & laxiùs deligat, quàm ſi vulnus non adeſſet, ſed pluribus vtitur faſciis, vt numero faſciarum idem præſtet, quod pauciores, verum arctiùs circumdatæ. Præterea quotidie partem ſoluit, & vulnus medicamentis nutrit, quod lib. 8. ſuæ Medicinæ cap. 10. colligi poteſt. Refert Rhaſis 29. Continentis trac. 1. capitulo ſecundo. Chirurgos ſui temporis duabus faſciis conſueuiſſe ligare, vna de parte inferiori, vt vtar ipſius verbis, vſque ad locum vlceris, alia de parte ſuperiori vlceris, demiſſo loco vlceris abſque ligatura penitus. Vnde & inferius refert ex cuiuſdam opinione locum vulneris debere remanere diſcoopertum, vt poſſit curari cum liciniis, & unguentis. Eadem etiam inferius ipſemet aſſerit, curationem meliorem in fractura cum vulnere eſſe, vt os vulneris dimittatur diſcoopertum, in quantum poſſit manare de eo ſanies. Guido Cauliacenſis & ipſe hinc inde deligat, & vulnus abſque vinculo relinquit, quamuis deligationem incipiat ab inferiori membri parte, & rurſum circumuolutiones ducendo progrediatur. Pareus inter recentiores primas circumuolutiones ſupra vulnus facit, ſed quotidie vulnus detegit, & curat. In libro tamen de faſciis alia vtitur deligatione; non enim eam adhibet, quæ fit multis illis ſpirarum circumuolutionibus, ſed vnam tantùm facit circumuolutionem, eamque ſupra fracturæ, & vulneris locum faſcia triplici linteo contexta, & ea latiori, vt non parum etiam de ſana parte comprehendat. Hoc autem, vt quotidie vulnus detegi poſſit, & curari præter doloris concitationem, aut partis exagitationem in explicatione faſciæ tot ſpirarum circumuolutionibus iniectæ,

Celſus. *Rhaſis.* *Guido.* *Pareus.*

Improbantur. Sed in omnibus iſtis curandi rationibus peccatur, quoniam ex crebra detectione vulnera recrudeſcunt, ad ſuppurationemque non perducuntur, vnde & os alteratur, atque corruptionis periculum ſubit, præter alia mala, & damna, quæ ex detectione vulnerum contingere aliàs diximus, & in præſenti caſu ob inſignem oſſis læſionem facilè admodum contingunt. Magis tamen peccatur, quando æqualis non fit deligatio, ſed hinc inde, & vulnus prætermittitur; neceſſe eſt enim vulneris labia in tumorem eleuari, ſicuti manifeſte patet, ſi quis hinc inde partem ſanam deliget in ſpatio intermedio deligationem omittens; citò enim pars abſque vinculo relicta in tumorem eleuatur, cum ad eam, vtpote laxiorem, à ſuperioribus, & inferioribus partibus exprimatur materia, quare vlcus prauum fiet, & os fractum male afficietur. Et Hippocrates defectum huius curationis, quam optimè explicat libro de fract. text. vigeſimo octauo dicens: Alii verò rurſus ſunt, qui talia ſtatim linteis curant, hinc atque illinc deligant, vlcus verò ipſum relinquunt, & perfrigerare ſinunt, deinde ſuper vlcus purgatorium aliquod imponunt, & ſpleniis vino imbutis, & lanis ſuccidis curant. Hæc curatio eſt mala, &c. & paulo poſt: Teſtatur autem & ipſa hæc medicina, neceſſe eſt enim ei, qui ita deligatur, tumorem ad ipſum vlcus eleuari, etenim ſi ſanum corpus hinc, atque illinc fuerit deligatum, in medio verò relictum, iuxta relictum vtique ſpatium maximè intumeſcet, ac decoloratum reddetur; quomodo ulcus hæc non perpetietur? Neceſſe eſt igitur, ut ulcus quidem decoloratum ſit, & labiis euerſum, ac protuberans, uerùm lachrymoſum, & non ſuppurans. Oſſa uerò etiam quæ diſceſſura non erant diſcedant, ſed & pulſans, & febriens ulcus fuerit. Et quoniam uno inconuenienti dato, multa contingunt, exiſtimantes hæc uulneri ſuperuenire ob uulneris prauitatem, uel cacochymiam, non autem propter perperam factam curationem, cataplaſmata uaria ulcerati parti apponunt relaxantia,

Hippocrates reprobat ſuprapoſitas deligationes.

do

doloris ſedatiua, & ſuppurantia, atque ita malum malo addunt: nam languenti parti inutile, immo damnoſum pondus apponunt, ac tandem coguntur ſoluere deligationem, atque citra ipſam vulnus curare, ex quo multa contingunt inconuenientia, vnde Hippocrates ſubiungebat: Coguntur autem propter tumorem cataplaſma apponere, quod & ipſum incommodum eſt his, quæ hinc, atque illinc deligantur; pondus enim inutile ad pulſum reliquum accedit. Poſtremò autem deligamenta reſoluunt, vbi iam malum ipſis recrudeſcit, & de cætero citra deligationem curant: neque verò minus, etiamſi quoddam aliud eiuſmodi vulnus acceperint, eodem modo curant; non enim deligationem hinc, atque illinc factam, & vlceris perfrigerationem in cauſa eſſe putant, ſed aliud quoddam infortunium. Et adeo diſplicet Hippocrati hæc curatio, & tanti momenti eſt ab ea diſcedere, ut in ea damnanda præter ſuum morem longiori oratione fuerit vſus, vt & ipſe teſtatur, dum ſubiungit: Attamen de hoc tam multa non ſcripſiſſem, ſi non certò ſcirem, incommodam eſſe hanc deligationem, & multos eſſe, qui ita curent, & magni momenti eſſe hanc rem dediſcere, & teſtimonio eſſe hæc, quod rectè ſcripta ſint ea, quæ prius ſcripta ſunt.

Vt igitur veram, atque conſentaneam curationem hiſce vulneribus adhibeamus, operæ pretium eſt ad methodum confugere atque ex natura rei proprias indicationes deſumere. Morbus, qui curandus proponitur, eſt vulnus cum fractura oſſis in tota ſubſtantia, itaque duplicem habemus morbum, videlicet vulnus, & oſſis fracturam, quamuis vterque ſub continui ſolutione euidenti reponatur: & hi ſunt præſentes: ſed alter inſuper imminet, videlicet morbus in ſitu, qui quidem præerat, ſed nunc abeſt, cum vulneris curationem cum oſſis fractura curemus, reductis ad proprium locum collapſis oſſibus. Attamen,

Vnde elicienda ſit vera deligandi ratio.

tamen, quoniam oſſa adhuc non ſunt agglutinata, leui negotio extra proprium locum efferri poſſunt. Imminet etiam fluxio, & ex conſequenti inflammatio ob partis imbecillitatem, ac dolorem à vulnerante cauſa excitatum, & extenſionem, qua ad oſſa prolapſa reducenda vſi fuimus, atque aſpera partis vulneratæ tractatione, ſolus enim Deus fracturas cum vulnere citra dolorem pertractare poteſt, dicebat Hippocrates. Imminet igitur fluxio, & ex conſequenti inflammatio, & alia, quæ ad fluxiones conſequi ſolent, vnde Galenus loco citato: Timendum eſt enim, ne tum ex illa in diuerſum vulſione, quam membrum in ſuam formam effingentes adminiſtrauimus, tum vel magis ex eo, quod cauſæ, quæ fracturam faciunt, plerumque circumdatam oſſibus carnem conſtipando, contundendoque prius lædunt, magnæ ſubſequantur phlegmones.

Indicationes. Sicuti ergo vulnus vnionem indicat, ita etiam oſſis fractura, quæ tamen non eſt artis opus, ſed naturæ, ſiue enim vera vnio fiat, ſiue per medium heterogeneum, ſuperius oſtenſum eſt, id eſſe naturæ opus. Quare medicus tanquam ipſius miniſter debet ea tollere, atque auertere, quæ naturæ opus interturbant, atque impediunt, & curare, vt idonea materia præparetur, ac ipſi naturæ ſubminiſtretur ad calli generationem. Impediretur quidem agglutinatio illa, ſiue alligatio, ſi oſſa fracta iam reducta in proprio ſuo loco immota non ſeruarentur, ſed vel ex motu quopiam, vel prauo ſitu, vel alio quopiam huiuſmodi iterum extra propriam ſedem propellerentur; neceſſe eſt enim, vt ægrotans interdum ſomnum capiat, dormiens autem curam partis non habet. Fieri etiam non poteſt, quin eidem cubile nonnunquam reſternatur, & ipſemet deiiciendæ alui gratia ſurgat, aut aliquo modo ſe aptet, & ita corpus totum moueatur vnà etiam cum parte affecta, ſicuti & idem opus interturbaretur, & forſan etiam prohiberetur, ſi fluxio ad partem fieret, ita, vt inflammatio, vel putredo ſubſequeretur, atque corruptio:

ptio : hoc enim in caſu, & agens ineptum redderetur ad calli generationem, ſiquidem partis temperies euerteretur, & materia quoque deficeret idonea ad calli generationem. Immo humiditas quædam præter naturam intra diuiſas partes colligeretur, quæ calli generationi obſiſteret. Itaque ex parte oſſis fracti duo hæc potiſſimum erunt ſpectanda, vt videlicet oſſa reducta in proprio loco contineantur, vnde Galenus ſexto Meth. quinto : Ab iis ſecundum, quo diriges, fuerit, vt immotum prorſus membrum conſiſtat, ne quid eorum, quæ affixeris, moueatur, quando ita neceſſe eſt ea rurſum diſſidere, & vt fluxio prohibeatur, & inflammatio, cuius rei curam in primis habere oportet, vt dicebat Galenus loco citato, ſic enim & ſalubris ſubſtantia partis conſeruabitur. Quid autem uulnus in carnoſa parte requirat, primo lib. explicatum eſt. Vt ergo fracta oſſa iam reducta firma, & immota in ſua ſede conſeruentur, donec callus ſuccreſcat, ac etiam phlegmonis generatio prohibeatur, deligatione omnes vtuntur; quare non erit temerè iniicienda, certum eſt enim, quòd non quæcunque deligatio, quæ facilè dimoueri poſſit, firmabit, aut partem à fluxione defendet, quin imò deligatio inepta, vt cuique notum eſt, non raro fluxiones accerſit, & phlegmonis generationi præbet cauſam.

Animaduertendum tamen maximum momentum poſitum eſſe in labiorum adductione ; vt & ſi conſuantur labia, longè facilior reddatur curatio ; omnes enim partes ſuo naturali tegumento delectantur, & dum reducuntur labia, tollitur omne vacuum, in quo promptè admodum colliguntur excrementa ; quod quidem eſt potiſſima inflammationis cauſa ; quapropter ſi ſubſtantia carnis non deficiat, non ſolum adducenda labia, verùm etiam conſuenda ; & hoc modo tractatis vulneribus, vt in praxi obſeruaui, præparatur facilis ad ſanitatem via : Quod ſi labia non adducantur, plerumque ſuccreſcunt abſceſſus, & alia mala ſymptomata. Vtroque modo tractaui hæc vul-

vulnera in noſtro Noſocomio, quod mihi licebat ob multitudinem vulneratorum quæ ibi recipitur; feliciuſque ſanabantur quibus ſutura adhibebatur; Sed cauendum ne multiplex ſit oſſis fractura, contineanturque in vulnere oſſium fragmenta; tunc enim non ſolùm inutilis eſſet ſutura, verùm etiam importuna & noxia, quòd prohiberetur effluxus. Si adhibeatur ſutura, eæ cautiones locum habent, quæ in primo libro traditæ ſunt.

Deligantes quæ reſpicere debeant.

Deligantes igitur, in hoc ſtudere debemus, vt deligatio firmet, vias, per quas fieri poteſt fluxio, coarctet, & quoniam id ſuperfluum, quod eſt in parte, dum ab eius natura non regitur, non leuiter confert ad inflammationis generationem, idcircò ad ſanas partes, & eas longinquiores illud exprimat oportet, non enim, dicebat Galenus ſexto Method. quinto, negligendum, quin totum ſuperuacuum humidum ex omnibus, quæ circa fracturam habentur, partibus exprimas; ac præterea nihil obſit, vnde nequaquam ſit dolorifica, talis enim fluxionem aduocaret. Itaque quoniam laxa deligatio non continet, nimis verò arcta dolorem infert, vtrumque exceſſum vitare oportet, ita vt neque nimis partem coarctemus, neque etiam laxior ſit deligatio, ſed conſtringamus quantum fieri poteſt abſque dolore, & ideo etiam potiùs copia linteorum, quàm robore pars erit firmanda, vnde Galenus ſexto Meth. quinto: At uerò cum laxior deligatura oſſibus moueri permittat, arctior uerò conſtringendo dolorem excitet, danda opera, ut uirato ambarum incommodo, utriuſque fruamur commodo. Id fiet, ſi quod nimium eſt, declinabimus. Ergo nec adeò arctare deligaturam debemus, vt nimis comprimat, nec adeò remittere, vt laxior ſit.

Faſcia qualis.

Neque etiam quacunque faſcia deligandum nobis eſt, ſi prædictos ſcopos noſtra deligatione aſſequi volumus; nam exempli gratia, quæ lacera eſt, non continebit, neque extenſionem feret; quæ eminentias, & extuberantias habebit, inæqualiter adſtringet, & aliquibus ſui partibus ni-

nimis comprimet, & erit dolorifica, ſicuti & quæ latior ſit, ita vt magnam membri partem comprehendat, propter inæqualitatem enim partis, cui circumuoluitur, rugas contrahet: qua de cauſa dicebat Galen. loco citato: Ac ſiquidem æqualis eſſet craſſitudinis membrum quodque, vtique latiſſima faſcia eſſet commodiſſima, vtpotè quæ totum æqualiter, continenterque omni ex parte fractum os complecteretur. Sed quoniam id non eſt, pectori quidem latiſſimam licet circumponas, artubus verò, & iugulo non potes, ſed in talibus vtilior eſt anguſta, vtpote quæ nec rugas contrahet, & totius membri, cui circumdata eſt, cutem continget. Sed neque minus noxia eſſet anguſtior faſcia, quam ſit ipſum vulnus; talis enim vulnus veluti zona cinctum teneret, atque dolorem afferret. Pariter quæ breuior exiſtit, cum etiam ſit anguſta, partes oſſis fractas non firmaret, neque tuto contineret, præterquam quod, ſi ferulæ forent neceſſariæ, ab ijs partem non defenderet. Vnde Galenus loco citato: Verùm ſi paucis complexibus continet, parum tuta eſt. Quantum igitur ſecuritatis ex anguſta deficit, tantum ei ex iniectionis numero, & verſus integram deductionem eſt adiiciendum. Præterea cum ab hac deligatione habere debeamus, vt phlegmonis generationem prohibeat, tum vias arctando, & ſuccorum affluxum prohibendo, tum etiam quod ſuperflui ſucci in parte affecta continentur, alio exprimendo, manifeſtum eſt, citra diſcrimen non eſſe iniiciendas primæ faſciæ circumuolutiones, neque omnes æquales eſſe debere, hoc eſt, æqualiter comprimere, ſed ita diſponendas, vt ab ægra parte ad ſanas fiat expreſſio, qua ratione Galenus loco citato: Sed quoniam deligationum quæcunque citra dolorem carnem conſtipant, coarctantque, id vitium habent, vt ex iis partibus, quibus primum iniiciuntur, ſuccos exprimant, in eas, in quas ſunt finitæ, reponant, atque fingant, non alienum à ratione arbitror deligaturæ principium ſuper ipſam fracturam inijci: ab hinc verò ad reliquum mem-

brum diſpenſari. Etenim qui contra deligat, is ab integris ad ægram partem ſanguinem compellit. Atqui, ſi ab ægro loco incipiat, in integrum finiat, non ſolum innoxia eiuſmodi deligatura in iis, quæ diximus, erit, ſed etiam vtile quiddam contulerit. Quippe cum nullum circa fracturam ſinet excitari phlegmonem.

Conſideranda. Vt ergo recta fiat deligatio, primò deligenda erunt idonea deligamenta, hoc eſt, ex idonea materia, conuenientis latitudinis, atque longitudinis; deinde conſiderandum, qua parte initium deligationis facere oporteat, & quo deligando tendere, & quam arcta debeat eſſe deligatio, & ubi magis premere oporteat, & vbi laxius deligare, & qua ratione talis deligatio fiat, quæ firmet, & repellat à parte, non autem ſit dolorifica. Quibus non vt opus eſt, obſeruatis, mala multa contingere ſolent, vnde Hipp. lib. de fract. text. 28. maximum eſt cognoſcere, quo initium lintei ducere oportet, & qua parte maximè comprimere, & quæ vtilitas contingat, ſi quis initium lintei rectè iniiciat, & qua maximè oportet parte premat, ſed hinc, atque illinc id faciat.

Faſciæ quales. Faſciæ ergo debent eſſe læues, tenues, & molles, & quidem magis molles etiam, quam ſi vlcus non adeſſet. Non ergo conſutæ ſint, neque extuberantias habentes, vt coarctare æqualiter ualeant, atque ſine dolore. Nec tamen flaccidæ, ſed ſanæ, vt quantum ſatis eſt, citra lacerationem premere poſſint, atque extenſionem ferre. Latitudo faſciarum à magnitudine partis, & amplitudine vlceris innoteſcit; debent enim eſſe aliquanto magis latæ; quam vlcus ipſum, præcipuè circa principium, ſi enim anguſtiores eſſent ipſo vlcere, vlcus ipſum cinctum tenerent, atque dolorem inferrent. Longitudo tanta ſit, quanta requiritur, vt deligatio & ſupra vlcus, & infra comprehendat non parum de parte ſana, factis debitis circumuolutionibus, quæ tot ſint, quot requiruntur ad firmamentum partis, & ne ligamenta à parte vincantur,

vtque

Vtque à ferulis dein imponendis partem defendant, neque tamen tam multæ, vt pondus aliquod afferant.

Qualitas deligationis talis eſſe debet, vt firmet, non comprimat partem, & magis in fracturam, quam infra, vel ſupra, & ideo potius copia linteorum, quam robore, vnde cum patiens refert, lintea eſſe, quidem firma, ſed non compreſſa, & maximè ſupra vlcus, deligatio erit conueniens, debet enim deligatio firmare quidem, non autem comprimere, & dolorem inferre. Debet autem ſupra ipſam fracturam magis eſſe arcta, vt à parte fracta verſus ſanas exprimatur materia. Et quoniam ratione vlceris pars eſt magis dolori expoſita, quam vbi fractum eſt os citra vulnus, idcircò paulo minus arcta debet eſſe deligatio ſupra fracturam, quam ſi vulnus non adeſſet. Hæc omnia docuit nos diuinus Hippocrates, qualitatem enim faſciarum propoſuit libro de Chirurg. off text. ſexto dicens: Deligamenta ſint pura, læuia, mollia, tenuia. Et inferius: Præparare autem oportet lintea læuia, tenuia, mollia, pura, lata, non conſuta, neque extuberantias habentia, & ſana vt extenſionem ferant, & paulò præſtantiora. Quam molles autem ſint, oporteat, libro de fract. text. vigeſimo nono declarat, dicens: Lintea autem ſemper quidem mollis modi ſint, magis tamen in talibus, quam ſi vlcus non haberent, & quo primum deligamus, multo latius ſit ipſo vlcere. Longitudinem ſimul cum latitudine proponit libro de Chirurg. off text. octauo dicens: Longitudo, & latitudo deligamentorum trium, aut quatuor, aut quinque, aut ſex cubitorum quidem longitudo, digitorum autem latitudo, & affulcimenti circumductiones ſic ſint, vt ne comprimant. Multitudinem deligamentorum proponit eodem loco dicens: Deligamentorum multitudo, vt ne ſuperetur à loco læſo, neque per ferulas illiſio fiat, neque pondus, neque circumcirca inclinatio, neque effæminatio deligamenti fiat. & eodem: Deligatio autem multam ſanè loci partem occupet. Qua autem parte magis comprimere oporteat,

Qualitas deligationis.

& qua minus, eodem loco docet, dicens: Iuxta locum affectum maximè comprimere oportet, minimè extremas partes, reliqua pro ratione, vnde libro de fract. text. 29. Si verò deligatus fuerit, videatur is ſibi lintea firmata quidem eſſe, non autem compreſſa, dicatque ſuper vlcus maximè firmata eſſe. Et lib. de Chirurg. off. tex. 11. Deligare verò oportet primum, vt is, qui deligatur, dicat maximè ſe compreſſum eſſe circa læſam partem, minimè circa extremas, & firmatum ſe eſſe, non compreſſum copia linteorum, non robore.

Signa rectæ deligationis.

Vt ergo decens fiat compreſſio, & vbi oportet, hoc eſt ad partem fractam, ſelecta faſcia ſufficientis roboris, molli tamen, & æquali, atque paulo latiori, quam ſi vulnus non adeſſet, & maximè à capite ipſius, à quo incipienda eſt circumuolutio, duas, vel tres circumuolutiones ſupra vulnus, & fracturam facere oportet, & tantam facere compreſſionem, quanta ſufficiens ſit ad firmanda oſſa, ita tamen vt minor aliquanto ſit compreſſio, quam ſi vulnus non adeſſet, cuius terminus eſt, quando patiens inquit ſe eſſe firmatum in illa parte, non tamen compreſſum; hinc verſus ſuperiorem partem, ad ſanam ſcilicet ducenda deligatio, paulatim compreſſionem minuendo. Vbi ſatis de ſana parte fuerit comprehenſum, ibi deligationem terminare oportet, atque ſutura faſciæ capite alligato, alia faſcia accipienda, atque vna, vel altera circumuolutio facienda ad affectam partem, atque ex ea verſus inferiorem partem ducenda deligatio ſimiliter paulatim compreſſionem imminuendo. Sed & circumuolutiones non ſint ita frequentes, quoniam non adeo timemus ab extremis partibus, & vbi ſatis de ſana parte fuerit comprehenſum, finem circumuolutiones facere oportet. Cum enim à fractura, & vulnere fluxionem arcere debeamus, & duæ ſint partes, à quibus fluxio in partem poteſt irruere, videlicet ſuperior, & inferior, & ad vtraſque etiam fieri poſſit expreſſio eius, quod in parte continetur, licet minus, & recipere, & tranſmittere in-

Deligandi ratio.

inferiores, & extremæ poſſint, quam ſuperiores, & quæ minores ſunt, & pauciores, minuſque ſanguinis continent; propterea & verſus ſuperiorem, & verſus inferiorem partem ducenda deligatio, ſumpto principio ab ipſa ægra parte, licet dicta ratione plures verſus ſuperiores ſint faciendæ, vt primæ circumuolutiones præcipuè fracturam firment, nam & exprimunt, & ſanguinis confluxum prohibent: quæ autem verſus ſuperiorem partem inijciuntur, & eo præcipuè materiam exprimunt, & vna, ne inde fluxio irruat, prohibent: quæ verò ducuntur verſus extremas partes, & ad eas pariter ſuccos exprimunt, & fluxionem quoque ab illis prohibent. Hinc Galenus loco citato: Incipies itaque ab ægra parte, & cum bis, terue circumdederis, inde ſanam verſus progredieris, ſiquidem qui ita deligat, & ab integris ad laborantem partem ſanguinis confluxum arcet, & quod iam collectum in ea eſt, exprimit. Cum verò duæ partes ſint, quæ & recipere aliquid à laborante particula, & tranſmittere ad eam poſſint, vtique quæ ſuperiacent tum propter multitudinem, tum magnitudinem ad ambo magis ſunt habiles, extremæ verò propter contrarias conditiones exiguum quidem aliquid vel recipere, vel tranſmittere poſſunt, multum verò nec ægris partibus ſubminiſtrare, nec ab ipſis recipere. Quocirca, cum duas primas fecerit Hippocrates deligaturas, prima quidem, tum quod in laborante particula continetur ad ſuperpoſita expellit, tum quod ex eis confluit, repellit: Reliqua verò primis quidem complexibus, quos ſuper ipſam fracturam facit, itemque faſciæ ad inferna progreſſu eo quædam extrudit, quædam ne quid illic confluat, prohibet. Reliquis verò deinceps omnibus, quibus videlicet ab infernis partibus ſurſum recurrere deligaturam cenſet, ut eodem videlicet loco cum priore finiatur, tum ad ſuperiora repellit, tum confluxum ab eis prohibet. Muniunt igitur, ac ſtabiliunt fracturam, nec phlegmonem oriri ſinunt prima duo lintea. Iuxtà Hippocratem etiam tertiam

am faſciam addimus, & hanc obuoluimus incipiendo ab ea parte, in qua terminata fuit ſecunda faſcia, & ducendo circumuolutiones vſque ad finem primæ faſciæ, quò maior fiat expreſſio, & repercuſſio verſus venarum exortum, ſic tamen, vt maiori interuallo fiant circumuolutiones, & ideò ſecundùm longitudinem eſt primæ faſciæ æqualis, licet vtraque ſecunda ſit breuior. Hæc tamen tertia deligatio quandoque perficitur ſecunda faſcia ſola, quando longior eſt, vt peruenire ad eum locum poſſit, vbi prima deſiit, factis debitis circumuolutionibus. Et hoc eſt, quod quandoque Hippocrates ait, duas ſufficere linteorum portiones, vt lib. de fract. text. quinto, ſufficiunt enim, quando ſecundæ faſciæ longitudo tanta eſt, vt poſſit peruenire ad locum, in quo prima faſcia finem habuit. Hæc eſt deligandi ratio, quam nobis tradidit Hippocrates libro de fract. text. enim quinto dicebat. Poſtea linteo deligare, initio eius ſupra fracturam iniecto, ita vt firmet quidem, non tamen admodum premat. Poſtquam autem circumdedit eodem loco bis, aut ter, ad ſupernam partem deligans diſtribuat, quo ſanguinis fluxiones intercipiantur, & illic deſinat. Conuenit autem prima lintea non eſſe longa, duorum autem linteorum initium ſupra fracturam iniicere, ita vt ſemel circumdet eodem loco, deinde deorſum diſtribuat, & minus premens, & magis traducens, quo linteum ipſi ſufficiens ſit ad recurrendum eò, vbi alterum deſinit. Quamuis enim hìc loquatur Hippocrates de ſimplici oſſis fractura, vbi tamen poſteà tractat de fractura uulneri adnexa, de deligatione verba faciens, ad hunc locum nos remittit, dicens: Diſtribuenda verò deligatio, velut etiam prius dictum eſt. Id tantùm animaduertit, vt faſcia ſit latior, & maximè in eius capite, ne vlcus cinctum teneat, & ita dolorem inferat, & ſecundùm vlceris rectitudinem linteum iniiciatur, & paulò minus prematur, quàm ſi vlcus non adeſſet. Et ſimiliter quod lintea mollia ſint, & huiuſmodi. Sunt & alia animaduertenda, vt deligatio ſit

ſit conueniens, atque proprium finem conſequatur, quorum vnum eſt, vt ex eo loco ſumatur deligationis principium, in quem prolapſum eſt os, & ex eo in oppoſitum latus ducatur circumuolutio, vt firmiùs contineatur os in ſua ſede, & prohibeatur relapſus, vnde ſi à dextra parte os promineat, hinc verſus ſiniſtram ducenda deligatio, ſi à ſiniſtra, ab ea ad dextram; facilè enim eſt oſſi ſemel à ſua ſede prolapſo, licet reſtituto, iterùm prolabi; & ideò, vt hoc prohibeatur, maximè firmare oportet, ac comprimere partem, in quam os abſceſſit; hoc eſt, quod dicebat Hippocrates libro de Chirurg. off. text. 5. Deligare oportet dextras partes in ſiniſtras, & ſiniſtras in dextras, excepto capite. Hoc etiam innuebat libro de fract. text. 5. Hic igitur lintea ad ſiniſtram, aut dextram deligentur, aut ad vtram partem contulerit ad fracturæ figuram, & in vtram declinare expedierit. Alterum obſeruandum, in deligatione facienda, eſt, vt circumuoluendo primam faſciam efficiamus, vt medietas faſciæ circumuolutionis ſequentis comprehendat ſaltem medietatem eam reſpicientem prioris, dum ducitur deligatio, ſic enim vna alteram roborat, ſequens videlicet priorem, & fortiùs fit expreſſio, & repulſus, magiſque firmatur pars. Circumuolutiones verò ſecundæ, & tertiæ faſciæ ſint, vt dictum eſt, rariores, ab inferiori enim parte minus timemus, ſatis autem repellit, & exprimit verſus ſuperiorem, quæ primò iniecta eſt.

Signum autem congruæ deligationis erit, quando patiens ſe firmatum eſſe refert, non compreſſum, & magis ſuper partem læſam, minimè verſus extremas ſed præterea, quæ refert patiens de compreſſione, &c. Quæ ſuperueniunt atteſtantur ſupra decentem factam deligationem: namque die, qua deligatus eſt, & nocte ſequenti ſibi videtur magis compreſſus, poſtridie verò minus, & hac etiam die in extrema parte aderit tumor quiſpiam mollis, tertia verò die gracilliora ſunt omnia, vt laxa videatur deligatio, vnde Hippocrates libro de Chirurg off. text. *Signa deligationis conuenientis.*

11. Deligare verò oportet primùm, vt is, qui deligatur, dicat maximè ſe compreſſum eſſe circa læſam partem, minimè circa extremas, & firmatum ſe eſſe, non compreſſum, copia linteorum, non robore. Et hoc die, & nocte paulò magis, poſtridie minus, tertia laxè. Reperiatur autem poſtridie in extremis partibus tumor mollis, tertia die cum ſoluitur pars deligata attenuata ſit. Et libro de fract. text. 5. Signa verò mediocritatis hæc ſunt, ea die, ac nocte, qua deligatus eſt, ipſe ſibi ipſi videatur non minus, ſed magis compreſſus, poſtridiè verò tumorem paruum mollem ad ſummam manum obortum eſſe; mediocritatis enim factæ à te compreſſionis ſignum hoc eſt. Deſinente verò die minus compreſſus eſſe ſibi videatur. Tertio verò die deligamenta laxa eſſe ſibi videantur, & ſi quid iam relatum defecerit, noſcere oportet deligationem moderata laxiorem eſſe. Si verò quid ex relatis abundauerit, noſſe oportet vltra modum compreſſum eſſe.

Dicta hæc ſunt, quoniam ſi in deligando erratum fuerit, ſoluenda erit deligatio, & iterum melius deligandum, quamuis ſi laxior fuerit, non cogit, vt ſtatim ſoluatur, ſicuti quando eſt arctior, tunc enim inſtat fluxionis, & gangrænæ periculum, immo præ foribus eſt fluxio propter dolorem. Vnde Galenus primo de fract. text. 36. Quoniam ſcopos, quibus in iniiciendis faſcijs vtimur Hippocrates coniecturales eſſe nouit, ideo voluit nos quædam habere indicia certa, quibus facilè cognoſceremus, quando hæc à nobis rectè confecta ſint, & quando ſecus; nam ſi ægrotus valdè à faſcijs comprimi ſe ſentiat, quamprimum ſoluendus, atque denuò melius deligandus erit. Itemque ſi faſciæ obuolutæ ſint æquo arctiores, non ſunt ita diutius haberi permittendæ, nimia enim adſtrictio dolorem, inflammationemque ac interdum interitum extremis membri partibus affert, laxior verò circumductio faſciarum iſtiuſmodi quidem periculi expers eſt, ſed permittit, membrum, vbi fractum eſt, diſtorqueri: cogit ita-

itaque nos vehemens compreſſio, adſtrictioque vt confeſtim eo ipſo die religemus. Laxa verò non item, quia & vnam diem, & interdum alteram poteſt expectare. Hic eſt verus deligandi modus in vulnere cum oſſis fractura in tota ſubſtantia, indicatus quidem ab oſſis fractura, quantum ſpectat ad firmitatem, ab eadem verò, & vulnerata parte, quantum ad expreſſionem, & fluxionis inhibitionem ſpectat; ſic enim ſubſtantia partis ſalubris conſeruatur, dum humorum influxus ad ipſam prohibetur, & quod in ea eſt ſuperuacui aliò exprimitur, & hæc omnia cum probè perficiat deligatio conueniens, meritò dicebat Hippocrates libro de fract. text. 39. omnia in hoc ſita eſſe, vt quis hæc rectè, & moderatè deligare ſciat. Sed, & hic deligandi modus ipſi vulneri eſt congruens, ſiquidem tectum ſeruatur, non refrigeratur ſolutum, vnde ſi pars proprio tegumento eſt deſtituta, artificiali tegitur.

Sed & antequam faſcia injiciatur, quæ vulnus poſtulat, erunt agenda, conſuendum enim erit, ſi agglutinatio ſperari poſſit, neque oſſa diſceſſura ſunt. Vbi verò id ſperari non poſſit, vel quia diſceſſura ſunt oſſa, vel quia adſit ſimul contuſio, & laceratio carnis effatu digna, tunc quidem non penitus ſunt adducenda labia, ſed aliquod relinquendum interſtitium inter eius labia, per quod expurgari pus valeat, & oſſa etiam, quæ diſceſſura ſunt, expelli; ſuperponendum ergo linteolum, ibi quidem agglutinante quopiam illitum, hìc verò eò quòd fouendi naturalem calorem vim habeat, & ſuppurationem adiuuandi. Hippocrates cerato vtitur picato, nos eodem vtimur, & etiam ipſa terebinthina, & aliis, quibus in vulneribus talibus citra oſſis fracturam vteremur. Circumſtantibus verò partibus linteum applicamus repellente aliquo illitum, vt eſt vnguentum album, & ceratum humidum, quibus etiam vtebantur Hippocrates, & Galenus; nec omninò diſplicent albumina ouorum, quorum nunc frequens eſt vſus, ſubagitata, addito roſaceo oleo, at-

Medicamenta conuenientia.

atque aceto, &c. Poſtea linteo poſca imbuta partem circumuoluimus, ac demum deligamus.

De ferularum vſu. Ferulæ non apponendæ, priuſquam tranſierit inflammationis tempus, vel ſi appoſueris, valdè laxas apponas, neque ſupra ipſum vulnus, ne dolorem inferant, vnde Hippocrates libro de fract. text. 29. In reliquis omnibus conſimiliter curare oportet, velut oſſa ſine vlcerationibus fracta, verùm ferulas apponere non oportet. Et inferiùs: Si tamen ferulas appoſueris, non ſecundùm rectitudinem vlceris appones, ſed ita laxè adhibeantur, prouidendo, vt nulla magna ab ipſis fiat conſtrictio, ponuntur enim ferulæ deligationis conſeruandæ gratia, non compreſſionis, vt dicebat Hippocrates lib. de fract. text. 6. dum enim deligatio conſeruatur, etiam oſſa reducta in proprio loco ſeruantur. Et quamuis Hippocrates text. 29. videatur magis probare, vt ferularum vſus dimittatur, cum neque eas laudet, quando fractura eſt abſque vulnere, niſi tranſacta ſeptima, ſicuti videre eſt libro de fract. text. 5. attamen experientia comprobatum eſt, ſi ſtatim, facta deligatione, ferulæ quædam apponantur, quæ confirmationem partis, & deligationem tueantur, nequaquam autem comprimant, & ad vlcus non apponantur, non parum eſſe ex vſu. Nec Hippocrates eas omninò reprobauit, vnde ſubiungebat text 29. Quod ſi ferulas apponere velis, nequaquam eas directè ad vlcus imponito, ac proſpicito, vt laxiores ſint, nec vlla ex ipſis compreſſio fiat. Et ideo quando vulnus eſt ſecundùm membri longitudinem, quoniam apponi poſſunt ad latera vulneris, ferè ſemper iis vti conſueui. Et quando eſt per tranſuerſum, ſiquidem paruum ſit, & ijs vtor; at ſi magnum, ab iiſdem abſtineo. Et hoc me docuit Galenus libro de fract. com. 3. text. 42. vbi dicebat: Quid autem ipſe conſueuerit tum hic, tum in crure facere, affeuerare non poſſum, cum rem hanc minimè definierit, tamen quid equidem faſciam explicabo. Vbi vulnus, quod cum fractura eſt, in longitudinem membri eſt protenſum, nihil tunc

Ferulæ apponuntur deligationis conſeruandæ gratia.

Quando conueniat ferularum uſus.

tunc obſtat, quo minus ex vtraque eius parte imponantur. Quod ſi tranſuerſum ſit vlcus, eas adhibere vetat, præcipuè verò vbi id maius ſit. Medicus autem prudens quid agendum ſit, facilè deprehendet, prudentia enim omnia moderatur.

Antequam tamen ferulæ apponantur, ſi fortè apponere eas volueris, & omnino facta deligatione, prout ſuperius traditum eſt, ſatius eſt partem deligatam ſpleniis circumdare, quæ totam deligationem tueantur, ac ſeruent, aliquo cerato moderatè illitis, cuiuſmodi eſt ceratum picatum, vt læuia ſint, & hæreant, atque cum ſubiectis faſciis coniungantur, nec defluant, non enim hærerent, & coniungerentur cum ſubiectis faſciis, ſi nullo, aut nimis modico cerato illinirentur, defluerent autem, ſi copioſiori. Læuia pariter non eſſent, ſi ſuper extenſum haud eſſet ceratum aliquod. Vnde Hippocrates lib. de fract. tex. quinto: Poſtea verò ſplenia extendere oportet modico cerato illita, ſic enim lenius, & firmius ſe habebunt. Spleniorum quoque neceſſitatem propoſuit Gal. 6. Meth. 5. vbi dicebat: Muniunt igitur, ac ſtabiliunt fracturam, nec phlegmonem oriri ſinunt prima duo lintea, non tamen ea, quæ dicta ſunt ad ambos hos vſus ſatisfaciunt, præſertim ſola, vnde ad eorum quidem tutelam Hippocrates præſidia excogitauit, vt ſplenia vnà cum exterioribus faſciis adhiberentur, quæ hæc quoque ipſa firment, & ſtabiliant. Quòd verò cerato ſint illinienda, docuit etiam Galenus com. primo tex. 31. Si enim prorſus, dicebat, cerati expertes ſint plagulæ, tollitur læuitas, ſi verò nimio affluant, firmitas, cum fluidæ reddantur præ copia cerati. Hæc ſplenia adeo longa ſint, vt totam deligationem comprehendant; breuiora enim omnes faſciæ circumuolutiones non tuerentur; latitudo autem ipſorum ſit trium, aut quatuor digitorum eius, qui deligandus eſt. Quòd verò ad craſſitiem attinet, ſint triplicia, & quadruplicia etiam, vbi maiori opus eſt firmitate, & cum debeant totam partem circumdare, tot accipienda ſunt, *De ſpleniis.*

quot poſſunt partem in orbem complecti, vnde Hippocrates libro de Chirurg. off. Plagularum longitudines, latitudines, craſſitudines, multitudines. Longitudo quidem quanta eſt deligatio, latitudo trium, aut quatuor digitorum, craſſitudo vt triplices ſint, aut quadruplices, multitudo ea ſit, vt circumdatæ neque excedant, neque excedantur. Et Galenus in com. illius loci, qui eſt tertius ad primum text. In hoc, quem nunc de fracturis inſtituit, ſermone, primùm plagulas commemorat, ſplenia quoque à ſplenis ſimilitudine, quem imitatur, appellata: quas præcipit longitudine æquare deligationem, vtpotè quæ in eius gratiam adhibeantur, videlicet, ut eam firmam, & immotam ſeruent. Latitudinem verò habere trium, aut quatuor digitorum hominis nempe deligandi. Craſſitudo ea ſit, vt triplices, vel quadruplices ſint. Quadruplices quidem, vbi deligatio maiore egeret cuſtodia. Verùm vbi minore, triplices poſſe ſatisfacere arbitratur. Eam autem plagularum multitudinem adhiberi conſulit, vt in orbem deligatum membrum comprehendant, ſi tale ſit membrum, qualia Græci κῶλα appellant, &c.

De ſuperfaſciationem. Circumpoſitis ſpleniis, ſuperfaſciationes addere oportet, quibus firmentur, & vſum ſuum præſtent. Quas proponens Hippocrates libro de fract. text. 5. dicebat: Deinde alternatim faſciæ deligandæ ſunt, & tum in ſiniſtram, tum in dextam, & plerumque inferius incipientes ſurſum ducantur, interdum autem à ſuperioribus deorſum. Quam ſententiam explicans Galenus primo de fract. text. 32. ita videtur intelligere Hippocratem, vt velit quatuor vincula accipi, quorum duo prima alternatim ex aduerſo ducantur tum in dextram, tum in ſiniſtram partem; reliquorum verò duorum vnum ſurſum ducatur, alterum deorſum, vt melius qualibet in parte priorem deligationem ſeruent, vnde dicebat: Vincula verò, quæ poſt plagulas alligantur, utpotè quæ eum habeant ſcopum, ut uidelicet totum membrum deuinciant, uniuerſam deligationem ita tuentur, ut illa accepere, inter

inter ſe ſe ex aduerſo ita diſtribuantur, ut alterum in dextram, & alterum in ſiniſtram feratur: inde etiam alterum ſurſum, & alterum deorſum, ſic enim facilè fiet, ut alternatim, & ex aduerſo circumducta poſſint deligationem, qualem inuenerunt, cuſtodire. Vnde quæ tum dextrorſum, tum ſiniſtrorſum ducuntur, prorſus æqualia eſſe conuenit (en duo priora lintea) quæ uerò ſurſum, & deorſum non plurimus quidem alterius ad alterum exceſſus eſſe debet. Quod tamen ab inferiori ſurſum circum agitur, ſatius eſt, ut aliquanto alterum ſuperet (en alia duo lintea) Si tamen Hippocratis uerba attentè conſiderentur, poſſe de duobus tantùm linteis interpretari non erit obſcurum: Vult enim Hippocrates ut deligatio fiat alternatim tum ad dextram, tum ad ſiniſtram, tum ſurſum, tum deorſum, ſed plerumque ab inferiori ſurſum, interdum deorſum à ſuperioribus. Igitur ſi duo acceperimus uincula, quorum unum paulò longius ſit altero, & quod longius eſt ab inferioribus exorti uerſus ſiniſtram partem ſurſum ducamus crebrioribus circumuolutionibus obuolucntes, quod uerò breuius eſt è conuerſo à ſuperioribus exorti ad dextram deorſum minus frequentibus obuolutionibus ducamus, quod Hippocratis uerba præcipiunt optimè uidebimur exequutos, alternatim enim faſcias ducimus tum ad dextram, tum ad ſiniſtram, & plerumque ab inferioribus ſurſum, dum pluribus circumuolutionibus faſciam ducimus ab inferioribus ad ſuperiora, & interdùm à ſuperioribus deorſum, dum minus frequentibus ſpiris à ſuperioribus initium ſumentes deorſum tendimus; quod enim ait Hippocrates, plerumque, & interdum, ad multitudinem, & paucitatem ſpirarum referri debet. Si quis tamen ad maiorem firmitatem uellet addere tertiam, & quartam faſciam, non reclamarem, modò futuræ non eſſent inutile pondus parti. Sed & aliter poterunt firmari ſplenia, ſi uidelicet deligatio fiat faſcia ex duplici capite, ita ut prima circumuolutio fiat ſuper locum fracturæ, deinde alterum caput ducatur uerſus

ſus ſuperiorem partem crebrioribus circumuolutionibus, rarioribus uerò alterum uerſus inferiorem, deinde accipiatur alia faſcia, & ab inferioribus partibus ſurſum ducatur vſque in eum locum, in quo deſiit caput primæ faſciæ, quod ſurſum ductum fuit. Hoc tamen caput primæ faſciæ, quod deorſum ductum eſt, ſi longius foret, non minus commodè præſtaret. Quibus etiam addi poſſet tertia faſcia, quæ rarioribus circumuolutionibus à ſuperioribus deorſum tenderet. Sed in hoc non eſt tempus conterendum, quilibet enim ex ſeſe poterit deligandi rationem inuenire, ſibi proponens tum ſpleniorum firmitatem, tum repulſionem ad ſuperiora, quæ maior eſſe debet, quam ad inferiora, & ideo ipſe Galenus primo de fract. text. 3. dicebat plerumque ſatis eſſe duas faſcias, & tres, & quatuor adhiberi poſſe, duabus tamen ſe contentum ſemper fuiſſe teſtatus eſt, vnde dicebat: Extremæ verò faſciæ, quæ demum ſuper plagulas iniiciuntur, & ipſæ quidem plerumque duæ ſunt, quarum altera ab inferiori parte membri ſurſum, altera à ſuperiori deorſum feratur. Nihil etiam prohibet, quin & tres, & quatuor adhibeantur. Nos tamen ſemper binis contenti fuimus.

Notandum in deligando. Illud autem animaduertendum in omni deligatione, ſi forte ad articulum peruenire opus fuerit, circa ipſum valde laxam eſſe debere, eo quod articuli promptiſſimè admodum præ cæteris partibus ſuperfluitates ab aliis partibus tranſmiſſas recipiunt vnde Hippocrates libro de fract. text. 5. Inſuper autem circa manus iuncturam, ſiue articulum laxe circumdare ſplenia oportet alias, atque alias.

Aliud notandum. Notandum eſt etiam, quod membrum inequale exiſtens propter eminentias, & depreſſiones, ſeu profunditates, (membra enim longa verſus extrema tenuiora ſunt) ad æqualitatem reducendum eſt, obuolutis paulatim tot ſpleniis, quot erunt ad id ſatis, non aceruatim. Hoc eſt, quod dicebat Hippocrates libro de fract. text. 5. Extremitates autem ſubaridas, & in acutum obeuntes ſpleniis obuolutis curare oportet, ita vt copia opertorium, non

non totum aceruatim, ſed paulatim corrigat. Idem præſtari poteſt pluribus faſciarum circumuolutionibus, vnde Galenus primo de fract. text. 33. Extremæ partes membrorum longorum tenuiores ſunt. Has itaque partes præcipit iniectis tranſuerſis plagulis, ac pluribus faſciarum circumuolutionibus ibidem iniectis expleri, dummodo id non fiat totum ſimul, quia deligatio inæqualis efficeretur, ſed paulatim, vbi deficit membrum, compleatur.

In appoſitionem autem ferularum cauenda ſunt oſſa prominentia, & excarnia, namque illis appoſitæ dolores inferrent, & exulcerarent. Aut ergo ad latera apponantur, aut ſint breuiores, aut non apponantur. Vnde Hippocrates libro de Chirurg. off. tex. 9. Quæcunque verò partes neruoſæ ſunt, & excarnes, in his, quæ prominent, cauendæ ſunt veluti circa digitos, & malleolos aut poſitione, aut breuitate. Et libro de fract. text. 6. Et ad hoc ſtudium vel maximè adhibendum eſt, vt ferulæ è directo magni digiti non apponantur, ſed hac, vel illac, immo neque è directo parui digiti, qua parte os ſupereminet in manus articulo, ſed hac, vel illac. Quod ſi ad fracturam conferat hac parte aliquas ferulas poni, breuiores ipſas aliis eſſe oportet, vt ne perueniant ad oſſa prominentia iuxta manus articulum, periculum eſt enim vlcerationis, & denudationis neruorum. *Animaduertenda in appoſitione ferularum.*

Quod verò ferulæ debeant eſſe læues, & æquales, ſatis ex eo patet, quod firmare debent, non comprimere, aut dolorem inferre, quæ enim aſperæ ſunt, & diſtortæ comprimunt, & diſtortæ inſuper deligationem quoque diſtorquent, & ex conſequenti potius membrum diſtorquent, quàm firment; Vtque firmare magis poſſint fracturam, circa ipſam ſint craſſiores. Sint etiam ad extrema ſimæ, & magis adſtringant, ſeu firment in loco fracturæ, quam ad partes extremas. Oportet denique, vt paulo breuiores ſint deligatione ipſa, quoniam ſi ad cutem denudatam peruenirent, quam veriſimile eſt tumidiorem eſſe, tum quia faſcia deprimit totum id, quod circumdat, tum *Ferulæ quales eſſe debeant.*

etiam quia pars, ad quam deligatio terminatur, ſuccum excipit à deligatione expreſſum, illam comprimerent, & exulcerarent. Vnde Hippocrates lib. de Chirurg. off. text. 9. Ferulæ porrò ſint leues, æquales, iuxta extremitatem ſimæ, hinc atque illinc paulo minores deligatione, craſſiſſimæ autem ea parte, qua exſtat fractura. Et Galenus tertio de Chirurg. off. tex. 11. Fracturæ verò maximè conducit, vt illæ neque aſperæ, neque diſtortæ ſint, quippe quod vtroque modo comprimant, ſed quæ diſtortæ ſunt, id inſuper habent, vel deligationem diſtorqueant, qua diſtorta, confracta etiam pars diſtorquetur. Conſulit prætereà, vt illæ eligantur, quæ ab ipſis capitibus ſint ſimæ, quæ enim eandem ſemper vſque ad extremum craſſitudinem ſeruant, æqualem ea parte deligationem cæteris omnibus præſtant: quod fieri minimè expedit, cum ipſe velit, vt ferulæ in media deligatione magis adſtringant, inde verò vſque ad extremas partes ſint magis laxæ, vbi & laxiſſimæ eſſe debent. Vult etiam, vt longitudine ſint breuiores, quam ſit deligatio, ne cutem vltra deligationem attingant, quæ ex eo, quod humores à vinculis expreſſos plerumque recipit, humidior redditur. Vult item craſſiores eſſe ferulas, vbi fracturæ inſident, quod locus is præ cæteris earum crompreſſione indiget. Appoſitæ ferulæ vinculis laxiſſimis à principio ſunt deligandæ, ne dolorem poſſint inferre, ſat enim eſt, ſi à principio contineant, poſteà verò vbi deligatio incipit laxior fieri, quod ſolet tertio die contingere, vt ſuperius dictum eſt, adſtringendæ ſunt ferulæ, & maximè ſupra fracturam, vt eam potiſſimum firment. Etſi ſubſequentibus etiam diebus laxior fiat deligatio, tertio quoque die illas adſtringere oportet, id ſemper præ oculis habentes, quod ferulæ circumponuntur, non vt comprimant, ſed vt deligationem tueantur, ac firment, & ideo nunquam adeo autem ligandæ ſunt, vt comprimant, & dolorem inferant. vnde Hip. lib. de fract. text. 5. Poſtquam arctè linteis deligaueris ferulas circumponere oportet, & vinculis

quam

quam laxiſſimis circumdare, quietis ſaltem gratia. Et tex ſexto: At verò, vbi tertio die laxas eſſe dixerit, tunc poſtea ferulas firmare oportet, maximè quidem circa fracturam. Et inferius: Oportet autem tertio quoque die ferulas valde leuiter firmare, hoc cogitantes, eas deligationis conſeruandæ gratia apponi, non autem compreſſionis.

Deligata, vt decens eſt, parte de recta illius repoſitione cogitandum eſt; non enim iacere vtcumque pars debet, ſed commodè, atque citra laborem, & propterea in ea figura reponenda eſt, in qua diutius immorari poteſt, & quæ ſibi minimum doloris afferat, & in qua tandem nerui, venæ, arteriæ, & muſculi quam rectiſſimi maneant. Quamuis ea figura, quæ naturalis maximè eſt parti, ex conſequenti etiam à dolore ſit libera, vtpotè in qua partes ſenſitiuæ nullam tenſionem patiuntur, & quæ à dolore aliena eſt, ſit ipſi parti naturalis, quæ enim illi non eſt naturalis, eſt ſimiliter dolorifica, nam ſub eam neceſſe eſt partes ſenſibiles tendi, cum dolorem afferat, & ex conſequenti non naturaliter figurari. Habenda quoque conſuetudinis ratio, vt quæ eſt altera natura. Vnde Gal. 6. Meth. 5. Hæc igitur omnia ratione, vt comprehenſum eſt, dictante ſunt inuenta: & præter hæc ipſa repoſitionis figura, quæ ipſa quoque geminæ indicationi ſubjicitur, priori quæ ex ſolis communibus notionibus pendet, alteri quæ ex curandorum organorum naturali conſtitutione præſtatur. Prior igitur eam, quæ maximè à dolore abeſt, eligendam figuram ſuadet, quo nec phlegmonem particula contrahat, & æger perſiſtere in vna ea diutiſſimè immotus poſſit. Secunda, quæ ex curandorum ſumitur natura, arterias, venas, neruos, & muſculos quam rectiſſimos ponere præcipit. Sed & conſentiunt inter ſe hæ indicationes, quando & rectiſſima cuiuſque partis figura maximè eſt à dolore aliena, & quæcunque magis, quam alia eſt à dolore libera, ea maximè naturalis membro eſt, brachio quidem anguloſa, cruri verò, quæ paulò minus exporrecta eſt. *De repoſitione partis.*

 Por-

Sub eadem figura extendendum eſt membrum, coaptandaque oſſa, & pars deliganda.

Porro ad dolorem vitandum non modò naturalis habitus cuius inſtrumento eſt vtilis, verùm etiam conſuetudo quoque nonnihil conducere videtur. Quare, ſi diligenter inſpexerimus, ſub eadem figura extendendum eſt membrum, quando oſſa reducere volumus, & ſub eadem coaptanda ſunt oſſa, & ſub eadem deliganda eſt pars, ac reponenda; omnia enim hæc facienda ſunt membro in ſua naturali figura exiſtente, & quæ à dolore maximè ſit aliena. Et quod ad extenſionem, ſeu retractionem attinet, magis cedunt partes, exiſtente membro in ſua naturali figura; ſiquidem nulla pars magis, quam alia tenditur, quod non mediocriter ad euitandum dolorem conferr. Pariter & melius, ac facilius coaptantur oſſa, partibus enim naturalem ſuum ſitum obtinentibus, nulla erit, quæ impedimento ſit, quo minùs oſſa ad ſuum naturalem locum redeant. Sub alia verò figura deligare, & ſub alia partem reponere, alienum omninò eſt à ratione, dum enim figura mutatur, neceſſe eſt, vt alii muſculi tendantur, alii remittantur, & ita vt deligatio in locis, in quibus prius comprimebat, laxior fiat, & ubi prius erat laxior, deinde comprimat, & ex conſequenti non ſolùm non afferat, quam deſideramus, utilitatem, uerùm etiam contraria præſtet, partem uidelicet diſtorqueat, dolores excitet, & fluxionem aduocet, atque ad locum fracturæ ab aliis partibus ſuccos exprimat. Vnde Gal. 6. Meth. 5. Eadem inueniendæ figuræ ratio eſt, & in retractione partium à ſe, quam antiſtaſim uocant, & cum in naturalem ſitum aptantur fracti oſſis partes. Etenim expedit, ut in rectiſſima, atque à dolore alieniſſima forma membrum tum retrorſum retrahas, tum in naturalem habitum coaptes. Multoque etiam magis, ut ſub eadem figura tum deliges, tum ad quietem reponas, ſiquidem ſub alia deligere, in aliam uerò mutare, non dolorem modò incitare poteſt, uerùm etiam oſſa intorquere; nam neceſſe eſt ubi figura mutatur, alios muſculorum tendi, ac veluti contractos rotundari, alios ſolui, ac remitti. Ergo

go ubi tenduntur, tum premi eos à deligatura eſt neceſſe, tum ex compreſſione ipſa dolere, ubi uerò tenſio remittitur, ea in parte deligaturam eſſe laxam, fracturamque fulcimento deſtitui. Horum igitur omnium cauſa tum extendere, tum effingere, tum deligare, tum reponere una ea figura, quæ doloris minimum habeat, præcipuè eſt ſtudendum, quod etiam primo de fract. text. primo fuſius declarat. Et hoc uoluit ſignificare diuinus Hippocrates quando libro de fract text. primo dicebat: Oportet Medicum quam rectiſſimas luxationum, ac fracturarum extenſiones facere, ea enim natura iuſtiſſima eſt.

Repoſita parte, ſic tamen ut molliter etiam cubet, arcendæ fluxioni accuratè ſtudendum, & ſanguinis miſſione, & aliis reuellentibus, & omnibus denique illis, quæ ad fluxionem inhibendam ualere primo lib. diffusè traditum eſt. Vnde & conueniens uictus eſt inſtituendus, ita ut non ſolum, quæ fluxionem prohibeant adminiſtrentur, ſed & quæ eam concitare poſſunt, prohibeantur. *De inhibenda fluxione.*

Victus igitur tenuiſſimus à principio ſit, oportet, tum ut materia fluxionis ſubtrahatur, tum ut natura egens ſanguinem ad nutriendum contineat, & is ſeruandus, donec tempus præterierit inflammationis. Vnde Hippocr. lib. de fract. tex. 29. Victus autem rationem exquiſitionem, & longiori tempore conſtituere oportet his, quibus ab initio ulcera fiunt, & quibus oſſa extra eminent. *Victus qualis.*

Quamuis autem Hippocrates de tertio in tertium ſoluat, & deliget rurſus, attamen ubi prima illa operatione oſſa fuerunt rectè repoſita, neque periculum adeſt iterum receſſiſſe à proprio loco, ne uulnus recrudeſcat, neque inter tractandum partem dolor inferatur, potiſſima fluxionis cauſa, atque ne oſſa non adhuc firmata fortè dilabantur ex contractione illa partis, niſi quid ſupcrueniat, quod cogat aliter facere, libenter à ſolutione ſuperſedeo, ſed eam differo ſaltem ad decimam quartam, & non ra- *De ſolutione.*

rò ad trigeſimam, prout qualitas vulneris, & fracturæ ſuadere videtur, quanto enim fractura longius tempus requirit, vt firmetur, tanto tardius ſolutionem differo. Neque me pus deterret, quod in vulnere generatur, namque ſi hoc modo curetur in multo pauciore quantitate generatur propter tegumentum paratum vulneratæ parti, & propter robur inditum naturali calori ex tegumento, & quod generatur, extra vulnus propellitur, eoque magis hoc fit, quoniam è regione vulneris omnia lintea minutis quibuſdam ſectionibus pertundo, per quas ſanies genita extra poſſit propelli. Hoc pacto curatum vulnus breuiſſimo admodum tempore ſaneſcit. Si tamen adſit ſuſpicio non rectè fuiſſe oſſa repoſita, vel poſtea ob motum, vel quid huiuſmodi fuerint elapſa, vnà cum Hippocrate ſoluo. Secundo apparatu conſimilem deligationem facere oportet, cauendo ne nimis arcta fiat deligatio, ſed potius laxior, vt detur exitus ſanguini futuro materia calli, quotieſcunque tamen ſolutio differtur vſquequo præteriit tempus inflammationis, ſi enim prius membrum ſolueretur, potius eſſet aliquanto arctius deligandum, niſi dolor aliter ſuaderet. Vnde & Hippocrates libro de fract. text. 5. In ſecunda ſolutione arctius, & pluribus linteis deligat. Et quantum eſt ratione fracturæ vſque ad perfectam ſanationem ſufficiens eſſet deligatio; ſi verò vulnus aliud requiſierit, quod ſolutione egat, non prætermittenda, neque timenda, quia iam oſſa ſunt firmata. Sed niſi vulnus magnum fuerit, aut aliquod oſſis fruſtulum ſit expellendum, raro contingit vulnus in hoc ſecundo apparatu non eſſe cicatrice obductum, vel ſaltem carne repletum.

Quando incraſſandus ſit victus.

Et quoniam ex ſanguine craſſo, qui oſſis eſt alimentum, fit callus, propterea tranſacto inflammationis metu, paulatim victum incraſſare oportet, ita vt exhibeantur cibi boni ſucci, qui multùm nutriant, & craſſum ſanguinem, ac viſcidum poſſint generare, ex ſanguine enim craſſo, ſed non viſcido, vt inquit 6. Meth. 5. generatur callus friabilis.

Quòd

Quòd verò, & in generatione calli modus quidam ſit ſeruandus, ita vt procuretur eius calli generatio, qui poſſit oſſa fracta firmiter alligare, nec tamen neruos, & muſculos comprimere, manifeſtum eſt. Et proinde modò eſſe inhibendum, ſi plus iuſto maior generetur digerentibus pharmacis, & parciori victu, modò verò promouendum emplaſticis, & modicè calefacientibus pharmacis, & largiori victu, modò verò, ſi videlicet mediocris, & ſufficiens ſit, in eodem ſtatu eſſe conſeruandum aliquo ex ijs, quæ cruentis vulneribus adhibentur, quod videlicet mediocriter ſiccet, & concreſcere mediocriter callum faciat, quemadmodum dicebat Galen. 6. Meth. 5. Sed non eſt, vt cuncta proſequamur, quæ ad correctionem fracturarum attinent. *De calli generatione.*

Animaduertendum autem, vbi ſoluere deligationem paras, antequam oſſa ſint aliquantulum firmata, circumuolutas ſpiras non eſſe paulatim diſſoluendas, ſed pars cubet, atque lintea, & faſciæ ſecentur, donec detecta ſuperiori parte poſſis omnia detrahere, parte à proprio loco non eleuata, ſic enim non eſt opus ad ſoluendam deligationem partem eleuare, atque ſuſpendere, & contrectare, ex quibus nulla poteſt vtilitas ægrotanti contingere. Hæc eſt vera curandorum vulnerum ratio, quibus adiuncta eſt oſſis fractura in tota ſubſtantia, quotieſcunque non eſt futuri abſceſſus oſſis expectatio, vel ſaltem effatu digni, eadem enim eſt curatio, niſi quod laxior fieri debet deligatio ne ab arcta deligatione pus intercipiatur, & copia linteorum ſupplere oportet, quod de compreſſione deficit. *Cautio in ſolutione.*

At vbi inſignis oſſis portio abſceſſura eſt, Hippocrates libro de fract. tex. 31. alio vtitur curandi modo, prætermittit enim deligationem ſuperius poſitam, ſed appoſito vlceri picato cerato, vel aliquo alio cruentis apto, quod tamen humectari, ſeu imbui poſſit, ſplenia duplicata accipit latitudine quidem dimidio palmo non minora, & iuxta qualitatem vulneris, longitudine verò paulò; longiora, *Si inſignis oſſis portio ſit abſceſſura.*

giora, quam vt bis circum ſauciatum corpus, circumduci poſſint, multo verò breuiora, quàm vt ſemel, & in ſufficienti copia atque madefacta in vino nigro auſtero ex medio initio facto circumuoluit, non aliter ac faſcia ex duobus initijs deligetur. Et deinde aſciatim alternatione ipſorum facta initia dimittit, & ſupra ipſum vlcus, & ab vtraque vlceris parte, ita tamen ne comprimatur, ſed incumbant fulciendi vlceris gratia. Eademque frequenter madefacit vino, & hæc ſi fuerit æſtas, hieme enim lanas accipit ſuccidas multo vino, & pauco oleo imbutas, obſeruatque defluxiones, vt facilè pus effluere valeat. Verùm ſi quid ea curandi ratione ſibi proponat Hippocrates inſpiciamus, quantum curatio huiuſmodi vulnerum à prioribus differat, notum erit. Hippocrates igitur ſibi proponit vulnus effatu dignum cum inſigni, & multifida oſſis fractura, ita vt adſint oſſium teſtulæ inſignes, quæ temporis progreſſu à natura ſunt extra pellendæ, eo quòd diffractæ non potuerunt cum aliis rectè componi, & quia multa etiam quantitas oſſis ſit denudata; etenim & quæ oſſa non reponuntur, & quæ carne denudata ſunt penitus, abſcedere ſolent, vnde Hippocrates libro de fract. text. 3. Quæcunque verò oſſa repoſitionem effugerunt, ea diſceſſura eſſe noſſe oportet, itemque ea, quæ carnibus penitus nudata ſunt. Itaque partes hoc pacto vulneratæ leuiter admodum ſunt tractandæ, nam propter partis motum, & compreſſionem externorum contingunt dolores vehementes, pungentibus diffractis oſſibus non rectè compoſitis adiacentes ſenſibiles partes. Hinc fit, vt deligatio, quæ aliis fracturis confert, in hiſce maximos dolores concitet, & fluxionem promoueat; & ſi attollatur pars deligandi gratia, maximus etiam concitatur dolor præter imminens periculum, ne iterum oſſa malè compoſita elebantur. His igitur incommodis volens Hippocrates conſulere, non vtitur faſcia, & ne comprimat, & etiam quia neceſſitas incideret attollendi, & tractandi partem, ex quibus dolores poſſent contingere. Ideo-

Ideoque facta extenſione, & repoſitione, quæ fieri poteſt, & ablatis, quæ potuerunt, oſſium teſtulis, ori vulneris apponit medicamentorum ſupradictorum aliquod, deinde, quoniam maximè imminet fluxio ex multa debilitate partis, & dolore, & vt repellatur fluxio, & pars roboretur, ac firmetur circumponit ſplenia illa duplicata vino nigro auſtero madefacta, quod quidem vim habet partem roborandi, & fluxiones reprimendi, quæ ſæpè madefacere eodem vino poteſt, & auferre etiam, partem non attollens, cum non multum ſint longa, aliaque apponere, prout opportunum videbitur. Ex quibus colligere licet vini loco alias materias medicas deligi poſſe, quæ eaſdem reſpiciant intenſiones. At ſi vino vti quiſpiam voluerit, deligat cum Hippocrate nigrum, & auſterum, non tamen nimis, quod enim nimis auſterum eſt, mordax eſt, & dolores ciet, dum partem compingit, & contrahit, quemadmodum monebat Galenus tertio de fract. text. 21, qua de cauſa id, quod craſſarum ſit partium, cuiuſmodi eſt nigrum, deligendum. Quod enim tenue exiſtit, in penitiores vlceris partes penetrat, & adſtringendo, atque contrahendo vulneratam partem non mediocres infert dolores. Neque neceſſarium eſt vulnus ipſum tam crebro detegere, immo ſatius erit, vt aliquibus diebus tectum ſeruetur, quo melius ſuppuret, & magis roboretur natiuus calor. In id ſtudendum, vt pus poſſit effluere. Conſueui ego fœlici cum ſucceſſu octaua quaque die uulnus detegere. Quod uerò ad medicamenta, quæ uulneri admouentur, & circumiacentibus partibus, ſciendum eſt nullum actu frigidum in principio ſaltem imponendum, talia ſiquidem rigores febriles concitant, & interdum etiam conuulſionem. Hinc Hippocrates lib. de fract. text. 31. Sed cauere oportet, ne primo tempore frigidis madefiant, rigorum enim febrilium periculum eſt, periculum item conuulſionum: frigidum enim ſemper conuulſionem prouocat, præcipuè uerò in ulceribus.

Medicamenta actu frigida fugienda.

Quod uerò ad ſplenia, ſcire oportet, ea ità eſſe circumuoluenda, ut nullus interea relinquatur locus uacuus, & ita apponenda, ut ulcus quidem fulciant, non tamen comprimant. Quod ſignificauit Hippocrates libro de fract. text. 31. his uerbis: Hæc & ſuper ulcus ipſum ſunt adhibenda, & ab utraque ulceris parte, quod nec comprimatur, ſed quatenus fulciendi gratia ſatis ſit, illi inſideant. Aliquando appoſitis ſpleniis membrum complector quadruplicato illo Parei linteo, quod diligenter conſutum uicem gerit deligationis, & abſque partis contrectatione diſſoluta ſutu a poteſt pars denudari. Quoniam uerò deligatione continentur oſſa fracta in proprio loco, quæ hic locum non habet, idcircò ſint in promptu machinamenta aliqua, quorum ope iuſtam directionem ſeruet pars, quemadmodum in crure capſula lignea, ſeu canalis, aut crus ligneum, uel ferreum concauum. Animaduertendum tamen, ne quid durum immediatè parti applicetur, ſed inter ipſum, & partem mollia quædam ſplenia collocentur, ut neque fiat ad uulnus compreſſio. Machinamenta hæc proponit Hippocr. in fractura cruris cum uulnere libro de fract. text. 32.

Animaduerto quosdam non ſatis diſtinguentes eodem modo tractare partes uulneratas cum oſſis fractura, quando adſunt oſſium fragmenta, & abſceſſus inſignis oſſis expectatur, ac eas quæ uulneratæ ſunt cum ſimplici oſſis fractura; Qui quidem magnum erratum committunt, & ſunt in cauſa ut dolores concitentur, fluxiones ſequantur, abſceſſus, & alia mala; quoniam arctata parte per deligationem, à fragmentis oſſium punguntur ſentientes partes, & excrementa ſupprimuntur. Hi hæc videntes, Hippocr. modum damnant, cum potiùs ſe ipſos damnare deberent, qui minùs rectè Hippocr. ſenſum intelligant; Si enim diligenter inſpiciant, quæ ſcripta reliquit Hippocr. lib. de Fracturis, comperient, quàm diverſam adhibeant huiusmodi vulneribus curandi rationem.

CA-

CAPUT VII.

Quid agendum, ſi oſſa penitus reponi non poſſint, vel adſit oſſis portio pungens carnes.

NOnnunquam euenit, ut oſſa prolapſa, atque eminentia, in proprium locum propelli non poſſint ob multifidam fractionem, ſiquidem aliqua oſſis portio impedimento eſt alteri, ne ad proprium locum, facta quantumvis convenienti extenſione reduci poſſit. Hic eſt valdè difficilis caſus, tentare enim validiorem extenſionem non licet citra periculum diſruptionis mollium partium, & ſi quis vim inferret, dolores maximi concitarentur, & forſan convulſio accerſeretur.

Hoc igitur in caſu os extra eminens, quod in alterum impingens eſt in cauſa, ne reliquum os in proprium locum impellatur, ſecare, vel ſcalpro inciſorio vel ſerra, prout opportunitas poſtulabit, neceſſarium erit, inde vecte tentanda repoſitio. Similiter ſi qua oſſis portio carnem diſrumpat, & dolores concitet, vt ob id tentare repoſitionem citra maiorem diſruptionem, & multos cruciatus non liceat, eam præſecare oportebit. Vnde Hippocrates libro de fract text. 37. Cæterum os extra eminens his de cauſis præſecare oportet, ſi reponi non poſſit, & parum abſit, vt reponi poſſe videatur, & fieri poterit, vt auferatur: & ſi noxium fuerit, & de carnibus quid rumpat, & ſenſus moleſtiam exhibeat, nè tamen, quod ex hac præciſione eventurum eſt, noſtro aſcribatur errori, prædicenda futura partis breuitas, & ob id Hippocrates loco citato de hac re nos admonens, dicebat: Noſſe quoque id convenit, neceſſe eſſe ibi corpora breviora fieri, vbi oſſa fracta, & imminuta, hoc eſt, præciſa curantur, quod enim Latinus codex habet immutata mendum eſt. Inquit autem Hippocrates imminuta,

non præciſa, vt innuat, non eſſe parvi fruſtuli ſectionem, quæ breviorem reddat partem, ſed inſignioris osſis, & ſecundum totam ſubſtantiam. Quod verò eodem loco inquit Hippocrates, os extra eminens nudum præſecandum eſſe non parvam continet difficultatem, etenim vbi reponi poſſit, quidam ſatius iudicant, ſi reponatur, ſquama enim ſola dicunt forſan diſcedet, & brevior nequaquam reddetur pars. Hinc, oſſe cranii denudato, os non auferimus, & non raro neque ſquama oſſis abſcedit. Quare contendunt iis verbis voluiſſe Hippocratem docere, quando os extra eminens in ſupradictis caſibus ſit præſecandum, tunc videlicet, quando carne nudatum eſt quamuis expoſitionem hanc pati non videatur hic locus ob verba illa Hippocratis text. 36. Quæcunque oſſa repoſitionem refugerunt, ea diſceſſura eſſe noſſe oportet, itemque ea, quæ carnibus penitus nudata ſunt, videtur enim Hippocrates ea præſecare, tanquam deinceps omnino diſceſſura, ſicuti re vera diſcedent; cum enim carne ſint deſtituta, neceſſario alimento privantur, & ita areſcunt. Et ſemper obſervavi in praxi, ea receſſiſſe; nec eſt par ratio de cranio denudato, ipſi enim alimentum ſuppeditant venulæ in meditullio exiſtentes.

CAPUT VIII.

De curatione vulneris cum oſse fracto in tota ſubſtantia, ſed à ſede ſua non emoto.

OSſe uerò tota quidem ſubſtantia fracto, uel inciſo, at extra propriam ſedem haud elapſo, ſiquidem teſtulæ, aut fragmenta oſſis nequaquam ſint diſceſſura, aut ſaltem in pauca quantitate, præter extenſionem, & omninò repoſitionem, quæcunque ſupra dicta ſunt in curatione oſſis fracti, & à ſuo loco emoti, quando non expectatur oſsis diſceſſus, uel exigui, omnia ſunt peragenda; namque eædem ſunt indicationes. Oſſa enim fracta, uel ſecta penitus extra

tra proprium locum facilè propelli poſſunt, & ſaltem facilè in proprio etiam loco dimouentur, quod agglutinationem interturbat, & propterea prima indicatio huc reſpicit, ut oſſa in proprio loco contineantur immota: par quoque ferè imminet periculnm fluxionis, hinc omni ſtudio contra humorum fluxionem pugnandum; unde & euacuantibus, & reuellentibus, & incraſſantibus, & repellentibus, & intercipientibus agere oportebit. Neque minus tenui uictu à principio uti conuenit, ut natura egens alimenti fortius, quod ineſt ſucci, contineat, nec ſuperabundet humor ad partem debilitatam transmittendus, & omnia, quæ fluxionem promovere poſſunt, præcavenda, vulnusque tectum erit ſervandum, ut naturalis calor robur accipiat, quò poſſit, & agglutinare, & ſuppurare, ſi ſit quidpiam ſuppurandum, & pus expellere, atque carnem generare. Appoſito igitur vulneri medicamento aliquo cruentis apto, vt eſt ceratum picatum, quod calorem naturalem fovet, vel terebinthina, vel lachryma abietina, vel aliquod aliud ex iis, quæ primo libro fuere propoſita, & circa vulnus aliquo repellente, vt eſt ceratum album, vel lintea ovi albo, roſaceo, & aceto ſubacto madefacta, vel roſaceo cerato cum oleo myrtillorum, & pulvere roſarum rubearum, & myrtillorum, vel alio huiusmodi, faſcia idonea delecta deligandum erit non ſecus, atque in præcedentibus dictum eſt. Atque ad maiorem deligationis firmitatem apponendum poſtea erit linteum, vel ſplenia cerato aliquo, vt eſt picatum, vel album, illita, & aliis faſciis hinc, & illinc erit deligandum, vt ſuperiùs de ſuperfaſciatione dictum eſt, atque demum ferulæ aliquæ imponendæ. Et omninò aliquod machinamentum excogitare oportet, quo pars tuta reddatur ab omni externa iniuria. Si verò multipliciter os ſit diffractum, & multùm ob id oſſis ſit diſceſſurum, cavenda erit deligatio ſupradicta, vitanda enim oſſis compreſſio, ut ſupra dictum eſt, quando hoc in caſu oſſa proprium locum ſunt egreſſa. Quare duplicatis

illis linteis vti opus erit aſciatim poſitis, appoſito tamen prius vulneri idoneo medicamento, & defluxiones obſervandæ, ne pus intercipiatur, tenuiſſimusque victus erit imperandus, maximum enim imminet inflammationis periculum. In hoc etiam caſu mihi non diſpliceret quadruplicatum illud linteum Parei ſuperiùs relatum.

CAPUT IX.

De vulneribus venenatis.

VVlnera venenata, aut infliguntur à fera venenata, vt cane rabido, vipera, &c. aut à telo veneno quopiam infecto, vel natura, vt inflicta ſagittis, quibus loco ferri ineſt os piſcis venenati, &c. vel arte, eò quòd telum aliquo veneno fuerit illitum, vel etiam caſu, vt quando interficitur fera venenata aliquo telo, vel ad telum appoſitum fuerit aliquod venenum continens, quod unà cum telo corpus per vulnus ſubiens ſanguinem inficit, & corpus per partem poſt partem. Verum quæ à fera venenata infliguntur, vt plurimum ſunt lethalia vi veneſica potiùs, quàm vulneris qualitate, raræ enim ſunt feræ, noſtris maximè regionibus, quæ vulnus effatu dignum dentibus infligant, non ſic in Africa. At quæ à telo, non ſolùm per culum ſubeunt à vi veneſica, ſed non raròetiam à vulneris qualitate. Palam autem eſt, vulnera hæc magna ſemper eſſe ratione facultatis, facultas enim ex ſe non apta eſt venenum ſuperare, immo veneno ſuccumbit.

Signa. Signa verò horum vulnerum, ſi à fera venenata fiant, ex relatione ægrotantis haberi poterunt, ſi verò à telo venenato, ſupervenientia ſtatim ſymptomata præter vulneris rationem demonſtrabunt; nam & dolores præter rationem, & tumores, & livores, & fervores, & animi deliquia, & vomitus, & ſudores frigidi talia vulnera conſequuntur. Quæ autem ſit veneni peculiaris con-

conditio, in genere quidem ſtatuendum eſt, ſi à telo inflictum vulnus fuerit, quod ſit putrefaciens, & tota ſubſtantia corrumpens, etenim narcotica, & corroſiva telo adhibita nihil effatu dignum vulneri addunt, neque per venas, aut atterias intro ſubeunt. Quænam verò ſpecies veneni putrefacientis ſit, non eſt adeo explicatu facile oportet ſiquidem callere omnia ſymptomata, hoc, & illud venenum comitantia, quæ præſentis loci non eſt recenſere: a fera autem venenata, & venenum frigidum prodire poteſt.

Semper ergo periculoſa ſunt huiusmodi vulnera ratione veneni, ac niſi quamprimum ſuccurratur, mortem ineuitabilem afferunt, quamvis modò citius, modò tardius pro veneni ſævitia, & qualitate. Si verò accedat vehementia ratione eſſentiæ, eò vrgentiùs eſt periculum, non ſolum ratione magnitudinis vulneris, ſed etiam & magis ratione veneni, quod faciliorem habet ingreſſum ad penitiora corporis, & cor. Si verò accedat etiam vehementia ratione dignitatis, actum eſt, & raro auxilia, quamvis ſtatim adhibita, fructum aliquem afferunt. *Præſagia.*

CAPUT X.

De curatione vulnerum venenatorum.

QVoniam veneni ea eſt conditio, vt quodlibet in corpore obvium corrumpat, & in ſua naturam vertat, donec immutatio ad principia vitæ, & cor pervenerit, quæ præcipuè labefactat, & demolitur, propterea venenatorum vulnerum curatio admodum diverſa eſt à reliquorum vulnerum curatione, in reliquis enim vulneribus omnia tendunt in vnionem, hìc verò complicatæ ſunt contrariæ indicationes. Namque vulnus quatenus eſt continui ſolutio vnionem poſtulat, venenum verò adiunctum, tanquam naturæ noſtræ à tota ſubſtantia inimicum, poſtulat, vt per vulnus quamprimum

mum extrahatur, quod fieri non poteſt, niſi vulnus ſervetur patens, & etiam amplius reddatur, niſi quid urgentius prohibeat. In reliquis vulneribus omnia facimus, vt fluxio avertatur è parte, unde & venæ ſectione, & purgationibus utimur, at in venenatis fluxionem ſpernentes, quamdiu venenum urget, conamur ad partem attrahere, venenumque evocare.

Quoniam ergo venenum magis urget, quàm ſolutio continui, utpotè quod celerem interitum minatur, hinc à principio ſtatim vulnere ſpreto, omnem curam ei adhibemus. Et quoniam eius proprium eſt cor petere, hinc duo ſtatim ſeſe offerunt ſcopi, videlicet ut corroboretur, quo poſſit longè à ſe id propellere, & vt per eundem locum, per quem habuit ingreſſum, per eundem extrahamus, quantum fieri poſſit. Tertius interdum ſuccreſcit ſcopus, nam venenum quandoque etiam qualitate agit manifeſta, quare & alteratio per contrariam qualitatem indicatur. Primum præſtamus, non ſolum per ea, quæ manifeſtis qualitatibus cordis calorem, & temperamentum ſervant, & roborunt, verùm, & per ea, quæ à tota ſubſtantia veneno occurrant, tam intro adhibita, quam extrinſecus uſurpata, & à totius ſubſtantiæ proprietate contra illud cor muniunt. Hinc magnæ antidoti maximè ſunt ex uſu, videlicet Mithridatium, & theriaca Andromachi per os exhibita, ſimiliter aqua theriacalis: quinta eſſentia Matthioli, oleum magni Ducis Hetruriæ, oleum, quod ad peſtem Ferrariæ parari ſolet. Inter ſimplicia lapis Bezoar, ſmaragdus orientalis, bolus Arm. orient. terra Lemnia, Samia, citri ſemina, radices ſcorzoneræ, ſcordium. Extrinſecus verò quamvis, & theriaca, & Mithridatium non ſint ſpernenda, attamen oleum Matthioli cordi, & arteriis illitum principem locum obtinet, & ei affine eſt, quod pro peſte Ferrariæ conficitur, & magni Ducis Hetruriæ.

Aſſumenda in vulneribus venenatis.

Per vulnus autem venenum evocabimus, ſi ad ipſum, & circumiacentes partes omni genere attrahentium utamur,

mur, ita ut adminiſtrentur, & quæ manifeſtis viribus attrahunt, & ad receptionem partem idoneam reddunt, puta dolore, & calore, & vi vacui, &c. & quæ à totius ſubſtantiæ proprietate venenum attrahunt, & etiam ſimilitudine. Optimum igitur erit primò partem ſcarificare, & vulnus undique ut ſanguis copioſus effluat, cucurbitaque etiam, ſi fieri poſſit, copioſa flamma applicanda, aut ſimile aliud vas, quæ quidem duo remedia propoſuit Celſus lib. 5 cap. 27. Hirudines non ſunt ſpernendæ: mihi tamen magis arridet ſcarificatio, & cucurbitæ appoſitio. *Quomodo venenum per vulnus evocetur.*

Suctus quoque non leviter venenum poteſt evocare, ſed vt facilius materia ſuctum ſequatur, curandum, ut pars vulnerata in decliviori ſit loco, & vulneratus in loco calido collocetur. Sed ne qui ſugit, & ipſe veneno inficiatur, non ſit jejunus, nullum habeat in ore ulcus, nullus ipſe ſit dens carioſus, & priusquam exugat, os colluat vino aliquo aromatico, & generoſo, deinde ore aliquantiſper contineat oleum violaceum, vel roſaceum ne poſſit venenum adhærere, & quod ſugit, caveat, ne transglutiat, nec diutius etiam in ore contineat, ſed ſicuti ſugit, ita expuat, ſic enim tuto opus perficiet. Quod qui antiquitus præſtabant Pſylli appellabantur, exiſtimabanturque proprietatem quandam habere venenum attrahendi ſuctu ipſo, & eidem reſiſtendi: cum tamen in ſimplici ſuctu vis inſit, & quilibet homo ſugens audacter idem præſtabit, quod antiquitus Pſylli, unde Celſus lib. 5. cap. 27. Si ne id quidem eſt, hoc eſt, ſi deſit cucurbitula, aut vas ſimile, homo adhibendus eſt, qui vulnus exugat. Neque ſanè ſcientiam habent præcipuam hi, qui Pſylli nominantur, ſed audaciam uſu ipſo confirmatam. Nam venenum ſerpentis, ut quædam etiam venatoria venena, quibus Galli præcipuè vtuntur, non guſtu, ſed vulnere nocent. Et paulo poſt: Ergo quisquis exemplum Pſylli ſequutus id vulnus exuxerit, & ipſe tutus erit, & tutum hominem præſtabit. Ille ne intereat, ante *De ſuctu.*

te debebit attendere, ne quod in gingiuis, palatove, aliave partes oris vlcus habeat, &c.

Poſt hæc is homo loco calido collocandus eſt, ſic ut id, quod percuſſum erit, in inferiorem partem inclinetur. Hinc lavandum vulnus aqua ardenti, vel aceto calido, vel vino potenti, in quo theriaca, vel Mithridatium fuerint diſſoluta, vel aqua theriacali. Deinde oleum Matthioli fervens inſtillandum vulneri. Oleum quoque quod ad peſtem Ferrariæ paratur, eſt præſtantiſſimum. Oleum quoque noſtrum de hyperico non eſt ſpernendum. Succus herbæ Reginæ appellatæ inſtillatus miras habet vires ad omnia venenata vulnera, ſicuti & ſuccus ſcorzoneræ. Super imponendaque animalia, quæ viva ſint, per medium diſſecta, ad veneni extractionem, ut gallinæ, & gallinacei galli. Celſus loco citato proponi pullum gallinaceum, agnum, hœdum. Quæ tamdiu detineantur, quamdiu ſervant naturalem calorem, quo amiſſo ſtatim ſunt immutanda. Ad quod etiam valet galli, vel gallinæ podex deplumatus, & vulneri ſuperpoſitus, repetitis tot gallis, quot ſatis ſint ad evocandum venenum. Emplaſtra quoque conveniunt acria, & quæ vim habeant ex alto attrahendi, & venenum evocandi, & qualitatibus manifeſtis, & à totius ſubſtantiæ proprietate. Optima autem eſt calx melle ſubacta addita theriaca. Allia, & cæpæ elixa, & contuſa cum carduo benedicto; ſem. hyperici, & rad hellebori nigri; emplaſtra ex caricis, fermento, ſinapi, thapſia, ſulphure, ammoniaco, galbano, bdellio, myrrha, rad. ariſtoloch ſerpentariæ, imperatoriæ, oleo de terebinthina, hypericino, Hiſpanæ, & hujusmodi. Similitudine attrahunt ſublimatum, & arſenicum, & cantharides etiam. Hinc apud Indos in aliorum remedium defectu utebantur ſublimato, & præclaram operam præſtabat. Attrahunt tamen hæc non ſolum ſimilitudine, ſed & manifeſtis viribus. Probatur quoque cauterium actuale; nam niſi venenum in penitiores partes ſubierit, illud attrahit, & conterit.

Ani-

Animadvertendum tamen, ne, dum Scyllam evitare ſtudemus, in Charybdim incidamus. Etenim, ſi vulnus ſit in partibus nervoſis, periculum eſt, ne ab acribus, & mordacibus excitetur convulſio. Et propterea vbi vulnus eſt in parte, quam nec ſcarificare ſat licet, nec acribus medicamentis affligere, potiùs vtendum eſt iis, quæ à proprietate totius ſubſtantiæ venenum evocent, vt eſt theriaca, oleum Matthioli, & hujusmodi; & ſi manifeſtis qualitatibus attrahant, omnis mordacitatis ſint expertia. Ob id etiam neque valdè acrium ad ipſum vulnus diuturnior debet eſſe vſus, verum vbi vna, vel altera de iis vſi fuerimus, vnguentum excogitetur quam minimum acre, attrahendi tamen facultate præditum, quodque naturalem calorem poſſit conſolari, illudque linamentis exceptum intra vulnus immittatur, & aqua etiam ardenti liquatum actu calidum inſtilletur. Hujusmodi ſane fuerit vnguentum Macedonicum, cui oleum Hiſpanæ appellatum, & oleum Matthioli, vel myrrhæ fuerit additum, & præcipitatum ipſum, & id genus alia exempli gratia.

Animadvertenda in uſu eorum quæ venenum per partem evocant.

Recipe Vng. Macedonici, vnc. iij.
Olei de terebinthina.
Matthioli ana drach. iij.
Præcipitati s. p. drach. ij.
Herbæ Reginæ drach. i. s.
Ceræ modicum.
Miſce, & f. vnguentum.

Aliud.

℞. Terebinthinæ, aquæ vel ſucco ſcorzoneræ lotæ, vnc. ij.
Propoleo s. vnc. i.
Olei Matthioli. vnc. s.
De terebinthina drach. ij.
Præcipitati drach. i. s.
Scordij.
Rad. ſcorzoneræ ana ſcr. iv.
Miſce, & f. vnguent.

 Diſpo-

Diſpoſitis per vulnus linamentis, ſuperponendum ceratum, aut emplaſtrum, quod validas vires obtineat evocandi venenum. Cerati exemplum eſto.

℞. *Ammoniaci.*
Galbani.
Bdellij ana vnc. s.
Stiracis liquidæ drach. iii.
Myrrhæ.
Sulphuris ignem non experti ana drach. ii.
Euphorbii.
Præcipitati ana drach. i.
Olei Matthioli.
De terebinthina ana drach. ii.

Diſſolvantur gummi aceto ſcyllitico, & cum reliquis miſceantur, atque cum propoli, ac pice navali q. s. f. Ceratum.

Emplaſtrum ſic poterit confici. Accipiantur.

Rad. ſerpentariæ.
Ariſtolochiæ rot. ana vnc. i.
Tabaci.
Scordii ana m. i.
Thuris.
Myrrhæ.
Sulphuris ignem non experti ana vnc. s.
Dictamni Cretici.
Rad. Angelicæ.
Dictamni albi ana drach. iii.
Olei de terebinthina vnc. ii.
Matthioli, vel alterius ſimilis vnc. i.
Ceræ.
Picis navalis q. s.
Miſce, & f. emplaſtrum s. a.

Aliud.

℞. *Summitatum hyperici m. ii.*
Cardui benedicti.
Scordij.
Tabaci.

Vin-

Vincetoxici, ana m. i.
Rutæ, p. i.
Rad. ſerpentariæ vnc. ii.
Rumicis vnc. i. s.

Contundantur, & emplaſtri modo applicentur.

Qui arti Spagyricæ ſunt addicti præſtantiſſima remedia ſe inveniſſe ad omnia vulnera venenata profitentur, miriſque laudibus extollunt Butyrum Arſenici fixi, & dulcificati; Præcipitatum dulcificatum, balſamum tartari, oleum Mercurii corporale, oleum Antimonii, oleum ſulphuris vitreolatum, oleum ſulphuris terebinthinatum, & id genus alia. Quorum compoſitionem à Quercetano petas in ſuo ſclopetario, & in ſuo libro de præparatione Spagyrica. Iis enim nunquam ſum uſus, & proinde neque in eorum compoſitione inſiſtere volui.

Animadvertentum etiam, ubi ſigna adſint, venenum jam ad penitiores corporis partes penetraſſe, ut quando adſunt ſudores frigidi, ſyncope, ſeu animi deliquia, deliria, anguſtiæ, & hujuſmodi ſymptomata, tunc non eſſe affligendam nimis partem affectam, ſed toti curam eſſe adhibendam. *Non eſt nimis affligenda pars quando venenum venas penetravit.*

Ubi verò jam venenum devictum eſt, ſcopus, qui è ſoluta unitate deſumitur, eſt adimplendus, ideoque curandum erit, ut quam primum vulnus ſuppuret, & propterea tegere ipſum oportebit, atque tectum ſervare, non ſecus, ac in aliis vulneribus faciendum diximus, applicantes tamen prius ipſi vulneri idoneum medicamentum, cujuſmodi eſt terebinthina, vel oleum abietinum. Quod ſi inflammatio partem occupaverit, ejus remedia non ſunt prætermittenda; unde quæ venæ ſectio primo prohibebatur, & purgatio, ne venenum ad totum corpus duceret, nunc fieri poterit, ſi vires ferant, & reliqua pro ratione. *Veneno devicto quid agendum.*

Hoc vnum in vulneribus venenatis animadvertendum eſt, ſi ſtatim fueris vocatus, antequam venenum intro repat, optimum eſſe conſilium partem vulneratam paulò

lò ſupra vulnus arctè devincire, non tamen ita arctè, vt pars inde torpeat, ne tum facilis pateat aditus veneni ad totum corpus, & interim poterit evocari, vnde Celſus loco citato. Igitur in primis ſupra vulnus id membrum deligandum eſt non tamen nimium vehementer, ne torpeat. Ubi tamen vulnus non ſit in artubus præſidium hoc in uſum revocari haud quaquam poterit. Si vulnus in digito foret, & vulnus exitiali veneni qualitate inevitabile afferret mortis periculum, utpotè quod remedium deludat, optimum eſſet conſilium præmiſſo prognoſtico, antequam venenum intro reperet, digitum ad articulum poſtremum amputare, & permittere, ut ſanguis copioſus flueret. Idem quoque in certo mortis periculo, & aliis partibus vulneratis, quæ amputationem ferunt, decens eſſet experiri. Scopos ſpectandos in curatione vulnerum vênenatorum pulcherrimè propoſuit Gal. 13. Meth. 6. quamvis enim de dolore ex animalis virulenti punctu morſuve ibi ſermonem habeat, tamen idem etiam inſeruit non minus curationi ictus, vel puncturæ virulentæ, dicebat enim; Vbi ex animalis punctu, morſuve dolor incidit, duplex doloris ſedandi ratio ineſt, vel virus ipſum vacuando, vel quod dolorem excitat, alterando, ſanè vacues id eorum medicaminum ope, quæ vehementer attrahunt, alteres iis, quæ ſunt contraria, idque vel qualitatibus, vel tota ſubſtantia, & inferius: In doloribus univerſis, qui vel ex animalium, medicamentorumve noxa excitantur, duplicem indicationem habet, nempe ejus, quod dolorem creat, vacuationem, atque alterationem. Vacuant id tamen calefacientia omnia, tum quæ citra calefactionem vehementer trahunt, veluti & cucurbitulæ, & cava cornua quædam, quibus nonnulli cucurbitularum vice utuntur. Sunt autem, & qui ore virus extrahunt, ægræ videlicet particulæ ad moti, ipſamque labiis complexi. Huc ſanè pertinet & cauterium, & medicamenta, quæ cauteriis ſimiliter eſcharam efficiunt. Atque hæc omnia totam ejus, quod infeſtat, ſub-

ſubſtantiam exinaniunt. Alterum auxiliorum genus eſt eorum, quæ qualitatem per contraria alterant, ſcilicet exhibentibus nobis, ſi vehementem calorem æger vel in ipſo demorſo loco, vel in toto corpore ſentiat, auxilia refrigerantia, ſin frigus calefacientia.

Illud autem in primis curæ eſſe debet, ne teli portio, vel alterius corporis, quod veneno ſit infectum, intra vulnus contineatur, omnia ſiquidem remedia irrita faceret, ſed quam primum omni ſtudio adhibito educendum, quod ni fuerimus aſſecuti, caſus ferè eſt deploratus. Primo igitur apparatu manuali operatione extractio procuranda, qua ſi parum profecerimus, cum emplaſtris, quibus venenum evocare contendimus, ea permiſceantur, quæ tela & alia peregrina corpora & manifeſta qualitate, & totius ſubſtantiæ proprietate attrahunt, de quibus aliàs actum eſt.

CAPUT XI.

De capitis vulneribus, & primò de eorum differentiis.

VEllem ſicuti materiam pulcherrimam, & nobiliſſimam, quam pertractarem de legi, ita intellectus mei vires materiæ ſuſceptæ proportione reſponderent; ſed hanc video longè excedere nimis tenues ingenii mei vires fateor, & agnoſco, ut propterea mihi non parum ne ſuccumbant, ſit timendum, rei enim difficultas materiæ dignitati ne minimum quidem cedit. Quod cum in omnibus liceat perſpicuè intueri, attamen in iis; quæ nunc aggredimur, manifeſtius apparet. Quid enim in arte Medica difficilius, quàm vulnera capitis pertractare? Solent plurimi ex morbis propria ſævitia interficere: At vulnera capitis quamvis multa ſui ſævitia interimant, fortaſſe plura quia eorum natura lateat, interimunt. Pauci ſunt admodum ex lethalibus morbis, qui aliquam, immò evidentem ſui cognitionem non

præ-

præbeant: At non rarò capitis vulnera, & ſi lethalem affectionem habeant adnexam, nulla ejus præbent indicia, niſi poſtquam de ſalute patientis actum eſt. Quot levia, & nullius momenti apparent, quæ cum ſanitas expectatur, & jam propè adeſſe exiſtimatur, mortem inferunt? Alia videas, quæ lethalis affectionis indicia exhibent, ſed quanam in parte mortis principium contineatur, ſemper hæreas, & cuinam parti medela ſit adhibenda, incertus ſis. Sunt quidem partes, quarum vulnera cæteris paribus majoris momenti exiſtunt, quam ipſius cerebri, ut patet de cordis vulneribus, è quibus, quoniam cor eſt vitæ fons, & origo, nulli datur evadere, cum è cerebri vulneribus non pauci evadant, verùm ubi vulnus cor ipſum non attigerit, & ſi thoracis cavitatem penetret, haud inſigne affert periculum; At in capite exiſtentia vulnera quamvis ipſum cerebrum, aut membranas illud involuentes non attigerint, vt in dies experientia teſtatur, non rarò mortis ſunt in cauſa.

Explicatio principii libelli de vuln. cap. Hippocratis.

Hinc Hippocrates libro de vuln. cap. ſtatim in principio quaſi præmium proponens ſuo de vuln capitis lib. in quo lectorem redderet attentum, docilem, atque benevolum, proponendo ſe acturum de rebus maximis, & difficillimis, videlicet de capitis vulneribus, dicebat: Nullum capitis vulnus leviter contemni debet, cum & cutis ſola diſſecta, vel contuſa, niſi ut decet, tractetur, Medico negotia, & ægroto pericula afferre poſſit, non enim ſum cum Fallopio, qui exiſtimavit expungendum eſſe hoc principium usque ad illa verba Hominum capita, &c. ductus auctoritate codicis Græci Cardinalis Florentini manuſcripti, in quo omnia ea deſunt, cum enim tale principium ſit Hippocrate dignum, & materia pertractata ſit digna, ut procemium præmittatur, potius exiſtimaverim mendum, ſeu defectum eſſe in Græco illo codice. Neque falſa continet iſtud procemium, quod quidam voluerunt, & idcirco expungi debere arbitrati ſunt, credentes, quando non eſt læſio niſi in ipſa cute,

vul-

vulnus omnino eſſe periculi expers, & ideo concludentes, perperam dici, nullum vulnus debere contemni, & ſæpè cutem ſolam ferro, aut aliqua alia re contuſam, ſi non diligenter, & cum quadam cautione curetur, veluti ſi ſanguis concretus non expurgetur, aut aliud quiddam negligatur, ulcus incrudeſcens non parum moleſtiæ exhibere, ut aliquando etiam febrem inducat, medicoque negotia, ægroto verò pericula non minus afferre: neque enim ita pingui Minerva ſunt interpretanda verba illa. Volebat Hippocrates nobis exponere quàm arduum ſit, & operoſum vulnera capitis tractare, & propterea vulnera in capite, quæ nullius momenti videntur, in exemplum adduxit, cutim videlicet contuſam ferro, aut aliqua alia re, quod quidem vulnus in alia parte nihili faceremus, at in capite, inquit Hippocrates, nunquam exiguum quantumvis vulnus parvifaciendum eſt, ita ut exiſtimemus, tractandum eſſe, ſicuti ſi in quapiam alia foret parte, ſæpe enim contingit, apparere ſolam contuſionem, vel etiam diſſectionem in cute, cum tamen adſit latens læſio, ex qua ipſi ægrotanti pericula non levia imminent, ſed peculiari quadam diligentia ſunt tractanda, ut nihil prætermittatur, quod naturam affectus poſſit patefacere, & ita etiam poſtea recta, & conveniens inſtitui poſſit curatio. Licet enim vulnus ad aſpectum exiguum, & ſpernendum videatur, nunquam tamen certi erimus, ſolam adeſſe læſionem apparentem, quæ certè nullum periculum afferret, niſi poſtquam diligenti diſquiſitione uſi fuerimus, & rectam & convenientem curationem nos inſtituere: quod ſi de parvis, quatenus tamen primo aſpectu dijudicare licet, id eſt verum, quid erit de majoribus? meritò ergo dicebat Hippocrates, nullum capitis vulnus leviter contemni debere, ita ut videlicet prætermittatur conveniens inquiſitio, quæ ad exactam ejus cognitionem nos ducat, cui tota innititur curatio. Divino igitur implorato auxilio materiam hanc difficillimam aggrediemur, tractantes au-

tem de vulneribus organicarum partium, à capitis vulneribus exordiri decrevimus, tum quia in capite continetur principalis noſtri corporis pars, cerebrum videlicet, principium, & auctor facultatum omnium principum, atque ſenſitivarum, & motivarum, tum quia vulnera hæc peculiarem quamdam providentiam requirunt, ut ſuo loco videbimus.

Differentia vulnerum capitis. Vulnera igitur capitis aut ſimplicia ſunt, aut compoſita, interdum enim adeſt ſectio, ſeu ruptio venæ alicujus inſignis, vel arteriæ, modò deficit ſubſtantia, aliquando adeſt contuſio, modò os læſum eſt, modò membrana craſſa cerebrum ambiens, modò tenuis, modò ipſum cerebrum, & hujuſmodi. Quæ verò ſunt compoſita cum oſſis læſione multiplicia ſunt pro ratione differentiarum læſionis in oſſe, quæ vel ſimplices ſunt, vel compoſitæ. Verùm, quoniam compoſitæ ex ſimplicium cognitione innoteſcunt, de ſimplicibus læſionibus primò tractabimus. Per læſiones autem oſſis eas intelligimus, quæ à mole, & violentia cauſæ vulnerantis proveniunt, non quæ exempli gratia, ex alteratione æris ortum habent, aut ex putredine ſub cranio exiſtente, hic enim eſt alius compoſitionis modus.

Differentiæ læſionis calvariæ. Quatuor igitur ſimplices læſiones ex violento occurſu vulnerantis cauſæ oſſi contingunt, videlicet introceſſio, rima, contuſio, & ſedes teli, tres autem ex iis fracturæ quædam oſſis exiſtunt, videlicet rima, contuſio, & ſedes teli. Introceſſio verò poteſt oſſi accidere, quamvis non frangatur.

Rima quid, & differentiæ. Rima eſt diviſio oſſis anguſta, quæ contingit, quando aliquod grave, & obtuſum os rumpit, cum enim tanquam molle non cedat ictui, rimam ob violentiam contrahit, quæ & ipſa multiplex eſt, namque aliæ rimæ cæcæ ſunt, aliæ patentes, aliæ ſuperficiales, aliæ profundæ, & oſſis etiam ſubſtantiam totam penetrantes, aliæ longiores, aliæ breviores, aliæ arctæ, aliæ obliquæ, aliæ partim rectæ, partim obliquæ, aliæ hujus, aliæ illius figu-

ræ,

ræ, quas omnes differentias poſuit Hippocrates lib. de vuln. cap. text. 7. dicebat enim : Os vulneratum finditur, & oſſi fracturam continenti, & ambienti neceſſe eſt contuſionem accedere ſi fixum fuerit, nam telum, quod os rumpit, idem etiam os aut magis, aut minus contundit. Atque hic unus modus eſt. Species fixurarum omnigenæ fiunt, quædam verò etiam valdè amplæ, & aliæ quidem in longiorem modum rumpuntur, aliæ verò in breviorem, & aliæ rectiores fiunt, aliæ valdè rectæ, aliæ verò curuiores, & curuæ, ac profundiores, aliæ autem ad infernam partem, & tum os. Inquit autem Hippocrates, oſſi fixuram continenti, ac ambienti neceſſe eſſe contuſionem accedere, volens inferre, non dari ſimplicem fixuram absque contuſione, cum enim à corpore gravi, & duro, atque obtuſo accidat fixura, fieri non poteſt, quin & os contundatur, majus eſt enim, quod fixuram patiatur, quam quod contundatur. Atque ita os fixuram continens ſimul etiam contuſionem habet. Atqui ſi verum ſit, una cranei parte fracta ab oppoſita poſſe rimam contrahi, utique neceſſarium fuerit fateri, dari rimam absque contuſione, quæ enim contuſio poterit eſſe in parte, cui non accidit cauſa contundens ? idem dici poteſt, quando os in una parte contunditur, & in altera proxima rimam contrahit. Quare de mente Hippocratis forſan non eſt, quod cuilibet rimæ conjuncta ſit contuſio, ita ut non detur rima absque contuſione, ſed quod illi rimæ, quæ ex vi ictus in parte ictum recipiente contrahitur, neceſſarium eſt etiam contuſionem accedere, & ideò ſubjungebat : Nam telum, quod os rumpit, idem etiam magis, aut minus os contundit, ſi enim rumpitur os, quanto magis cedet ? quamvis enim exterior, & interior lamina ſint duræ, inter quas tamen meditullium continetur, ex quo facile fit, ut os telo contundenti cedat, quod eſt de ratione contuſionis, ſiquidem majus eſt, quod findatur, quam quod cedat, immò findi non videtur, niſi quia cedat in ſeipſum.

Num detur rima ſine contuſione.

ex qua ceſſione ſi fuerit inſignis, neceſſarium eſt, ut contingat fixura, niſi mollius ſit os, ut in pueris obſervatur, oſſa enim ipſorum quandoque vehementem contuſionem patiuntur, & ſi rimam non contrahant. De ea verò rima, quæ in oppoſita parte contrahitur, alia eſt ratio, non enim fit ex ictu teli immediatè, ſed alia de cauſa, vt ſuo loco declarabitur. Proprium ergo erit huius fracturæ, quòd in parte, quæ ictum non ſuſtinet, poſſit contrahi.

Contuſio quid. Contuſionis natura quamuis prima facie videatur manifeſta, non tamen eſt adeo cognitu facilis, ſicuti apparet, & ideo oportet animaduertere, contuſionem fieri à corpore duro, obtuſo, graui, ſeu ponderoſo violenter agente, nihil autem differt, ſiue id, quod contundit, in patiens proiiciatur, ſiue patiens in ipſam contundentem cauſam cadat, aut impellatur. Et dupliciter contingere poteſt, uno quidem modo partibus contuſis intus depresſis permanentibus poſt ictum, quod fit contuſione durioribus partibus accedente, altero uerò modo reſilientibus partibus poſt compresſionem, quod accidit, quando molliores partes contundantur. Si primo modo contuſio accidat, non eundem locum ſeruant partes contuſæ, quem prius, antequam ſcilicet contunderentur, ſed humiliores ſunt. Si uerò ſecundo modo, partes poſt ictum priſtinum ſuum obtinent locum,

Quid ſit illiſio, & colliſio. Ita ergo & in oſſe capitis poteſt fieri contuſio vtroque modo, quandoque enim os contuſum depreſſum manet, & huiusmodi læſio dicitur illiſio, Græcè Enthlaſis, vnde Galenus libro de morb. cau. capitulo vltimo: Quod ſi concauitas aliqua à collidentis corporis ictu inducta appareat, eiusmodi affectus enthlaſis, id eſt, illiſio nominari debet, quandoque verò reſilit, taliſque læſio colliſio dicitur, Grecè thlaſma, ſeu thlaſis, in qua quidem os in proprio ſuo loco conſpicitur, & externa ſuperficies apparet ſana, cum tamen ſecundùm internas, & latentes partes ſolutionem continui patiatur, & veluti quaſſationem, eò quod neceſſarium ſit in ſe ſe cogi id, quod colliditur.

Duri-

Duriora autem oſſa contuſa, atque depreſſa reſilire, & ad proprium locum redire non conſueuerunt, & ideo mollioribus tantum oſſibus, qualia ſunt oſſa puerorum, accidit colliſio. Vnde Galenus, 2. de morb. cau. capitulo vltimo: Huius generis eſt thlaſma quoque, id eſt, colliſio. Id magna ex parte accidit in carne: & ſi nonnunquam, & in oſſe videatur euenire, idque maximè in pueris, oportet enim, vt in ſe ſe cogatur omnino id, quod colliditur, atque ita ſit molle, vt abſolutam duritiem non aſſequatur. Proinde vel caro erit, vel oſſium aliquod molle, quod colliditur ſub irruente extrinſecus aliquo violento, valido, & duro corpore. Igitur ſi partis ita affectæ externa facies integra permaneat, & in profundo ſint multæ, & paruæ diuiſiones, huiuſmodi morbus thlaſma, & thlaſis, id eſt, colliſio appellabitur. Et paulò inferius: Vt neceſſarium autem eſt colliſam partem ſub ictu in ſe repelli, & concauam fieri, alioqui non collideretur, ita ſeruari concauitatem, feriente remoto, neceſſarium non eſt; quippe mollia corpora omnia ſeparato percutiente ad priorem habitum redire ſolent. Contuſio igitur primo modo contingens, id eſt, illiſio, non eſt ſimplex contuſio, ſed cum depreſſione compoſita; at ſecunda contuſio eſt ſimplex fractura nulli alteri affectui iuncta, & ideo de ea loquens Hippocrates libro de vuln. cap. text. ſeptimo dicebat: Poterit autem os & in ſua ipſius natura contundi, ita vt nulla fixura ad contuſionem oſſi accedat, per hoc enim, quod inquit in ſua ipſius natura, voluit ſignificare os in ſuo ipſius loco permanere, cum poſt ictum reſiliat, & in latentibus tantùm partibus fiat ſolutio vnitatis, quæ contuſio dicitur. Conſueuit enim Hippocrates locum appellare naturam, vnde libro de art. text. *69.* commentarii primi, eodem loquendi modo vtens, dicebat, de fractura iuguli verba faciens; Itaque cum hæc ita ſe habeant, aberant quicunque arbitrantur partem oſſis, quæ eminet, poſſe inferius detrudi, immò perſpicuum eſt inferiorem

potiùs ſurſum eſſe reducendam; ea namque eſt, quæ motionem habet, ea item eſt, quæ de natura ſua diſceſſit. Nec mirum videri debet, quòd os capitis talem contuſionem patiatur, ſiquidem uniforme non eſt, ſed in intima parte, quæ meditullium dicitur, mollius eſt, ſeu minus durum, ut facilè in meditullio contingere poſſit quaſſatio, nullo in extrema parte apparente veſtigio læſionis, cujus ratione dicebat Hippocrates loco citato text. 8. nullam contuſionum ſpeciem oculis intuenti cognoſcere dari, quali nam ſpecie exiſtat, & quanta magnitudine, neque enim dicebat, etiamſi ſint contuſa, & malum factum ſit, an contuſa ſint, oculis videre conſpicuum ſit ſtatim poſt vulnerationem.

Differentia.

Quod verò multæ contingant contuſionum differentiæ, & penes longitudinem, & latitudinem, & profunditatem ſatis, ſuperque notum eſſe poteſt conſideranti, & corporum contundere potentium varietatem, nec non & vim ictus, diverſitatemque oſſium capitis, quod ad robur, & firmitatem, tum in eodem cranio, tum in diverſis ratione vel ætatis, vel ſexus, vel propriæ naturæ, ideoque Hippocrates loco citato: Species autem contuſionis plures ſunt, nam & magis, & minus contunditur, & altius, ac per totum os, & minus in altum, ac non per totum os, & in ampliorem, ac minorem tum longitudinem, tum latitudinem.

Sedes teli quid.

Sedes teli Græcè ἕδρα appellata eſt ſimplex fractura, quæ fit à telo incidente, ut incidens eſt, unde Galenus libro de morb. cau. cap. ultimo: Si verò ab acuto aliquo ipſis irruente, & incidente ſolvantur, eccope, & diacope, id eſt, inciſio, & hedra, id eſt, ſedes vocantur. Et quoniam telum aditum habuit ad intimas oſſis partes; hinc eſt, ut oculis cernere poſſimus hanc fracturam, notum enim eſt, quo telum aditum habuit. Amplius, quoniam telum fragit os, ut ſecans eſt, hinc fit, ut os loco ſuo non recedat, ſed diviſionem à telo patiatur in ſuo manens loco. Unde Hippocrates libro de vuln. cap.

text.

text. 9. Sedes autem vocatur, cum manente oſſe in ſua ipſius natura, id eſt, in proprio loco, telum, quod in os incubuit, manifeſtum fecerit, quo incubuit, unde patet, ad ſedem teli per forationem ipſam reduci.

Hujus ergo fracturæ ſpecies variæ ſunt, & ſecundùm figuram, & dimenſiones omnes; nam alia eſt latior, alia anguſtior, alia profundior, alia minus profunda, alia longior, alia minus longa, & propter teli figuram, & ictus violentiam, unde Hippocrates loco citato: Hæc autem ſedes ipſa in ſe ipſa longior, ac brevior fit, & curuior, ac rectior, & orbiculatior, & multæ aliæ ſpecies talis modi ſunt, prout etiam figura teli fuerit, & eædem etiam profundiores, & deorſum, & magis, ac minus, & anguſtiores, & ampliores, & valdè amplæ, ſi diſſectione intercisa fuerit. *Differentiæ.*

Introceſſio ſimplex nihil aliud eſt, quam depreſſio, quædam oſſis, vnde os à natura ſua recedit verſus membranam, eamque comprimit, vel ſaltem ei inhæret; ſi ſecundùm totam ſubſtantiam introceſſerit, quandoque enim prima tantùm lamina ad meditullium deprimitur, & quamuis oſſa duriora citra fracturam non introcedant, molliora tamen, qualia ſunt puerorum, nulla contuſione, aut rimæ contractione poſſunt introcedere, vt videre eſt in cerea ſphera. *Introceſſio.*

Differentias autem recipit, & penes quantitatem oſſis introcedentis, nam modò maior, modò minor oſſis quantitas introcedit; & penes profunditatem, nam modò profundius, modò minus alte introcedit. Accidit non raro introcesſio hæc pueris abſque vulnere, & ſæpiùs natura, quando parua eſt, abſque vlla externa ope illam ſanat. *Compoſita læſione: oſſis.*

Hæ ſunt ſimplicium læſionum ſpecies, ex quarum complicatione varia multæ exoriuntur compoſitionum ſpecies, ad ſedem enim interdum accidit rima, tum ſimplex, tum multiplex, nonnunquam etiam contuſio, & introceſſio, aliquando etiam ſimul adeſt oſſis ſubſtantiæ defectus, & ſic de reliquis. Inter præcipuas tamen læſiones

ſiones compoſitas vna eſt, quæ introceſſio dicitur, quando videlicet os ex durioribus ad intimas, & ſub ſe contentas partes truditur, vnde membranam neceſſariò premit, Græcè appellatur ἐμφίσομη, & ἐκφίεσμα, in inhærentia, & compreſſio, Gal. 6. Meth. 6. eam appellat Engiſoma, vnde dicebat. Huiuſmodi fracturas eſſe, quæ in medio ſui membranæ innituntur. In hac itaque complicatur contuſio, rima, & loci mutatio. De loci mutatione, nec non & contuſione manifeſtum eſt, ſed & neceſſariò rimam aſſociari dicendum eſt, cum etenim os ſit durum, & à proprio loco recedat, hoc non poteſt contingere citra fixuram; manente enim oſſe quodam in proprio loco, & ab eo recedente alio, neceſſariò cum fixura introcedit, vnde de hac loquens Hipp. lib. de vuln. cap. text. 8. dicebat: Intro etiam cedit os ex natura ſua cum fixuris, aliàs enim non introceſſerit, nam quod introcedit, abrumpiturque ac frangitur, introcedit ab alio oſſe, quod in ſua ipſius natura manet, & ſic ſanè fixura adeſt introceſſioni, quaſi dicat, introcedit os à proprio loco recedens, id enim ſibi vult ex natura ſua, cum fixuris, absque his etenim fieri non poteſt, vt introcedat, ſicuti & quod abrumpitur, & frangitur, neceſſariò recedit, ſiquidem os, quod introcedit, diuellitur quodammodo ab oſſe, quod in proprio loco remanet, quod fieri non poteſt citra abruptionem, & fracturam, & ita ad nectitur fixura, ſeu rima, quæ contingit propter oſſis duritiem, vnde videtur Hipp. intelligere de oſſe perfecto, namque puerorum oſſa veluti cera mollia videntur poſſe introcedere, fixura non accedente, ſicuti in ſphæra ceræ obſeruare licet.

Differentia introceſſionis. Variæ quoque ſunt introcesſionum ſpecies pro quantitate osſis introcedentis, & profunditate introceſſionis, namque modò maior, modò minor oſſis portio introcedit, & modò altius, modo minus profundè deprimitur, vnde Hippocrates loco citato: Intro autem cedit per multas ſpecies, nam & maior oſſis pars, & minor introcedit,

cedit, & magis profundius: & magis, ac profundius deorſum, & minus, ac magis in ſuperficie. Et hæ ſunt propriè differentiæ, nam & aliæ minus propriæ addi poſſunt deſumptæ ex qualitate fixurarum adjunctarum, & contuſionis. Contingit etiam nonnunquam in hiſce introceſſionibus, ut aliqua oſſis portio acutior non ſolum premat, ſed inferiorem quoque membranam pungat, ſemper enim os introcedens membranam comprimit, & quandoque etiam ipſum cerebrum, immo ſi membranam comprimat, cerebrum etiam comprimatur neceſſe eſt, cum non poſſit ea in parte fieri dilatatio, ut ante, non tamen ſemper membranam vulnerat, aut cerebrum; unde hic modus introceſſionis dignus eſt, qui inter differentias introceſſionis collocetur, quia alium habet lædendi modum. Introcedere etiam os poteſt ſede teli contingente in oſſe, ubi videlicet contuſio acceſſerit, & fixura in oſſe continente ipſam contuſionem, & ſedem; quamvis non ſemper os in ſede teli introcedat, quando aſſociatur fixura, & contuſio, ſed non introcedit niſi mediante contuſione, & fixura, cum enim introceſſio non contingat, niſi recedente oſſe à proprio loco ad intimas partes, non utique recedet os, niſi telum contundat unà cum ſectione, & fixura. Unde Hippcr. lib. de vuln. cap. text. 8. Qin & ſede teli in oſſe contingente, fixura utique ad ſedem acceſſerit, & ad fixuram etiam contuſionem magis, aut minus accedere neceſſe eſt; ſiquidem & fixura accedat ea parte, qua & ſedes facta eſt, & fixura ſit in oſſe continente & ſedem, & contuſionem; non enim ex iis ſum, qui exiſtimant verba hæc ſuperflua eſſe, neque ulli cohærere, & proinde non eſſe Hippocr. qua forſan de cauſa Fallopius in ſuo de vuln. c. Com. eas diſſimulavit, ſed alium modum, quo introcedere ſolet os, exiſtimo Hippocr. apponere, & idcirco cum in ſuperioribus Hippocr. varias ſpecies introceſſionis appoſuiſſet, aliam ſubjungit, in qua eſt alia fracturæ ſpecies præter fixuram, & contuſionem, videlicet quæ fit, ſed teli in oſſe contin-

gente, unde inquit : Quin & ſede teli in oſſe contingente, quaſi dicat : Quin & introcedit os, ſed teli in oſſe contingente, continuans ſe ad ſuperiora prima verba, dicebat enim : Introcedit os per multas ſpecies, attamen & major oſſis pars, & minor, & profundius, & magis in ſuperficie, immo poſtea ſubjungit : Introcedit etiam, contingente ſede teli in oſſe. Sed quoniam hoc non accidit à telo, quatenus ſectionis eſt auctor, ſed potius qua contundit, idcirco ſubjungit, quòd in eo caſu fixura accedit ad ſedem, quia, ut ſupra dictum eſt, os in adultis à proprio loco recedere non poteſt, ſicuti recedit, quando introcedit, ſine fixura, ſeu rima, & hæc cum non fiat niſi à telo, ut contundens eſt, ſubjungit : Ad fixuram etiam neceſſarium eſſe accedere contuſionem magis, ſeu minus, id eſt, modo majorem, modò minorem. Neque ab re inquit magis, ac minus introceſſione contingente in ſede teli, cum in principio neque contuſionis meminerit, cum enim prior contingat ex violento ictu corporis contundentis, & tota oſſis ſubſtantia à proprio loco recedat, quod & inſigni contuſione id fiat, omnibus poterat eſſe manifeſtum. At dum in ſede teli contingit introceſſio, quandoque major, quandoque minor, & parva etiam contuſio accedit, ſi enim telum ſecans usque ad meditullium ſecuerit, & ſecundam tantùm laminam contundendo deprimat, præſertim ſi parva ſit depreſſio, manifeſtum, parvam fore contuſionem, ſicuti erit major, quò minorem oſſis portionem ſecabit. Major etiam, & minor eſt contuſio pro ratione teli. Quoniam autem fixura quandoque contingit in parte, quæ ictum non recipit, idcircò ad hujus fixuræ differentiam ſubjungit, in ſupradicto caſu fixuram debere eſſe ea parte, qua ſedes facta eſt, & omnino in oſſe continente ſedem, & contuſionem, & quoniam ſedem teli propoſuerat, quid ſit ſedes teli, quæ eſt & ita ſimplex fractura, poſtea declarat, licet hæc verba Hippocr. intelligi etiam poſſint de alia ſpecie fracturæ compoſitæ ex ſede teli, rima & contuſione.

Quod

Quod autem ad hanc introceſſionem attinet, animadverto non ſemper eodem modo contingere, quandoque enim, & ut plurimum incipit oſſis depreſſio, ubi ſectio terminatur, quandoque verò inter ſectionem, & os depreſſum interponitur oſſis ſubſtantia, quæ nullam pati videtur læſionem, & hanc ego ſemel obſervavi; obtuſo enim enſe ſectum fuit os ad latus ſuperficialiter, ſcalpris deleta fuit ſedes, ſed procedente tempore ſupervenerunt ſymptomata, quæ affectam membranam ſignificant, proceſſum eſt abradendo usque ad membranam, nihilominus nihil inventum eſt ſub oſſe, & periit. Sectum fuit cranium, & reperta eſt in intima parte depreſſio oſſis ad latus loci perforati, quæ mortis in cauſa fuit. Requiruntur ergo in fracturis cranii oculi lincei, & præcipuè mentis, & ſi id contingat à telo ſcindente, tantò magis accidere poterit à telo tantùm contundente. *Introceſſio vario modo contingit.*

Altera ſpecies fracturæ compoſitæ eſt oppoſita introceſſioni, fit enim, quando telum os ingreditur, & ingreſſum ita oſſi inhæret, ut dum extrahitur extra os trahat diffractum, unde in hac fractura reperitur ſedes teli, fixura, & oſſis à ſuo loco egreſſio verſus exteriores partes citra introceſſionem, & propterea appellari ſolet talis fractura Gamaroſis, ſeu Concameratio, quaſi ex tali fractura paretur ſub oſſe veluti camera, ſeu teſtudo, aut fornix. Cujus fracturæ meminit Galen. 6. Meth 6. eamque oppoſuit introceſſioni, appellavitque communi Græco nomine Camaroſim & Camaroma, & ideò ipſam dicebat eandem partem exaltatam habere. Sunt aliæ fracturarum compoſitarum ſpecies nomine proprio carentes, quam is Arabes coacti fuerint aliquibus nomina imponere, quas unusquisque poterit ſibi fingere pro complicatione dictorum affectuum, videlicet rimæ, contuſionis, ſedis teli, defectus ſubſtantiæ oſſis, receſſus oſſis à ſuo loco, & ideò eas prætermittemus, ne inutilibus tempus conteramus. Quod tamen ad osſis receſſum à proprio loco, obſervatum eſt interdum proprios fines non egredi, ſed tantùm *Camero quid.*

aut deprimi membranam verſus, ut in introceſſione, aut extra ferri, ut in Camaroſi, interdum verò à propriis limitibus excedere, & aliud os, quod in ſua natura manet, ſubire. Qui quidem oſſis receſſus in magnis contuſionibus accidit, & eum ſemel tantum obſervavi. Cum enim, ut os vehementer depreſſum elevarem, à latere os ſanum exiſtens terebra perforaſſem, toto exciſo cranio, membranæ vice os occurrit. Convaluit tamen Dei gratia à maxima omnium, quas unquam viderim, fractura, etſi ab omnibus pro deplorato haberetur.

Unus tamen contingit nonnunquam fracturæ modus, qui quamvis à prædictis re ipſa non ſit diverſus, propriam tamen requirit conſiderationem, quia alio modo contingit, ac prius poſiti, iſti enim contingebant in oſſis parte ictum recipiente, hic verò in alia parte accidit ab ea, quæ ictum recepit, modò quidem in oppoſita, modò verò in laterali, vel alia proxima; de ea enim, quæ in interna parte contingit, ſuperiùs diximus, unde hunc modum recenſens Hippocr. lib. de vuln. cap. text. 10. Si verò alia capitis parte frangitur os (mendum eſt in codice) quam ubi ulcus habet homo, & os carne denudatum eſt, quintus hic modus eſt, addit autem Hippocr. Et os carne denudatum eſt, quia videtur impoſſibile, fracturam contingere in alia parte oſſis à vulnerata, & os in vulnerata non eſſe detectum, neceſſe eſt enim ut valide admodum percutiatur os, quod non eſſet, ſi denudatum non eſſet. Quod verò non attinet ad eam fracturam, quæ accidit in parte oppoſita rariſſima admodum eſt, quando enim contingit, hoc eſt, quia ictus reduplicatur in parte oppoſita, ex qua reduplicatione contingit oſſis ſciſſio, ab ictu ſiquidem partes utrinque proximas quodammodo ſucceſſive percutiunt, unde in oppoſita parte occurrunt mutuò percuſſiones. Verum quando caput proprias habet ſuturas non obliteratas ferè ob ſiccitatem, ut quandoque in ſenibus contingit quoniam à ſuturis impeditur ſucceſſiva hæc percuſſio, & ex conſequenti occurſus

ſus percusſionum, fieri haud poſſe videtur, ut oppoſita pars frangatur, ſicuti quando os ſuturis caret, ut nonnunquam contingit, vel eas habet obliteratas. Raro etiam contingit, ut percutiatur in una parte cranium, & in laterali frangatur. Verum tamen quandoque obſeruatur, ſed potiùs in mortuis, quam in viuis, quo modo enim venari poterimus, qua in parte contigerit rima? Caſu tamen aliquando manifeſta fit rima talis, vt mihi contigit, qui præ manibus habens ſedem teli, cum iam ad abraſionis finem perueniſſem, à latere capillarem rimam detexi, cuius finem cutem ſecando cum inquirerem, multæ aliæ, & longè maiores ſe ſe obtulerunt. Merito igitur Hip. eam appellat calamitatem, quia nullam opem afferre poſſumus patienti, vnde loco citato dicebat: Et hanc calamitatem, cum facta eſt, nulla in re iuuare queas, nam ſi paſſus eſt hoc malum, non eſt, quod ex ipſo exquirere poſſis, an paſſus ſit hoc malum, neque qua capitis parte, omittit enim cognitionem per viſum, cum penitus viſum ſubterfugiat. Et de differentiis vulnerum capitis, quatenus ſunt compoſitæ cum oſſis fractura, hæc ſatis ſint.

Ex diuerſa igitur læſionum oſſis complicatione varij exurgunt compoſitionum modi in vulneribus capitis. Verùm adhuc compoſitioria magis, vt ita dicam, ſunt illa, quæ læſionem quoque duræ membranæ coniunctam habent, ſiue læſio hæc ab oſſe, ſiue à telo contigerit, ſiue per ſectionem, ſiue per contuſionem, ſiue per lacerationem & quæ tenuis inſuper membranæ, & quæ cerebri ipſius, quæ etiam quandoque ſunt cum iactura ſubſtantiæ, & membranæ, & etiam cerebri.

Sed & alium compoſitionis modum licet obſeruare in capitis vulneribus oſſe non fracto, contuſio videlicet fibrarum, & ligamentorum eorum, quibus membrana dura cranio alligatur ad ſuturas, quæque extrorſum mittuntur ad pericranii generationem, itemque vaſorum per ſuturas exeuntium ad irrigandum cranium, & perioſtium,

 quan-

quandoque enim os contunditur, vel ob ictum, vel ob caſum, ſed non diſrumpitur, verùm violentia ictus facit, vt ſutura vna aliam percutiat, neque ſolùm propinquam, ſed remotam, & oppoſitam, ex qua percuſſione molliora corpora, quæ intra ſuturas continentur, contunduntur, & hic eſt ex iis caſibus, qui ignorantur, & mortem inferunt, vt ſuo loco dicetur.

Quandoque etiam cranii ſuturæ è contra diſiunguntur, & hiant, vnde hic alius eſt compoſitionis modus, reducitur tamen ab Hippocr. hæc affectio ad rimam.

CAPUT XII.

De ſignis fracti cranij.

NOn eſt, quòd tempus conteramus in recenſendis capitis vulnerum cauſis, cum ſint eædem penitus, quæ aliorum vulnerum: in id tamen ſedulò incumbendum, vt omnes compoſitionum modi innoteſcant, ne cuiuſpiam ignorantia ægrum perdat, quod in dies ſolet contingere in cranii fracturis; ſæpè numero enim contingit, vt latens ſit fracturæ modus, & quando Medicus non fuerit oculatiſſimus, in eius cognitionem non deueniet, niſi tunc temporis, quando non erit ampliùs laborum auxilium, poſteaquam non raro huiuſmodi fracturæ Medicos quoque peritiſſimos, & oculatiſſimos fallunt, vt & ipſe Hip. aliquando fuerit deceptus. Cum ergo in capitis vulneribus quandoque complicata ſit cranii fractura, aut videlicet ſedes teli, aut contuſio, aut rima, vel etiam ex his plures, aut omnes, quandoque depreſſio, vel eius ſubſtantiæ defectus, quandoque membranarum læſio, quandoque etiam ſubſtantiæ ipſius cerebri, quandoque fractura alicuius venæ, vel ſub cranio, vel in cerebri ſubſtantia, vel inter vnam, & alteram membranam, quandoque contuſio mollium partium intra ſuturas exiſtentium, quandoque alicuius ſuturæ diſſolutio, quando

do hoc, vel illud euenerit ſigillatim nouiſſe oportet, neque in genere tantùm, ſed & in ſpecie, non enim ſat eſt perſpectum habere, fractum eſſe cranium, ſed & qua fracturæ ſpecie, & quanta, &c. & huiuſmodi opus eſt cognoſcere. Quoniam igitur cranii læſio potiſſimum facit compoſitionem in vulneribus capitis, primò etiam de ſignis fracturarum ipſius pertractandum.

Nulla datur certior via cranium fractum dignoſcendi, quàm ea, quæ viſu ipſo habetur, immo vt fracturæ quantitas innoteſcat, neceſſarium eſt, vt oculis ſubiiciatur. Verùm non ſemper eo in ſtatu eſt vulnus, vt os inſpici poſſit, quantum ſit ſatis, nedum ipſa fractura; quandoque enim fractum eſt cranium, ſed nequaquam denudatum, multoties etiam exiguum eſt vulnus, & os læſionem habens maiori ex parte cute, atque pericranio eſt tectum, vnde, vt oculis obuia fiat fractura, neceſſe eſt vulnus amplius reddere, oſque detegere, ſeparato ab oſſe pericranio. Quæ cum præſtari non poſſint citra dolorem, & vulneris irritationem, temerè aggredi non oportet, ſed præcedant aliqua indicia neceſſe eſt, quibus coniectare poſſimus os eſſe fractum: vbi enim nulla fracti oſſis adeſſet ſuſpicio, inconueniens eſſet, laborantem vlterius torquere. *Signa fracti oſſis.*

Deſumuntur autem hæc indicia tum à qualitate teli, tum à vi, & robore percutientis, & percuſſionis, tum à diſpoſitione patientis ſecundùm partem vulneratam, & denique à ſuperuenientibus ſymptomatibus, ſiue ſtatim à vulneratione, ſiue poſteà euenerint, vnde Hip. lib. de vuln. cap. text. 9. Primùm igitur capite vulnerato interrogare oportet, per quid vulneratum fuerit, deinde quid homo fecerit, cum fuit vulneratus, poſteà qua capitis parte vulnus inflictum ſit, & num in debilioribus vulnus habeat; ideoque omnia hæc diligenter ſunt expendenda, antequam manus vulneri admoueamus, & hoc eſt, quod nobis ſignificabit Hip. lib. de vuln. cap. 11. his verbis: Atque hæc longè priùs conſideraſſe oportet, ac dixiſſe, antequam homi- *Indicia fracti oſſis vnde deſumantur.*

hominem attingas. Quæ primò conſiderari debent à Medico ſunt ſymptomata ſuperuenientia, quæ videlicet ſubſequi conſueuere ad fracturam cranii, ſiue mox in ipſa vulneratione, ſiue poſt, cuiuſmodi eſt caſus in terram, bilis vomitus, caligo ante oculos, vertigo, ſopor, exitus ſanguinis per nares, aut aures, delirium, febris, capitis grauitas & dolor non à vulnere, vocis amiſſio, oculorum rubedo, epileptici motus, & huiuſmodi; ex his enim poſſumus ſuſpicari non leuiter fractum eſſe cranium, vnde Hippocr. lib. de vulnerib. cap. text. 2. Capite vulnerato interrogare oportet, quid homo fecerit, cum vulneratus fuit. Et text. 16. Cæterum oportet ſupra conſpectum tuum quicquid tandem apparuerit in oſſe etiam de omnibus his interrogationem facere, nam magis, & minus ſauciati ſigna hæc ſunt, ſi vulneratus ſoporem altiorem inciderit, & caligo offuſa fuerit, & vertigo, & ſi ceciderit. Et Celſus ib. 8. cap. 4. Igitur vbi ea pertuſa, (de caluaria loquebatur) protinus requirendum eſt, num bilem is homo vomuerit, num per nares, aureſve ſanguis ei effluxerit, num ceciderit, num ſine ſenſu quaſi dormiens iacuerit. Hæc enim non niſi oſſe fracto eueniunt. Et paulò poſt: Si verò etiam ſopor acceſſit, ſi mens non conſtat, ſi neruorum vel reſolutio, vel diſtenſio ſecuta eſt, veriſimile eſt etiam cerebri membranam eſſe violatam. Immò nonnulla ex dictis vt plurimum non conſequuntur, niſi magnas fracturas, & quando ipſæ quoque membranæ, vel ipſum etiam cerebrum ſunt conuulneratæ, quando ex commotione cerebri non proueniant, cuiuſmodi ſunt ſopor, delirium, febris, vocis amiſſio, conuulſio alicuius partis, epilepſia, &c.

Cur fracto oſſe contingant enarrata ſymptomata. Contingunt autem hæc ſymptomata in cranii fracturis, quoniam cum cranium ſit ſatis craſſum, & durum, diſrumpi non poteſt, niſi ex valido ictu; ex valido verò ictu vnà afficiuntur, quæ intra ipſum cranium continentur, itaque circumaguntur interdum animales ſpiritus in ventriculis cerebri exiſtentes, qua de cauſa vertigo acciidit, ob

ob talem enim ſpirituum animalium circumactionem imaginantur uulnerati omnia circumagi, eò quòd producatur phantaſma, quod ita afficit cerebrum, vt ex hac affectione imaginentur vulnerati talem obiectorum circumuolutionem. Quod ſi tantus fuerit motus vt impediatur tranſmiſſio ipſorum ſpirituum per opticos neruos ad oculum, accidit caligo ante oculos, & interdum etiam omninò tolletur viſio, ſeu videndi actus, quando videlicet deficit ſpirituum tranſmiſſio. Quod ſi ob vehementem motum non ſolùm eorum, qui in anterioribus cerebri ventriculis, & in parte cerebri anteriori, verùm etiam eorum, qui in poſterioribus, & in poſteriori parte, prohibeatur irradiatio ad ſubiectas partes, cadunt ægri, quoniam partes motiuæ irradiatione deſtitutæ vim, & robur amittunt, neque corpus poſſunt ſuſtinere, cum hoc fiat mediante muſculorum robore. Hinc eſt, quod ferè ſemper quando ab ictu vulneratus concidit, fractum eſt cranium, neceſſarium eſt enim ictum admodum validum fuiſſe. Paulò poſt tamen ſurgunt, quoniam, vi ictus euaneſcente, ſpiritus animales ad priorem ſtatum reuertuntur. Dico autem vi ictus euaneſcente, quoniam ſi ab ictu os introcedat, vis ictus diutius perſeuerat. Fit etiam vertigo viſus hebetatio, & etiam iactura, & caſus, quando ab oſſe, quod introcesſit, comprimuntur ventriculi cerebri, & anguſtiores redduntur, non ſolùm enim ad motum excitantur ſpiritus animales, verùm etiam prohibetur influxus, ſeu irradiatio, quæ fieri ſolebat ad ſubiectas partes, ſiue ob viarum anguſtiam, ſiue ob motum ipſorum ſpirituum, ſiue quia cerebrum ob compresſionem malè affectum proprii muneris obliuiſcatur. Et ſi compresſio fuerit inſignis, accidunt non minus ſopores, vocis amisſio, & reſolutiones. & etiam apoplexia. Quæ tamen alia quoque de cauſa fieri poſſunt, nimirum, quia ex violentia ictus pituita in ſubſtantia cerebri exiſtens commoueatur, & in ventriculos cerebri decidat, aut quia diſrupta ſit aliqua venula in plexu choroide, quo fiat, vt ven-

triculi cerebri ſanguine repleantur, & ita obſtruantur; quod ſi in cerebri ſubſtantia fuerit humor eius fortis, qui cadens in ventriculos cerebri poſſit facultatem irritare, patet, factum iri epilepſiam. Dolor verò capitis non ex vulnere, non alia de cauſa videtur contingere, niſi quia aut membranæ comprimantur ab oſſe, aut ab aliquo oſſis ſpiculo pungantur; grauitas pariter aut ab oſſe comprimente ortum habebit, aut à ſanguinis effuſione ſupra membranas cerebrum ambientes, aut intra ipſammet cerebri ſubſtantiam, vnde etiam ſopor. Quòd ſi tanta fuerit vis ictus, vt mala hæc potuerit afferre, nihil mirum, ſi ex talibus ſymptomatibus poſſimus quoque arguere fractum eſſe cranium. Similiter ſi vomitus bilis ab ictu ſuperuenerit arguimus os fractum, quia non ſequeretur vomitus niſi violentia ictus tanta eſſet, vt partes intra cranium exiſtentes coafficerentur, cum quibus conſentiens ventriculus propter neruos à ſexta coniugatione acceptos, propriis & ipſe ſymptomatibus corripitur; propter talem autem ictus violentiam rationi conſonum eſt, os quoque fuiſſe diſruptum, ſed de hoc vomitu aliàs tractabitur. Delirium fractum eſſe cranium arguit, ſi ab ictu ſtatim accidat, quoniam ſaltem prouenit ex ſpirituum animalium exagitatione, ob quam ſpecies confunduntur: quæ quidem exagitatio accidit aut ob vim ictus, aut quia ab oſſe introcedente comprimitur ipſum cerebrum, aut etiam punguntur membranæ, vt rationi ſit conſentaneum, ex tanto ictu fractum eſſe cranium. Febris pariter ſtatim adueniens idem ſignificat, quoniam ſaltem eſt ex ſpirituum exagitatione, quæ non contingit, niſi propter magnam ictus violentiam. Si ſanguis exeat per aures, aut nares, neceſſariò diſrupta eſt aliqua uenula, aut in cerebri ſubſtantia, aut in eius membranis, quare neceſſe eſt, admodum ualidum fuiſſe ictum, & ex conſequenti ſuſpicari oportet, ex tanto ictu, & ipſum cranium fuiſſe confractum.

Hu-

Huiuſmodi tamen ſymptomata, vt dictum eſt, non neceſſariò demonſtrant cranii fracturam, ſed quandoque ſuperueniunt ad cerebri commotionem, & nimiam ſubiecti paſſibilitatem, aut natura, aut aſcititia cauſa; obſeruaui enim ex forti ictu à telo contundente concidiſſe ſtatim vulneratum, atque amiſſis omnibus facultatibus ad ſenſum, veluti mortuum iacuiſſe, & tamen facta diligenti inquiſitione compertum eſt cranium omnis læſionis expers, vnde nulla facta operatione in ipſo conualuit æger, nec aliud ſuperuenit ſymptoma. Bis etiam obſeruaui ex caſu ab alto in caput, qui conciderant, vocem amiſiſſe, & veluti mortuos iacuiſſe, dein etiam deliraſſe, & vſque ad quartam delirium permanſiſſe nulla exiſtente in oſſe fractura, immò in altero iſtorum neque denudatum erat cranium. Quare ſigna illa neceſſitatem non habent, ſed probabilitatem, neque leuem, vt ex ſupradictis colligi poteſt; ideoque ad alia indicia nos conuertere debemus, quibus reddamur certi, num fractura ſubſit, nec ne, eoque magis, cum interdum os frangatur, licet ea non ſuperueniant ſymptomata, quod non rarò experientia verum eſſe deprehenſum eſt.

Aliæ coniecturæ fracti oſſis. Teli qualitas.

Primò igitur conſideranda erit teli qualitas, num uidelicet telum ſit acutum, an obtuſum, durum, an mollius, ponderoſum, an leue, æquale, an inæquale, & aſperum, rotundum, an alterius figuræ, etenim tela rotunda, & obtuſa, ac grauia, & æqualia, ſeu plana, & aſpera, ſeu dura facillimè os frangunt, unde Hipp. loco cit. text. 15. Profectò ex telis maxime os rumpunt, & manifeſtis, & obſcuris fixuris, & contundunt, & ex natura ſua os introcedere faciunt, quæ ſunt rotunda, & orbicularia, & vndequaque plana, & obtuſa, & grauia, & dura, quæ Hippocrates malefica appellat libro de vuln. cap. text. 2. & paulo poſt. At tela oblonga, multum tenuia & acuta, & leuia carnem magis diſſecant, quam contundant, & os eodém modo. Verùm non valdè os contundunt talia tela, nec rumpunt, neque ex natura ſua introcedere fa-

faciunt. Et Celſus lib. 8. cap. 4. At ſi nihil horum ſecutum eſt, poteſt etiam dubitari, an os fractum ſit, & protinus conſiderandum eſt lapide, an ligno, an ferro, an alio telo percuſſum ſit, & hoc ipſo leui, an aſpero, mediocri, an vaſtiore. Cum itaque tanta ſit telorum varietas, & omnino corporum frangentium, iure merito Hippocrates libro de vuln. cap. tex. 11. inter ea, quæ primo loco quærenda ſunt in vulneratis capite, proponit, per quid vulneratum ſit. Immo hoc primum quærere oporteret, vt dicebat eo loco: Primum igitur capite vulnerato interrogare oportet, per quid vulneratum fuerit, deinde quid homo fecerit, cum fuit vulneratus. Et hic noto verba hæc Hippocratis in ſuo de Vuln. libro ſecundùm noſtram translationem, & communem lectionem Græcam, non eſſe proprio loco collocata, quod quidem ex duobus potiſſimum licet coniicere: vnum eſt, quod ſpectant ad ſigna fracturarum capitis, de quibus non erat agendum, niſi poſtquam de natura, & ſpeciebus fracturarum pertractaſſet, ſicuti etiam deinceps facit; namque explicatis fracturarum ſpeciebus, incipit ſigna ipſarum proponere, videlicet text. 11. cuius exordium eſt: Cæterum primò ſpectare oportet in vulnerato, qua capitis parte, &c. Et ideo ad hanc quoque partem attinent verba illa: Primùm igitur, capite vulnerato, &c. Vnde talis eſſet optima continuatio: Primùm igitur, capite vulnerato, interrogare oportet, per quid vulneratus fuerit, deinde quid homo fecerit, cum fuit vulneratus, poſtea, qua parte vulnus inflictum fuit, & num in debilioribus vulnus habeat, & capillos conſiderare, &c. vt expungantur illa verba: Cæterum primum ſpectare oportet in vulnerato, qua capitis parte, adiecta forſan ab eo, qui primò Hippocratis libr. exarauit, vt ſe quodammodo ad ſuperiora continuaret. Sed ſi transferantur verba illa, ſicuti poſitum eſt, nihil deſiderari poterit. Altera ratio, quæ me mouet, vt transferenda ſint ad tex. 11. verba illius tex. 2. eſt, quia omnino præter rem collocantur

tur eo loco, neque vllam habent conuenientiam neque cum ſuperioribus, neque cum inferioribus. In ſuperioribus enim loquutus fuerat de incommodis, quæ prauam tractationem vulnerum capitis conſequi poſſunt, etiamſi vulnera ſint parua, & magis, ſi fuerint cum fractura caluariæ, & diſruptione membranarum cerebri, & ideo præter rem ſubiungit text. 2. Ex quibus haberi poſſit, immo quærenda ſit cognitio fracturarum caluariæ. Vbi verò in principio 2. contex. tria propoſuerit, ex quibus quærenda erat cognitio fracturarum capitis, omnino extra propoſitum ſuum ſubiungit: Nam hominum capita nihil inter ſe ſimiliter habent, neque ſuturæ capitis in omnibns eodem loco conſiſtunt, &c. Et hic obiter noto Fallopium non rectè exiſtimaſſe expungenda eſſe omnia verba primi contex. & ſecundi vſque ad illam partem: Hominum capita, nam in primo contex. manifeſtum eſt Hippocratem prœmium proponere, vt ſuperius dictum eſt, deinde verba priora ſecundi contex. vſque ad illa, Nam hominum capita, ſpectant ad text. 11. vnde nihil eſt ſuperflui in Hippocratis opuſculo: & qui primò hunc Hippocratis librum tranſtulit, forſan habuit exemplar lacerum, & male diſpoſitum. Sed ad rem redeamus.

Conſiderata teli qualitate, & quid poſt vulnus fecerit vulneratus, vis percuſſionis in examen reuocanda erit, quæ innoteſcit tum ex robore percutientis, tum ex modo, quo contingit percuſſio, tum etiam ex vi corpori percutienti addita, vnde ſi quis de induſtria alterum ſauciat, iratus & interficere volens, & omnino totis viribus lædere, veriſimile eſt eum maiorem vim telo addere, & ita os magis frangi, quàm ſi quis caſu, & non de induſtria percutiat, vel ſi percutiat volens, verùm non iratus, neque inimicus omnino lethalis, neque totis viribus volens offendere. Quod verò ad robur percutientis attinet, manifeſtum eſt à forti maiorem percuſſionem faciendam, quam ab imbecilli, vnde & ſi ſaxum, exempli gratia, ponderoſum ab alto ſupra caput alicuius decidat, certum

Vi percuſſionis conſideranda.

eſt inſignis roboris futurum corpus hoc percutiens, atque ita probabile indicium fracturæ oſſis. Quod vero ad modum,quo contingit percuſſio, maior proculdubio iudicanda eſt percuſſio, quæ fit,vbi vulnerans eſt in altiori loco,vulneratus vero in decliuiori, quam ſi vterque ſit in plano; vel vulnerans in altiori, ſiue telum iaciat, ſiue manu teneat, namque & propria teli grauitas vim addit percuſſioni, præter quam quod cum teli grauitas nullo modo reluctetur percutienti, maiori impetu telum vibrabit. Similiter ſi quis ex alto ſupra aliquod durum cadat, vt ſupra ſaxum, modus percuſſionis maiorem vim percuſſionem habere ſignificat, quò enim ex altiori loco fuerit caſus, & magis in caput, & ſupra corpus magis durum, & qui cadit fuerit magis craſſus, & ponderoſus, eò maiorem fuiſſe percuſſionem dicendum eſt, & maiorem ſubeſſe fracti oſſis ſuſpicionem: ſimiliter ſi percutiens vulnerauerit non ex obliquo, ſeu ictu ſcarſo appellato, ſed è directo, & plenè maiorem vim percuſſioni ineſſe dicendum eſt, quam ſi ictus fuerit ex obliquo, & ſcarſus; atque ita maiorem eſſe ſuſpicionem de ictus fractura; non minus refert conſiderare, num ictus factus fuerit à telo manu contento, an iacto vel manu, vel inſtrumento, puta ſclopo, vel arcu, & an remoto, vel proximo, hæc enim percuſſioni vim addunt non leuem, vnde Hippocrates text. 13. Rumpitur autem os, & obſcuris fixuris, & manifeſtis, & contunditur obſcuris contuſionibus, & intro ex ſua natura maximè cedit, cum alter ab altero ſauciatur, de induſtria ſauciare volenti, aut cum altiore in loco ſit iactus aut plagæ ictus, vter tandem fuerit, magis, quam ex plano loco: & ſi contineat manu telum, ſiue iaciat, ſiue percutiat, & ſi fortior debiliorem vulneret. Ex his verò, qui cadentes vulnerantur ad os, aut in ipſum os, is, qui ex altiſſimo loco cadit, & in duriſſimum, ac obtuſiſſimum, huic periculum eſt, vt os & rumpatur, & contundatur, & introcedat ex ſua natura:

Ei

Ei vero, qui ex plano magis loco cadit, & in mollius, os minus hæc patitur, aut etiam non patitur. De ictu pleno loquens Hippocrates tex. 14. Quæcunque vero illabentia in caput tela, dicebat, ad os vulnerant, ex his, quod ex altiſſimo loco illapſum eſt, & minimè ex plano & quod duriſſimum, & obtuſiſſimum, & grauiſſimum, ac minimè leue eſt, & quod minimè acutum, & molle, hoc & ruperit os, & contuderit: maximè ſane periculum eſt, vt os hæc patiatur, cum & hæc fiant, & ex directo aduerſus telum os ſauciari contingat, ſiue ex manu percutiatur, ſiue iactum ſuſcipiat, ſiue quid ipſi incidat, ſiue ipſe collapſus ſaucietur, ita vt quomodocunque ſauciatus oſſe aduerſus telum occurrat: & proſequens eamdem materiam de ſcarſo ictu ſubiungebat text. 15. Quæ verò tela ex obliquo os ſauciant, minus & os corrumpunt, & intro ad caput contundunt, etiamſi carne os fuerit denudatum; nam quædam vulnera ita inflicta neque denudant os carne.

Natura vulnerati aliquid confert ad fracturæ cognitionem.

Diſpoſitio ægrotantis, ſeu paſſibilitas inſuper conſideranda erit ſecundum affectam partem, & ſecundùm caluariam in genere, & ſecundùm partem vulnere affectam: & ſecundùm caluariam in genere diſpoſitio cognoſcitur ex ſexu, ætate, & totius diſpoſitione: ſexu quidem, quia mulieres, habent debiliorem caluariam viris cæteris paribus: ætate vero, nam pueri debilius os habent iuuenibus ob mollitiem, & raritatem, vnde & ſuturas habent rariores, & iuuenes ſenioribus; ex totius diſpoſitione, namque alii aliis ex proprio temperamento os habent robuſtius, & ex conformatione peculiari, non enim eadem eſt omnium cranii conformatio, nec quælibet conformatio oſſis æquale robur ipſi præbet aduerſus externas iniurias, quamuis enim naturaliter cranium non vnico oſſe conſtet, ſed pluribus, tribus videlicet propriis ſuturis, ac veris iunctis inter ſe (vt omittam ſpurias, & communes, quæ cranium ab inferioribus oſſibus ſeparant) quarum altera coronalis dicitur, & in anteriori eſt

De ſuturis.

eſt parte, atque à temporibus vtrinque ad ſinciput fertur, altera lambdoides in poſteriori parte, ſic dicta, quia figuram æmuletur literæ Græce V. & à poſterioribus capitis partibus vtrinque ſurſum tendens ad occipitis ſummitatem in anguſtum coit, & tertia ſagittalis dicta in longitudinem exporrecta in ſummo capite à ſutura coronali lambdoiden, vt per ipſas alligaretur membrana dura cranio, atque firmaretur, ne cerebrum, & ipſius ſinus comprimerentur ab ipſa non ſuſpenſa, atque per ipſas exhalarent fuliginoſi vapores, nec non & per eaſdem daretur exitus vaſis, quæ cranium, & perioſtium irrigant, atque fibræ à dura membrana extra mitterentur ad pericranii exortum, atque etiam ne fractura vni parti caluariæ contingens nimis extendi poſſit, & oppoſitæ etiam communicari, attamen nonnunquam pereunt ſuturæ omnes, & fit illud cranium, quod græcè dicitur ἄρραφος, quod quidem cranium robuſtius eſt, quam illud, quod ſuturas habet, namque ad ſuturas os debiliſſimum eſt, ideoque & facilius frangitur, vnde Hippocrates lib. de vulneribus cap, text. 6. Sutura verò in vlcere ſi compareat, oſſe denudato quacunque capitis parte vlcere oborto, debiliſſimus æger eſt ad reſiſtendum vulneri, ac telo, ſi in ipſa ſutura telum incubuerit, & tex. 16. Procliue enim eſt os hac parte rumpi, ac diſſolui propter oſſis hac parte debilitatem, ac raritatem, & propterea quod ſutura parata ſit, vt rumpatur, & diſſoluatur, & text 17. Nam ab æqualibus magnitudine telis, & ſimilibus, ac multo minoribus, & ſimiliter, & multo minus vulneratus longè magis malum accipit, qui in oſſe in ſuturas id recipit. Aliquando adſunt ſuturæ, ſed non vt in naturali capite diſpoſitæ, & aliquando etiam plures, aliquando pauciores: vnde & cum ſuturæ os imbecillum reddant, quo plures, erunt, eo dibilius erit os, ſicuti & quo rariores.

Vſus ſuturarum.

Sutura faciunt ad imbecillitatem oſſis

De varia diſpoſitione ſuturarum.

Diſcedere autem ſuturæ à propria natura tunc præſertim conſueuere, quando variatur naturalis capitis figura. Perit

Perit enim quandoque ſutura coronalis, ſed tunc ſolum, quando deeſt anterior prominentia. licet nec tunc ſemper pereat. Deſideratur etiam interdum ſutura lambdoides, ſed tantummodo, quando perit poſterior prominentia, quamvis nec ſemper id conſequatur. Nonnunquam diſpoſitæ ſunt ſuturæ in modum literæ Græcæ X, ſed tunc tantum, quando deperdita eſt utraque prominentia. Quod quidem ſcriptum reliquit Hippocrates lib. de vulneribus cap. text. 2. Sæpe ſagittalis os frontis diſſecat. Et alias non naturales ſuturarum diſpoſitiones exiſtimandum eſt reperiri, quia interdum natura ludit in non neceſſariis.

Sed neque os æqualis eſt roboris in aliis partibus, in quibus non adſunt ſuturæ, namque debiliſſimum eſt ad ſinciput, tum ratione ſui, quia ibi tenuius eſt, rarius, ac mollius, copioſiſſimum enim cerebrum, & id humidiſſimum non permittit, ut ſatis exſiccetur, & obdureſcat, tum ratione ſuprapoſitæ carnis, quæ ibidem tenuiſſima eſt, & ob id vim ictus non valde obtundit; unde fit, ut in paritate ictus, ac teli, immo & ſi debilior ſit ictus, ac telum ipſum, minus facilius hac in parte os frangitur, quam alia quavis. Sed & non leve imbecillitatis indicium illud eſt, quod, ut quotidiana experientia teſtatur, magis lethalia ſunt vulnera in hac parte, quam in alia quavis quodque vulnerato pereundum ſit ex vulnere, etſi vulnera ſint æqualia, & ictus pares, nihilominus citius perit vulneratus hac in parte, quam alia quavis. Hoc enim accidit, quia propter oſſis imbecillitatem facilius, & citius communicatur externa affectio cum ſubjectis oſſi partibus. *De inæqualitate oſſis quoad robur.*

Hinc Hippocrates lib. de vulnerib. cap. text. 4. Univerſi capitis os tenuiſſimum eſt, ac debiliſſimum quod eſt circa ſinciput, & carnem pauciſſimam, ac tenuiſſimam hac parte os in ſeipſo habet, & cerebrum hac capitis parte plurimum ſubeſt. Et quia hæc ita ſe habent, ſi vulnerationes, & tela æqualia ſint magnitudine, & minora, & ſimiliter vulneratus quis ſit & minus, os hac *Os ſincipitis imbecillimum*

capitis parte & magis contunditur, & rumpitur, & magis intro contuſum cedit: & lethaliora, ac ad curandum, & effugiendam mortem difficiliora ſunt vulnera hac parte; quàm alibi in capite, & ſi æqualia ſint vulnera & ſimiliter vulneratus quis ſit, & minus, homo, vbi etiam aliàs ex vulnere moriturus eſt, breuiori tempore moritur, qui hac parte capitis vulnus habet, quam qui alia. Cerebrum enim & citiſſimè, & maximè iuxta ſinciput ſentit mala, quæ & in carne, & in oſſe fiunt. Sub tenuiſſimo enim oſſe, ac modica carne cerebrum eſt hac parte, & plurimum cerebrum ſub ſincipite iacet. Si ergo tanta eſt oſſis imbecillitas in hac parte, valde ipſi oſſi timendum eſt, quando vulnus eſt in hac parte; quamuis enim Hippocrates vſus ſit hoc medio, vt imbecillitatem illius oſſis oſtenderet, quia tamen hoc eſt imbecillitatis effectus, nobis quoque à cauſa ad effectum progredi liceat.

Oſſa temporum imbecillia. Oſſa vero temporum etſi iis, quæ ſunt inter verticem, & frontem, ſint paulo robuſtiora, reliquis tamen ſunt imbecilliora, cuius quidem imbecillitatis cauſa referenda eſt tum in articulationem ipſorum cum oſſe inferioris mandibulæ, ſatis enim laxa articulatione committuntur hac parte oſſa temporum cum inferioris mandibulæ; vnde & percipitur motus ad tempora ſurſum, & deorſum velut articuli, dum mandibulam mouemus, tum in meatum auditorium, nouimus enim quomodo feneſtræ, & ianuæ parietem, debilitent profectò robuſtiora eſſent oſſa temporum, ſi procul abeſſet hoc foramen. Sed & infirmitatis non ſpernenda cauſa eſt, quòd carnoſa pars ſuprapoſita non eſt ſolida, & compacta, ſicuti quæ eſt poſt aures, & ad occiput, in ea enim reperiuntur vaſa inſignia, ramus videlicet venæ iugularis, & arteria, quo fit, vt caro illa ſit rarior, & mollior ob copiam ſanguinis, & ſpirituum, neque ita poſſit os defendere ab externis iniuriis. Hinc Hippocrates loco citato textu 5. Cæterum ex reliquis oſſibus id, quod circa tempora eſt, debiliſſimum eſt, commiſſura enim eſt infernæ maxillæ ad caluariam, & mo-

tus

tus in temporibus ſurſum, & deorſum, velut articuli, & auditus propè ipſum eſt, & vena per tempora extenſa eſt caua, ac fortis; per fortem enim venam arteriam intelligit, ſicuti per cauam, ramum iugularis, qui eſt cauæ ramus: non enim exiſtimo cum Fallopio, & Vidio venam illam, & arteriam ideo facere ad debilitatem oſſium temporalium, quia ſint vaſa maximi momenti, quorum ſectio, vel diſruptio, inſignia afferat mala; hoc enim nihil videtur facere ad robur, vel imbecillitatem ipſius oſſis, & vt faciliùs, vel difficiliùs rumpatur, quamuis faciat ad reddendum vulnus magis periculoſum; ſed non quia huiuſmodi ſunt ſequitur, ob id, quod os ea in parte ſit imbecillius, ſed allata tamen cauſa faceret ad hanc imbecillitatem, quia videlicet caro illa non eſt adeo ſolida, ac denſa, vt aliis in partibus, quod non parum ad robur ipſius oſſis facit, vt colligere licet ex text. 5. vbi inter cauſas roboris oſſis retro aures exiſtentis, proponit carnem ampliorem, ac profundiorem. Quòd ſi dignitatem, & præſtantiam partium ibi exiſtentium voluiſſet commemorare, non omiſiſſet neruos temporalis muſculi, quorum ratione vulnera illa redduntur periculoſiſſima, ſed hoc erat extra rem.

Os verò occipitis omnium eſt robuſtiſſimum, quoniam hac in parte os craſſius eſt, & etiam terreſtrius, quam ſincipitis oſſa, vnde & minus cerebrum, ſicciuſque continetur ea in parte, & ampliori cute tegitur. Inde oſſa petroſa poſt aures, præter craſſitiem enim, & duritiem, quam habent, etiam ampliori, & profundiori obteguntur carne, quo fit, vt in paritate ictuum, ac telorum, immo etiam ſi aliquantulum grauiores contingant his in partibus vulnerationes, difficilius tamen frangatur os. Signum etiam roboris harum cranii partium eſt, quòd difficilius, & longiori tempore ſuppurant, ac corrumpuntur, & quibus his in partibus vulneratis pereundum eſt, tardius pereunt; namque difficilius, & tardius, communicatur læſio cerebro propter oſſis firmitatem, vnde Hip-

 pocrat.

pocrat. loco citato: Omni capitis oſſe robuſtius eſt os verticis, & quod eſt retro aures, robuſtius eſt, quam totum, quod in anteriori parte eſt, & carnem ampliorem, & profundiorem in ſeipſo hoc os habet. Et ſane his ita ſe habentibus, ſi quis & vulneribus, & telis omnibus æqualibus, ac ſimilibus, & maioribus, ac minoribus ſimiliter ſit vulneratus, & magis hac capitis parte os minus rumpitur, & contunditur; & ſi homo aliàs moriturus eſt ex vulnere, ſi in poſteriore capitis parte vulnus habet diutiore durans tempore morietur, in longiori enim tempore hoc ſuppurat, & deorſum ad cerebrum tranſpuratur propter oſſis craſſitiem, & paucius etiam cerebrum hac parte ſubeſt, & plures mortem effugiunt plerumque ex his, qui poſteriore capitis parte vulnerati ſunt, quam qui in anteriore; volens enim Hippocrat. robur oſſis occipitis oſtendere, quo maximè vulnerantibus cauſis reſiſtere poteſt, tria proponit, quæ ad robur faciunt, videlicet ſuprapoſitam carnem, quæ in hac parte amplior eſt, & denſior, vnde magis tutatur cranium aduerſus ictus, craſſitiem, & duritiem ipſius oſſis, quæ maior eſt in hac parte, quam in aliis: craſſitiem quidem ſenſu obſeruare licet per anatomicas adminiſtrationes, verum ſiccitatem, ac duritiem ex pluribus demonſtrat, videlicet ex cierebri paucitate, ac ſiccitate ea in parte exiſtentis, vnde & arguere licet etiam ibi os eſſe ſiccius, ex tarditate, & difficultate ſuppurationis iſtius oſſis; nam ſicuti humida faciliùs, & citiùs ſuppurant, & corrumpuntur, ita ſicca his reluctantur. Ex difficultate, & tarditate tranſpurationis ad cerebrum, quod & ſiccitatem, & etiam craſſitudinem oſſis arguit, quibus de cauſis contingit, vt qui morituri ſunt ex cranii fracturis, tardius moriantur, ſi fracturam habeant in poſtica parte. Ex alio etiam robur huius partis colligit, id autem eſt, quod inter capitis vulneratos, qui poſteriore capitis parte uulnerantur, magis ſeruantur, quàm qui in anteriore, argumentum efficax robur iſtius oſſis demonſtrans, aliàs enim non reluctaretur

tur corruptioni, & facilè communicaret internam affe-
ctionem interiori cerebro, vnde propter hæc concluſio-
nem hanc elicere poſſumus: ſtante telorum æqualitate,
ſiue magna ſint, ſiue minora, & ictuum: immo etiam,
ſi ictus maior contingat in parte poſtica, quam in ante-
riori, attamen os minus rumpitur, & contunditur in par-
te poſteriori, quam in anteriori. Quòd verò in cranij
fracturis mors contingat, quia celerius, aut tardius os
ſuppurat, & affectionem celerius cerebro communicat,
oſtendit à ſimili; In praxi enim obſeruamus morituros
ex capitis vulneribus citius æſtate perire, diutius verò
hieme viuere, cuius nulla alia ratio eſt, niſi quia æſta-
te facilius, & citius contingunt ſuppurationes, & putre-
dines, atque cerebro ſubiecto communicantur, ſiue hac,
ſiue illa capitis parte vulneratus ſit homo, ergo & quod
in vna parte capitis vulneratus diutiori tempore viuat
quam in alia, referendum eſt in difficultatem, ac tardi-
tatem, & facilitatem, ac celeritatem ſuppurationis, ac
putredinis, & communicationis propter maius, aut mi-
nus robur huius, vel illius partis osſis, ideo dicebat: Sed
& in hieme diutiori tempore viuit homo, quam in æſta-
te, quiſquis etiam alius moriturus eſt ex vulnere, qua-
cunque capitis parte vulnus habeat: At, ſubiungendum
eſt, hoc prouenit ex maiori, vel minori facilitate, ac ce-
leritate ſuppurationis, igitur & quòd vulneratus in vna
parte citius, vel tardius pereat, quam in altera parte
vulneratus, ſtante uulneris paritate, in eandem cauſam
referendum eſt, ſed quoniam Hippocrates ſupponit uul-
neris paritatem, quam forſan quiſpiam non facile admi-
ſiſſet ob osſium imparitatem, & locorum, vt exiſtimari
posſit contingere mortem citius in uulneratis à parte an-
teriori, quam poſteriori, quia in ea uulnus eſſet grauius,
idcirco Hippocrates affert caſum, in quo euidenter con-
ſpici poteſt, paria eſſe uulnera, & tum id, quod dictum
eſt, contingit; caſus autem eſt, quando fit ſimplex ſedes
teli in oſſe abſque rima, & contuſione, poteſt enim æqua-

liter diſtare ſedes teli à ſubiectis membranis, tam in parte anteriori, quàm in poſteriori, & ita uulnus erit æquale, eoque magis ſi æqua ſit ſedis longitudo, & cum hoc ita ſit, citiùs tamen contingit mors, ſi ea futura eſt, ſi uulnus in anteriori parte extiterit, quam ſi in poſteriori, unde dicit: At uerò ſedes telorum acutorum, ac leuiorum contingentes in oſſe ſine fiſſura, aut contuſione, aut introceſſione (fiunt autem hæ ſimiliter in anteriore, & poſteriore capitis parte) ex his mors non contingit ſecundùm iuſtitiam, etiam ſi contingat, ideſt, quamuis ſedes teli ſimplices ſint æquales in parte anteriori, & poſteriori, ueluti contingere poteſt, attamen etiam ſi mors contingat, non continget tamen ſecundùm iuſtitiam, hoc eſt, iuxta æqualitatem uulnerum, ſed citiùs peribit uulneratus in parte anteriori, quam in poſteriori.

Suturæ reddunt os imbecillius. Quòd ſi in ſincipite os eſt debiliſſimum, & ſuturæ etiam debilitatem faciunt, manifeſtum, omnium facillimè fractum iri os ſincipitis in ſutura coronali, vtpote vtraſque habens debilitatis cauſas.

Vbi ergo & ex iis, quæ in ipſo uulnerandi actu ſenſit uulneratus, & ex iis, quæ ſuperuenerunt, & ex mala qualitate teli, ſeu ferientis corporis, & robore percutientis, & percuſſionis uiolentia, atque etiam ex loco, in quo facta fuit percuſſio atque patientis diſpoſitione, ſiue eius paſſibilitate coniecturauerimus os fracturam paſſum eſſe, ad ipſum uulnus accedere oportet, atque teſtimonium *Quomodo ſenſu cognoſcatur fractura.* ſenſus eſt adhibendum, unde Celſus lib. 8. cap. 4. Sed nihil tamen melius, quam certiore id nota explorare, itaque primò uidendum, num adſint diſſecti capilli intra uulnus, maximè ſi à telo ſecante uulnus inflictum fuerit, hoc enim euidentiſſimum eſt ſignum cranium eſſe denudatum, non enim diſſecti fuiſſent capilli, niſi inter telum, & aliud corpus durum capilli ictum recepiſſent, ſiquidem intra uulnus ipſum fuerint, non enim aliter intra uulnus diſſecari poſſunt. Cum ergo duro obuiant, à telo diuiduntur. Extra uulnus autem poſſunt ſecari ab inci-

incidente telo, etiam non detecto oſſe, maximè ſi ictus, ex obliquo contingat. Ideò dicebat Hip. text. 2. Et capillos conſiderare circa uulnus, an diſſecti ſint à telo, & an intus ſint in uulnere, quod ſi eſt, periculum eſt, os carne nudum eſſe, vbi verò denudatum eſt os, ſuſpicari oportet etiam os læſionem habere, cum telum in ipſum incubuerit, vnde ſubiungebat Hip. Itaque dicere oportet os aliquam læſionem habere.

Sed clarius etiam id noſces oculis ipſis, ſi conſpicua oculis fuerit vulneris cauitas, conſpicietur enim deterſo ſanguine os carne nudum, & ſæpè etiam fractura, ſi ad ſit, præſertim autem ſedes teli, & introceſſio, & rima, quando non eſt ex minimis: ſin minùs, ſpecillo immiſſo idem explorari dabitur, illud enim non ſolùm denudationem oſſis notam faciet, valdè enim differt oſſis tactus, atque duri corporis à tactu carnis, & mollis corporis, verùm etiam plerumque docebit, num os fracturam patiatur cum rima, aut ſede teli, aut etiam introceſſione. Simplicem namque contuſionem oſtendere non poteſt, vnde Hip. eodem loco. Vbi verò iam contigerit, clarè noſſe conari, an nudum os carne ſit, aut non: & ſiquidem oculis conſpicuum fuerit os, benè habet, ſin minus, ſpecillo conſiderato, & ſiquidem inueneris os carne nudum eſſe, & non ſanum à vulnere, eius quod in oſſe eſt, dignotionem primò, facere oportet, inſpiciendo, & quantum ſit malum, & quo opere opus habeat. Vt verò ſpecillo hæc aſſequi poſſis, ſpecillum non nimis tenue ſit oportet, neque nimis acutum, ſunt enim quidam ſinus naturales in oſſe, quos ſpecillum tenue, & acutum fracturas indicaret, ſed neque nimis planum ſit oportet, ſubterfugerent enim rimæ paruæ.

Specillum vt oſtendat fracturam.

Verùm in vſu ſpecilli animaduertendum in loco ſuturarum facilè contingere deceptionem, cum enim ſpecillum fracturam oſſis indicet, propter eà quòd ex eo aſperitas oſſis fracti, atque inæqualitas deprehendatur & os ad ſuturas ſit ſui natura inæquale, & aſperum, eo in loco

Animaduertenda in vſu ſpecilli.

co ex ſpecilli admotione non rectè diiudicari poteſt, num os fractum ſit, nec ne, & quandoque quod non eſt fractum, iudicabitur fractum: quandoque verò fractura ibidem exiſtens exiſtimabitur ſuturæ inæqualitas, niſi fractura fuerit inſignis, vt nonnunquam etiam ipſe viſus decipiatur, & à ſuturis deceptus fuit ipſe Hip. quare difficile eſt admodum fracturam in ſutura cognoſcere. Hinc Hip. lib. de Coacis prænot. tex. 3. Ex ruptis capitis oſſibus, & difficillima cognitu ſunt ea, quæ circa ſuturas rumpuntur. Et lib. de vuln. cap. tex. 16. Cum autem os carne denudatum à telo fuerit, & circa ipſas ſuturas vlcus fieri contigerit, difficile eſt ſedem teli deprehendere, quæ in alio oſſe manifeſta eſt, an inſit in oſſe, aut non inſit, & an ſedes facta ſit in ipſis ſuturis, occultat enim ipſa ſutura aſperior exiſtens reliquo oſſe, & non ſatis clarum eſt, vbi in ipſo ſutura eſt, & vbi oſſis ſedes, ſi non valde magna ſedes fiat. Et tex. 17. Verùm ruptio, ſeu rima circa ſuturam facta, etiam diſſolutio ſuturæ eſt, & non facile eſt deprehendere, neque ſi à ſede teli fiat in ſutura, vbi rupta fuerit, ac diſſoluta.

In ſuturis contingit deceptio.

Verùm difficilius eſt deprehendere fiſſuram ex contuſione, fallunt enim & mentem, & viſum Medici hæ ſuturæ fiſſuræ ſpeciem referentes, & reliquo oſſe aſperiores exiſtentes, niſi vehementer diſſectæ fuerint, ac diſſolutæ. In quo quidem 17. contex. Hip. eam fracturæ ſpeciem commemorat, quam ſuperius appellauimus ſuturæ diſſolutiones, ſeu diſiunctionem, quando videlicet hiat aliquantulum ſutura, quam Hip. quoque rimam, ſeu ruptionem appellat, quæ niſi fuerit inſignis eſt difficillima cognitu, etiam per viſum, Quamuis rimulæ paruæ ex contuſione adhuc ſint longe difficiliores cognitu, quia latitant ſub aſperitate ſuturarum, vnde, ſi oculus fallitur in ſuturarum fracturis, tanto magis contingere poterit deceptio ex ipſo ſpecillo. Hinc Celſus lib. 8. c. 4. Ergo quà plaga eſt, demitti ſpecillum oportet, neque nimis tenue, neque acutum, ne cum in quoſdam ſitius naturales incide-

Diſſolutio ſuturæ cognitu difficillima.

ciderit, opinionem fracti oſſis fruſtra faciat, neque nimis plenum, ne rimulæ fallant. Vbi ſpecillum ad os uenerit, nihilque niſi leue, ac lubricum occurrit, integrum id videri poteſt: Si quid aſperi eſt vtique quà ſuturæ non ſint, fractum os eſſe teſtatur. A ſuturis ſe deceptum eſſe Hip. memoriæ prodidit, & paulò poſt: Poteſt autem ſutura eo nomine fallere, quæ æquè aſpera eſt, vt aliquis hanc eſſe, etiam ſi rima eſt, exiſtimet eo loco, quo ſubeſſe hanc veriſimile eſt.

His igitur de cauſis, vbi os carne nudatum eſſe deprehenditur, & indicia præceſſere fracti oſſis, ſi per immisſionem ſpecilli non percipiatur fractura, neque os, in quo fracturam timemus, ſit conſpicuum, immo etiamſi adhuc ſit obtectum, modò pręceſſerint fracturæ indicia, curare oportet, vt os illud totum, in quo læſionem ſuſpicari poſſimus ſub conſpectum noſtrum cadat; quare ſi ſolo pericranio ſit tectum, ipſum detegere oportet, deducendo, ac ab ipſo ſeparando pericranium, vnguibus tamen potiùs, quam ferro, cuius aſpero contactu facile inflammari ſolet. Si verò etiam cute, amplius reddere vulnus conueniet, vt omni ex parte os oculis reddatur conſpicuum. Itaque congrua facta ſectione, in iis videlicet partibus, in quibus veriſimile eſt os ruptum eſſe, & prout natura partis exſecandæ requirit; nam ſectionem muſculi temporalis vereri oportet, eò quòd per ipſum vaſa inſignia ferantur, & nerui non exigui, diductoque ab oſſe pericranio, quo vulnus, quantum ſatis eſt, amplum reddatur, linamentis aut ſiccis, aut iuxta communem vſum albumine ouorum ſubacto imbutis, cui vis ineſt & ſanguinem ſiſtendi, & repellendi, vt decet, diſpoſitis, replendum eſt vulnus. *Denudandum os vt perfectè cognoſcatur fractura.*

Quod ſi voluerimus, vt vulneris labia facilius, & citra dolorem, ac inflammationis periculum cedant linamentis impoſitis, apponi poterit aliquod cataplaſma, cui vis inſit partem relaxandi, ac reprimendi, minimè tamen putrefaciendi, cuiusmodi erit, ſi farinam hordei toſti in aceto ſubigamus, aut coquamus, ita vt quàm maximè viſci-

viſcida reddatur, poſtridie vero ſoluendum erit, quod maxime hians, & amplum apparebit, & inſpici facillime os poterit, & ſuturam à fractura diſtinguere non erit difficile. Vnde eodem loco ſubiungebat Celſus: Ergo eo nomine decipi non oportet, ſed os aperire tutiſſimum eſt (per illud autem aperire, detectionem oſſis, quæ fit per ſectionem, ſignificare voluit) nam neque vtique certa ſedes, vt ſupra poſui, ſuturarum eſt, & poteſt idem naturaliter commiſſum, & ictu fiſſum eſſe, iuxtaue aliquid fiſſum habere: quin aliquid etiam, vbi ictus fuerit vehementior, quamuis ſpecillo nihil inuenitur, tamen aperire commodius eſt. Et Hipp. lib. de vulneribus cap. tex. 29. Secare autem oportet vlceribus in capite, ac fronte factis, qua parte os carne nudum fuerit, & læſionem aliquam ex telo habere viſum fuerit. Vulnera verò, quæ non habent ſufficientem magnitudinem longitudinis, ac latitudinis ad oſſis inſpectionem, an quid mali paſſum ſit à telo, & æquale id paſſum ſit, & quantum caro contuſa eſt, & quantam os læſionem habet, & rurſus, an illæſum ſit os à telo, & nihil mali paſſum ſit; & ad curationem, qualenam opus habet vlcus, & caro, & oſſis affectio, talia ſanè vlcera ſectione opus habent. Et tex. 29. Cum igitur vlcus in capite ſecas osſium gratia carne denudatorum ſcire cupiens, an habeat os quid mali à telo, an non habeat, ſecare oportet vulnus tanta magnitudine quanta rurſum opus habere viſum fuerit. Secantem uerò carnem ab oſſe diducere oportet, quæ ad membranam, & ad os exiſtit. Deinde linamentum per totum vlcus adhibere oportet, quod vlcus quàm ampliſſimum in poſterum diem faciat cum minimo dolore. Vbi verò linamentum adhibuiſti, cataplaſmate vtere, quanto tempore etiam linamento, ita, vt tenuiſſimam polentam in aceto ſubigas, aut coquas, & quam maximè viſcoſam facias. Hæc eadem habet Auicen. 5. 4. tract 3. cap. 1. explicans enim qua ratione in latentis fracturæ cognitionem deueniamus, dicebat: Illud verò, in

in quo declinatur cum exiſtimatione ad ratificationem eſt, vt conſideretur cauſa fracturæ, & vltimatio virtutis rei frangentis in grauitate ſua, aut in ſua magnitudine, aut in ſua fortitudine, vt per illud ſciatur vltimatio, quæ oportet eſſe ex fractura: & ſimiliter accidentia quandoque ſignificant illud, ſicuti apoplexia, & ſcotomia, & deſtructio vocis, & quæ ſunt eis ſimilia. Et quandoque ſignificat fiſſura cutis in multitudine ſua, & ſua diuerſitate, & in ſuo caſu ſecundùm viam, vel lineam vnam rectam, vel ſecundùm diametrum ei oppoſitum, & diſpoſitionem fracturæ iterùm, licet non ſit hoc ſignificatio ſignificans omnem partem. Fortaſſe enim eſt fractura interior, plurima, & magna, & non eſt ſuper cutem fiſſura, aut eſt fiſſura parua: quare oportet tunc neceſſariò, vt cognoſcatur diſpoſitio cum inſtrumentis, ſeu cum ſtylis, quibus inueſtigatur fractura cum firmatione viſus, vel cum firmo intuitu, ſi eſt poſſibile. Et in huiusmodi diſpoſitionibus eſt neceſſarium excidere cutem, donec appareat os, quod ſuſpicatur fractum, vel læſum. Et ſi accedat fluxus ſanguinis, impleatur illud; quod diſcoopertum eſt, pannis ſiccis, deinde ſuppone puluillum infuſum in vino ſtiptico, & dimitte ipſum vſque manè.

De locis verò, in quibus timere debemus ſectionem, hæc debet Hippocr. text. 20. At verò in capitis ſectione reliquæ quidem capitis partes ſecuritatem habent, dum ſecantur. Verùm tempora, & adhuc ſupra tempora venam, quæ per tempora fertur, ſecare non oportet, conuulſio enim corripit ſectum, &, ſiquidem ſiniſtra tempora ſecta fuerint, dextra conuulſio corripit. Si veró dextra ſecta fuerint, ſiniſtra conuulſio apprehendit. Si neque hac ratione rimæ reddantur conſpicuæ, deradere os oportet, tòtum illud videlicet, quod læſionem retinere ſuſpicamur, & tam alte, quantum ſatis eſt, vt latens rima detegatur. Hoc intelligebat Hippocr. quando lib. de vulneribus. capit. dicebat: Scalpro radendum os eſt in altitudinem, ac longitudinem hominis, atque etiam

In quibus locis timenda ſectio.

 tranſ-

tranſuerſum. Solet enim deraſio rimam manifeſtam facere, ſicuti & contuſionem, vnde Hippocrates loco citato text. 21. Poſtridie verò vbi linamentum exemeris, inſpecto oſſe, quod paſſum eſt, ſi non conſpicua tibi ſit vulneratio, qualis nam ſit in oſſe, neque cognoſcas, an os aliquid mali in ſe habeat, aut non habeat, telum autem ad os perueniſſe videatur, radere oportet ſpecillo raſorio ſecundùm longitudinem & profunditatem pro hominis natura, & rurſus ſi etiam tranſuerſum ſit os, ruptionum gratia ad viſum inconſpicuarum, & contuſionis obſcuræ gratia, quæ non introceſſit ex natura alterius oſſis capitis. Indicat enim ipſa ratio magis, ſi non etiam aliàs conſpicuæ fuerint hæ affectiones ex telo in oſſe exiſtente.

De experimento atramenti.

His peractis, ſi adhuc rima non appareat, quam tamen ſubeſſe ex relatis indiciis ſuſpicamur, ad Hippocratis experimentum confugere oportet, ad oppoſitionem ſcilicet rei alicuius valdè nigræ aliquo liquido medicamento ſubactæ ſupra os ipſum. Atramentum igitur ſcriptorium imponi poterit, & extenſo deinde linteo oleo imbuto ſuper vlcus, vt nigrum medicamentum diutius humidum ſeruetur, & ita faciliùs poſſit rimam ingredi, quæ exſiccatum medicamentum non reciperet, cataplaſma ex farina hordei toſti apponendum, poſtridie vulnus ſoluendum, & ipſo expurgato, atque oſſe deterſo, & abraſo, conſpicua ſtatim fiet rima nigricans propter ingreſſum nigri medicamenti, reliquo oſſe albo exiſtente, vnde Hippocrates text. 21. His ita contingentibus, ſi videlicet apparuerit coniectura oſſis fracti, ſi non cognoſcas, an os ruptum ſit, aut contuſum, aut ambo hæc, neque aliàs videas, ſuper os aliquid maximè nigri coloris nigro medicamento liquato ſubactum, imponere oportet, & ſubextenſo linteo oleo imbuto ſuper vlcus, & deinde mazæ cataplaſmate appoſito, deligare, poſtridie verò exoluto, ac expurgato vlcere, deradere, & ſi ſanum non fuerit, ſed ruptum, aut contuſum, reliquum quidem os raſum album erit, fiſſura verò, quæ nigrum medicamentum eliqua-

quatum in ſeipſam recepit in reliquo oſſe albo nigra erit. Et Celſus loco citato: At ſi ne tum quidem rima manifeſta eſt, inducendum ſuper os atramentum ſcriptorium, deinde ſcalpro id deradendum. Nigritiem enim continet, ſi quid fiſſum eſt. Vbi tamen ictus eſt ad ſuturarum locum, non eſt tentanda dignotio fracturæ per abraſionem, hanc enim ipſa ſutura prohibet, per quam effertur ligamentum, quo membrana dura alligatur pericranio, & id quidem exquiſitisſimo ſenſu præditum, quod propterea ex abraſione facilè inflammari poſſet, atque inflammatio ipſi duræ membranæ communicaretur. Vnde & Hippocrates perforationem in ſutura prohibuit text. 17.

Non eſt vtendum abraſione, neque experimento atramenti in ſuturis.

Sed neque abraſio ſi fieret, poſſet quidpiam certi oſtendere, æquè enim nigritiem contrahit ſutura, ac rima. Quare vbi ictus in ſutura eſt, reliqua omnia ſupra fracturam atteſtantia ſunt maximo ſtudio perpendenda, & oculis etiam diligenter intueri oportet, & quando reliqua fracturam atteſtantur, potisſimum autem, quæ in ipſa vulneratione ab ægro ſentiuntur, & quæ ſuperueniunt, etiamſi oculis non ſit conſpicua fractura, tractandum erit vulnus, ac ſi adeſſet fractura, & ſi forſan aliquam rimulam in ſutura conſpexeris, ſemper maiorem exiſtima fracturam, quam ea, quæ oculis cernitur, cum enim maior longè ſit loci illius debilitas, quam aliarum oſſis partium, à leuiori etiam cauſa magis patietur in ſutura, quam alia in parte, quamuis propter naturam ſuturæ id lateat Et ſi teli ſedem in ſutura conſpexerimus, exiſtimare quoque oportet rimam adeſſe, quia facilè ex quouis ictu ſutura diſſoluitur, per rimam enim in ſutura exiſtentem ipſius ſuturæ diſſolutionem exiguam intelligere oportet cum Hippocrate text. 17. Non minus quandoque negotium faceſſit rima ad ſedem teli contingens, ſi præſertim in intima parte contracta fuerit rima, hanc enim neque oculis intueri licet, neque experimento atramenti vti

ti vti poſſumus & tamen ſi ignoretur, mortem infert. Vbi ergo ſedes teli contingit, vt innoteſcat, num etiam adſit rima, diligenter teli qualitatem, quo facta fuit diſſectio, conſiderare oportet, nam ſicuti acuta, & leuia, ac tenuia ſolummodo ſecare ſolent, ita obtuſa, grauia, & lata ſolent ſimul contundere, & rimam facere vnde conſideranda ictus violentia, debilitas paſſi, loci oblæſi, num videlicet in debiliori oſſe contigerit ſedes, & ſuperuenientia ſymptomata: denique vt & oculus iudicare poſſit, abradenda ſedes erit, donec obliteretur, ea enim obliterata facilè innoteſcit, num etiam adſit rima; & ideò meliorem etiam conditionem ſortitur rima ad ſedem contingens, modò non ad ſuturas contingat, quod oculis quamuis occulta ſubiici poteſt, vnde Hippocrates libro de vuln. cap. text. 21. Et ſi ſedem teli in oſſe videris, tum ipſam teli ſedem radere oportet, tum ipſam ambientia oſſa, ne ſæpè ad ſedem fiſſura accedat, aut ſola contuſio, & deinde lateant, cum non conſpicua exiſtant.

Sectio periculoſa in occipite.

Non poſſum ſilentio præterire, poſteaquam habita eſt mentio ſectionis, quam denudandi oſſis gratia moliri conſueuimus, non minus fortaſſe periculoſam eſſe ſectionem in parte poſtica, vbi inſeruntur muſculorum tendines, quam in temporali muſculo, admodum enim ſenſibiles ſunt hi tendines, & neruos recipiunt proximè à cerebro, quo fit, vt eorum affectionibus facilè conſentiat cerebrum, hinc infammationes, & deliſia, quod ſæpè obſeruaui in praxi. Addamus, quod ægrè admodum os denudatur eo loci, quoniam cum eo valdè connectuntur tendines. Quapropter ſi vulnera ibi contigerint, cautè incidere oportet, & ſi abraſione opus fuerit, anguſtis ſcalpris, vel cicliſcis vti ſatius eſt, & etiam terebra quam ampliorem ſectionem facere, vt multa oſſis portio detegatur.

CAPUT

CAPVT XIII.

De aliis fracti Cranii indiciis.

ALia quoque ſigna afferri ſolent oſſis fracti, quando iam dictis fracturam aſſequi non liceat: vnum quidem eſt ſonus editus à percuſſo cranio cum ferro; namque fractum cranium raucum edit ſonum, clarum autem, vbi integrum eſt. Alterum ſignum eſt, ſi demus ægro ad mandendum, & conſtringendum dentibus aliquod non frangibile, cuiusmodi eſt aſphodeli caulis, aut ferula, aut triplicata charta, vel tela, vel nucleus pineus; namque ſi fractum ſit cranium in loco fracturæ percipiet quemdam leuem ſtridorem, eò quòd muſculi temporales ad conſtrictionem dentium facientes in conſtrictione contrahuntur, & contracti os cranii diſtrahunt, vnde ſi fractum eſt, percipietur ſtridor ille, ideo Hippocrates libro de Coacis Prænot. text. 3. de fracturis cranii loquens, dicebat: At verò de quibus eſt ambiguum, rupta ſint, an non, iudicare oportet, exhibito ad mandendum in vtramque maxillam aſphodeli caule, aut ferula, ita vt animaduertere iubeas, an os aliquod ipſi ſtrepere videatur, nam fracta ſtrepere videntur. Neutrum horum ſignorum contemnendum eſt, ſed tamen neque omnino iis eſt fidendum. Probabilius eſt, quod percipiatur hic ſtridor, vbi ad muſculum temporalem fuerit ictus, ſed neque videntur oſſa fracta poſſe ſtrepere, niſi fractura ingens fuerit. Sed fractura talis facilè deprehenditur. Ad idem referendum eſt, ſi æger fortiter dentes mutuò concutiat, ſi enim fractum ſit cranium, compati ſentiet os ea in parte, neque ſine moleſtia concuſſionem perferet.

Raucus ſonus percuſſi cranii ſignum fracturæ.

Stridor perceptus in loco fracturæ.

Afferuntur & alia experimenta, cuiuſmodi eſt, ſi filum primoribus dentibus ex vno capite comprehendatur, & altera manu detineatur alterum caput, vt diſtentum ma-

Mutua dentium percuſſio

manceat, inde filum digitis percutiatur, ita vt ſonum e-dat, ſicuti fides ſolent; ſi namque fractum fuerit cranium, ægrum, dicunt, moleſtiam percipere in affecta parte ex illo ſtridore, modò talis moleſtia non ſit ei naturalis. Aliqui etiam filum cera obductum altero ex capite iubent, vt æger primoribus dentibus arctè contineat, & ipſi ex altero capite violenter filum trahunt, & ſi fractum ſit os, dicunt ægrum perſentire ſtridorem, & moleſtiam quandam particularem in parte affecta.

Experimentum fili.

Sed omnia hæc experimenta fallacia valde ſunt, & ſæpè ab ipſa nulla percipitur peculiaris moleſtia in loco læſo, cum tamen adſit fractura. Maiorem habet probalilitatum, & vim ſubſequens experimentum. Mandetur ægroto, vt compreſſis ore, & naribus ſpiritum expellere violenter tentet, ex hac expreſſione, ſi fractum fuerit os, cruor quidam, aut alicuius humiditatis gutta modò maior modò minor pro magnitudine fracturæ per locum fractum exire deprehendetur, ex eo enim conatu inflantur vaſa omnia capitis tam intima, quam etiam per meditullium ſparſa, ex qua inflatione cruor ille, aut humor ad rimam expreſſus foras detrudetur: verùm ſi rima ad meditullium non peruenerit, nihil exprimetur.

Exitus humiditatis ab oſſe.

Id verò, quod aliqui faciendum præcipiunt, vt videlicet paretur aliquod emplaſtrum, vel quid ſimile, puta miſcendo maſtichem pulverizatum cum albumine oui ſubacto, vt acquirant mellis conſiſtentiam, & extenſum ſuper linteum, vel corium proportionatum oſſi detecto, ipſi ſupponatur, & per diem dimittatur, namque poſtero die, qua parte rima adſit, exſiccatum comperietur ob calorem à magis calido corpore rimæ ſubiecto, eo in loco emplaſtro impartitum, paruam fidem habere videtur. Niſi enim rima ad membranam penetret, exſiccans calor efferri non poteſt; niſi velint, ob id exſiccari ea in parte emplaſtrum, quia eius humiditas ad rimam deſcendat, vel quia à rima non tantum humidi ſpiritus aſcendat, quantum ex ſanis partibus, quod tamen dictum

Experimentum emplaſtri.

ctum ad placitum videtur, cum nulla huius ſubſit ratio, & ſi intra rimam, aut ſub ipſa materia reperiretur, forſam ab emplaſtro attraheretur ob vim maſticis attrahentem, & ita ad rimam emplaſtrum eſſet humidius. Neque maiorem fidem habent reliqua duo emplaſtra in hanc rem à quibusdam tradita, quorum primum conſtat ex thure, cera, & ladano æquis partibus commixtis, quod capiti raſo, ubi uulnus inflictum eſt, apponunt, & poſt duodecim horarum circiter interuallum remouent, aſſerentes cutem exſiccatam eſſe magis, quæ è directo eſt fracturæ ipſius cranii; alterum quod ex farina fabarum, terebinthina, & aceto, æquis portionibus commixtis conſtat, quod ſuper linteum extendunt, & ex eo biretum factum capiti doraſo apponunt, aſſerentes eo loco, cui fractura oſſis ſubeſt, medicamentum perforatum eſſe, uel ſaltem magis exſiccatum, ut uideantur confecta hæc duo emplaſtra ad cognoſcendum cranii fracturam, integra exiſtente cute. Hæc apponimus, ne ignorentur, cum nullam eis fidem adhibeam; qui uolet tameu experiri poterit.

Sed quod maximè conſiderandum eſt in capitis uulneribus eſt teli qualitas, & ictus, & conſecuta ſymptomata. Et quamuis paruum oculis tuis uulnus inſpicias, & in cute tantùm, attamen telum, & ictus qualitatem conſidera, & reliqua, quia quandoque cum pauca cutis læſione os frangitur, ut ſæpe experientia comprobatum eſt. Hac de cauſa etiam dicebat Hippocrates nullum capitis uulnus leuiter contemni debet, &c.

CAPVT XIV.

De ſignis Contuſionis.

Contuſio, quæ cum inſigni oſſis introceſſione accidit, & ſpecillo deprehendi, & oculis ſubiici poteſt, ob idque cum ſenſum non effugiat, neque erit valdè

gnitu difficilis. At colliſio, & illiliſio etiam, quæ citra rimam, & inſignem introceſſionem contingit, difficillima eſt cognitu: illa ſenſum omnem eludit, & proinde neque viſu, neque ſpecillo, neque experimento atramenti ipſam aſſequi poſſumus. Verùm harum ſpecierum nullam, dicebat Hippocrates lib. de vuln. cap. de colliſionibus loquens, oculis intuenti cognoſcere datur, qualiſnam ſpecie exiſtat, & quanta magnitudine, neque enim etiamſi ſint contuſa, & malum factum ſit, an contuſa ſint oculis videre conſpicuum fit ſtatim poſt vulnerationem; hæc verò ſpecie naturalis cuiusdam depreſſionis (ſunt enim & in oſſe multæ naturales veluti depreſſiones) imponit. Inſignem introceſſionem appello, quando multa oſſis quantitas ictusvi depreſſa non reſilit, etiamſi multum introcedat, & quando aliqua oſſis portio, licet exigua, multum introcedit. At exigua oſſis portio leuiter depreſſa ſæpè ſenſum eludit ſpecie naturalis cuiusdam depreſſionis, vt dictum eſt. Augetur difficultas in contuſionis cognitione, quod fiat non ſolùm oſſe denudato, verùm & pericranio interdum, & interdum etiam cutis portione obtecto, & nonnunquam apparentibus ſymtomatis, quæ alias cranii fracturas ſequi conſueuerunt, nonnunquam verò nullo apparente ſymtomate, quemadmodum quotidiana experientia teſtatur. Ampliùs apparent aliquando ſymptomata, modo denuato, modò recto cranio, cum tamen nulla ſit in oſſe contuſio, vt apparitioni ſymptomatum parum fidendum videatur. Maximo tamen cum laborantis detrimento, immo certo vitæ periculo dixerim, ignoratur id genus affectus, & quamplurimi ex oſſis contuſione pereunt, eò quòd a pleriſque non animaduertatur, niſi quando progreſſu temporis oſſis corruptio, & mala ſymptomata deceptionem produnt, & pauca eſt ſpes ſalutis.

Illiſio, & colliſio parua cognitu difficillima.

Quamuis autem ardua admodum ſit prouincia, non ob id tamen res eſt deſperanda, nec prorſus abiiciendæ ſunt haſtæ, prudens enim, oculatuſque Medicus, & colliſionem

nem ipſam quantum ſatis eſt ad curationem aſſequetur, hac nempe via incedens. Oblato vulnere ſi teli qualitas, vulnerandi modus, robur percutientis, & huiuſmodi alia percuſſionem vehementem fuiſſe ad os ipſum ſignificent, ſymptomataque ſuperuenerint, & os ſit denudatum, & ſi nulla fractura conſpiciatur, os fuiſſe colliſum exiſtimandum eſt, & adhuc magis, ſi in debiliori oſſe ictus contigerit. Quapropter ad abraſionem oſſis deueniendum eſt, & ſi inter abradendum dempta extima illa ſuperficie videatur non prorſus ſano ſimile, nec humiditas quæpiam emanat, ſed oſſis ramenta ſint ſicca, certum eſt os eſſe contuſum. Vbi autem ad meditullium fuerit peruentum, nullo modo latere poterit colliſio, quæ ad ipſum peruenerit, nam aut purulentia emanabit, ſeu cruor quidam, quando non ſtatim à principio facta fuerit abraſio; aut meditullium ſanguinem non emittet, ſed aridum, & plerumque nigricans conſpicietur, & interdum etiam grumuli ſanguinis aderunt, à venis, quæ in meditullio ſunt, attritis egreſſus, qui poſtea putreſcit, & totum os corrumpit, & inflammat, communicata verò ſubiectæ membranæ affectione inflammatur, & ipſa. Hinc labores, & mortes, niſi adeo valida fuerit virtus, vt malam affectionem ſibi communicatam perferre valeat, donec os prauum à ſano ſeparauerit, quod tamen raro accidit, & id ſemel tantùm obſeruaui. Dixi autem percuſſionem vehementem ad os ipſum, quoniam interdum apparent ſymptomata denudato cranio abſque colliſione, eò quòd percusſionis vehementia non eſt ad os ipſum, quia videlicet cauſa vulnerans ex obliquo percuſſerit, & potiùs cerebri commotionem effecerit, quàm os contuderit, quod non ſemel obſeruaui.

Quomodo innoteſcat contuſio.

Si verò ab ictu nullum acceſſerit ſymptoma, & tamen valida fuerit percuſſio, quatenus ex ſignis poteſt colligi, & ad os ipſum, quia videlicet cauſa vulnerans è directo occurrerit, præcipuè ſi ictus in debiliori ſit oſſe, iure ſuſpicabimur colliſionem adeſſe, & propterea ad ab-

raſionem deueniemus, & vſque ad meditullium abrademus. Si os fuerit detectum, & ictus ad ſenſum leuis apparuerit, vt qui nullum induxerit ſymptoma, non caſum, non obcæcationem, non vertiginem, neque alia id genus, non ob id tamen deſpiciendus eſt caſus, differt enim valde natura à natura. Aliqui ictui obſiſtent, etiamſi os contuderit, alii verò minimo ferè ictui ſuccumbent. Non parum etiam os differt ab oſſe. Qualitas igitur teli conſideranda erit, vtque vulnerauerit, & qua vi; natura quoque hominis, & vulneratæ partis perpendenda, nam ſi telum ex maleficorum fuerit genere, & è directo occurrerit, facilè contundet, magis verò, ſi ictus fuerit grauior, & os debilius. Quocirca & tunc ad abraſionem deueniendum, quæ colliſionem dubio procul patefaciet. Aliqui tertiam, vel quartam diem expectant, quo tempore, ſi colliſum ſit os, viſuntur in eo maculæ quædam albiores, quàm ſit naturale ipſum os, eò quòd partes contuſæ moriantur, vtpote ſeparatæ latenter à ſano oſſe, color autem emortui oſſis eſt magis albicans, quàm oſſis viui, quod album quidem, ſed quadam quaſi rubedine ſuffuſum apparet propter ſanguinis, ex quo alitur, præſentiam; ſæpe etiam color oſſis colliſi ſubobſcurus videbitur, aut liuidus, & veluti, ſi color albo aliquid nigri coloris ſit ſuppoſitum. Tutius tamen iudico à principio ſtatim abraſionem experiri.

Color oſſis emortui qualis.

Colliſum os fuiſſe, licet non cernatur denudatum, ex carnis, quæ os tegit, diſpoſitione, ictus qualitate, natura vulnerati, ac vulneratæ partis, & ſymptomatis, quæ ab ictu ſuperuenerunt, coniiciendum. Neque figmentum exiſtimanda eſt hæc oſſis fractura, quaſi nequeat os contundi, quod non ſit detectum: ſicuti enim manifeſtè contunditur integra cute, vt in dies experimur, ita & ipſa nonnihil vulnerata idem poſſe perpeti non eſt dubitandum. Carnis itaque os tegentis diſpoſitio colliſionem arguet, quoniam non eſt veriſimile durum corpus poſſe contundi, niſi & mollius, quo tegitur, ictum recipiens

vnà

vnà contundatur. Quàre caro illa, ſeu portio illa cutis erit attrita. Quòd ſi ſolo pericranio fuerit os obtectum caro in circumſitis partibus exiſtens erit non minus contrita. Grauitas ictus, & malefica teli qualitas, ſiue telum tale fuerit, ſiue ex accidenti, ſuſpicionem augent, & ſi ab ictu praua euenerint, ſymptomata, pro certo habendum eſt, colliſum os fuiſſe. Quapropter hiſce in caſibus cunctari non oportet, ſed os detegendum, & ad ab raſionem deueniendum.

CAPUT XV.

De ſignis rimæ extra vulneratam partem exiſtentir.

ADeò cognitu difficile eſt, ſi os in altera parte à vulnerata ſit fractum, ac rimam contraxerit, vt Hippocrates huiuſmodi caſum calamitatem appellauerit, cum ei vt penitus abſcondito nullam opem afferre poſſimus, etſi enim adſint fracti oſſis indicia, quo in loco tamen fractum ſit, ignoratur. Et quidem à principio omnino delitéſcittalis rima, vt quæ nullum ſenſum in parte, in qua contracta eſt, efficit; non enim membrana comprimitur, quia non adeſt introceſſio, nondum generatum pus ad membranam duram delapſum eſt, vt dolorem, & grauitatem inferre poſſit: cutis verò nullam affectionem ſuſtinet, & os cum inſenſile ſit, etiam ſi comprimeretur cutis ea in parte, in qua rima adeſt, nullus ab ægrotante perciperetur dolor. Experimenta verò illa, quæ deſumuntur ex forti maſticatione rei duræ, & mutua dentium concuſſione, atque emplaſtris, ſuſpecta ſunt, neque ſemper etiamſi fractum ſit os, illud detegunt, vt ob id non ſit ſemper eis credendum.

Sed & in proceſſu difficilis quoque admodum eſt illius cognitio, namque cum deberet innoteſcere, quando pus per rimam ad membranam deſcendit, & illi moleſtiam infert, vulneratus plerumque delirat, vnde & quid patia-

tur, & vbi patiatur ignorat, neque explicare poteſt, præterquam quod tunc temporis remedia ſolent eſſe irrita. Quocirca vndique ſunt anguſtiæ, & iure merito huiuſmodi caſus appellatus fuit ab Hippocrate calamitas. Si uerò alia capitis parte, dicebat lib. de uuln. cap. frangitur os, quam vbi vlcus habet homo, quintus hic modus eſt, & hanc calamitatem vbi facta eſt, nulla in re iuuare queas. Nam ſi paſſus eſt hoc malum, non eſt, quod ab eo exquirere poſſis, an paſſus ſit hoc malum, neque qua capitis parte.

Signa. Atque à principio quidem non aliter procuranda erit eius cognitio, quàm per coniecturas fracti cranii ſuperiùs poſitas, conſiderando videlicet qualitatem teli, & percuſſionis, naturam ægrogantis, locum vulneratum, & ea, quæ in vulnerandi actu ab ægrotante percepta ſunt, & ſymptomata ſuperuenientia, quæ præcipuè ſunt attendenda, & maximè, ſi perſeuerent ex parte; namque ſi hæc oſſis fracti ſuſpicionem afferant, & in parte vulnerata non reperiatur rima, ſuſpicandum eſt alia in parte os eſſe fractum; vnde oppoſita pars eſt conſideranda, quæ læſionem habens nonnunquam mollis reperitur, & in tumorem elata, & maximè, ſi ictus ſit in parte poſtica, faciliùs eſt enim, os ſincipitis diſrumpi ex percuſſione occipitis, quam è contra: & ſi ſymptomata perſeuerent, aut ſi pars oppoſita mollis, & in tumorem elata conſpiciatur, magis etiam audacter pars oppoſita ſecanda, & os detegendum, & alia facienda, quæ in latentis rimæ cognitionem ducunt, nullum enim diſcrimen ægrotanti imminet ex hac ſectione, etiamſi fruſtra ſit facta. Quòd ſi nihil in oppoſita parte comperiatur, proximæ partes conſiderandæ ſunt, & ſi nihil in ipſis reperiatur, ſuſpicari oportet ad partem vulneratam in interna oſſis ſuperficie fracturam ſubeſſe, itaque aut perforare os oportebit, aut vſque ad membranæ detectionem abradere, vnde Celſus lib. 8. cap. 4. Solet etiam euenire, vt altera parte fuerit ictus, & os altera fiderit. Itaque ſi grauiter aliquis percuſſus

cuſſus eſt, ſi mala indicia ſubſequuta ſunt, neque ea parte, qua cutis diſciſſa eſt, rima reperitur, non incommodum eſt partem alteram conſiderare, num quis locus mollior ſit, & tumeat, eumque aperire, ſiquidem ibi fiſſum os reperietur, non tamen magno negotio cutis ſaneſcit, etiamſi fruſtra diſſecta eſt. Si verò ictus ſit propè ſuturas, neque os fractum ſit, ſuſpicari oportet ſuturam ſibi ex directo reſpondentem rimam contraxiſſe.

Sed quoniam & contingere poteſt, os eſſe fractum, & in parte vulnerata, & in oppoſita etiam, vel alia parte, idcircò res eſt plena difficultatis, & acerrimo indigens iudicio, quod nec ſcribi, nec tradi poteſt. Procedente verò tempore, quamuis delirent laborantes, attamen in principio collectionis puris, & etiam quando delirant, ægrotantes ad partem, cui ſubeſt rima, crebro ſolent manum admouere, & ſcalpere, triſtem quemdam ſenſum, & pruritum in ea perſentientes: & ſi decidat pus ſupra membranam, id citra grauitatem capitis, & triſtem ea in parte ſenſum contingere nequit. Ideoque vbi ex communibus ſignis adſit ſuſpicio oſsis fracti in altera parte à vulnerata, ſedulò animaduertenda ſunt quæcunque apparuerint in vulnerato. Aliquando etiam ſanies ſupra cranium colligitur, vbi rima adeſt, & tunc præter ſenſum triſtem à laborante perceptum, adeſt quædam mollities in loco à Celſo animaduerſa, & eo in caſu omnino ſecare eam partem oportebit, vt poſsit rima conſpici, atque curari.

CAPUT XVI.

De ſignis contuſionis ſuturarum non in loco vulnerato.

SI ob ictum in vna cranii parte contuſio acciderit carnoſæ partis ipſius ſuturæ, hoc eſt, illius ligamenti, quod à ſubiecta membrana per ſuturam effertur, quemadmodum euenire non raro deprehenſum eſt, primò

mò quidem ictus erit ex aduerſo ipſi ſuturæ, non perpendiculariter, ad latera videlicet ipſius, opus eſt enim, vt vna ſerata pars ipſius ſuturæ cum impetu percutiat aduerſam partem, ex qua percuſſione accidet intermediam carneam partem contundi, & nonnunquam etiam ipſum os rumpi.

Locus igitur vulneratus diligenter conſiderandus, cum plura ſint loca, ex quorum percuſſione non poteſt contingere talis contuſio. Secundò ictus erit à telo, graui, & contundente, ſiue vnà etiam diſſecet, ſiue non, & percuſſio erit valida, vnde plerumque ad ictum ſequuntur ſymptomata, quæ cranii fracturam ſequi conſueuere, & maiora; fieri etenim non poteſt, quin ob propinquitatem, & connexionem ſtatim communicetur affectio ſubiectæ membranæ. Tertiò quoniam pars illa non eſt mediocriter ſenſibilis, aderit triſtis quidam ſenſus ad eam ſuturæ partem, maximè, ſi tangendo prematur, cum præſertim duræ matri ſit adeò connexa, procedente verò tempore, quoniam omne contuſum neceſſe eſt putrefieri, & in pus verti, augebitur triſtis illa ſenſatio, & ad tactum etiam apparebit mollities, niſi ſuperuenerit inflammatio, quæ partem illam diſtendat, ſed tunc & dolor erit maior, & in toto etiam capite ratione membranæ duræ, cui facillimè communicatur inflammatio illa, vnde & ſequuntur reliqua praua accidentia, videlicet bilis, vomitus, vigiliæ, febris, delirium, & huiuſmodi, & propterea ſedulò agendum vt primis diebus aliqua ipſius habeatur ſuſpicio, namque vbi praua ſymptomata ſuccedunt ob communicatam internis partibus putredinem, caſus, vt experientia teſtatur, plerumque eſt deſperatus. Ferè ſemper autem ex hoc affectu pereunt vulnerati, quoniam difficillimum eſt ipſum cognoſcere, neque in principio tantùm, verùm etiam cum ſuperuenerunt ſymptomata, in aliam enim cauſam referri ſolent. Iiſdem modis ſtudendum ad cognoſcendam fracturam ſuturæ, fieri namque haud poterit abſque carnoſæ partis contuſione.

CAPUT

CAPUT XVII.

De ſignis rimæ in intima parte cranii loci vulnerati.

NOn minus negotii faceſſit, neque facilius cognoſcitur rima contracta in intima cranii parte abſque læſione, ſaltem notabili, externæ ſuperficiei, ideoque multos ad mortem ducit, vt fidiſſimis experimentis eſt obſeruatum. Quare ſi ictus fuerit à telo graui, & contundente, atque aſpero præſertim, atque talis, vt ſecum attulerit alia oſſis fracti ſigna, neque appareat in parte uulnerata in extima oſſis ſuperficie fractura, neque in oppoſita parte potuerit accidere, puta, quia ictus non habeat uerè oppoſitam aliam cranii partem, vt ſi contingat in capitis uertice, uel circa ipſum, ſuſpicari oportet de huiuſmodi fractura, quam certo ſcimus longè facilius, & ſæpius contingere, quàm fracturam oppoſitæ ex diametro partis, hanc enim, ut uerum fatear, nunquam obſeruaui, ſicuti illam. Et ideo terebrandum erit os, aut aliter detegendum, neque una tantùm in parte, ſed pluribus ex obliquo, niſi prima operatione intentum fueris aſſequutus, ne ſi magis ad latera fuerit fractura, deliteſcat, ueluti primario cuidam Chirurgo contigiſſe memini, qui cum ſcalpro os exemiſſet uſque ad membranam duram, nullam læſionem reperit, ſed mortuo vulnerato, atque diſſecta caluaria, uiſa eſt rima ad latus abraſionis prauo quodam interſtitio ab ea diſſidens, quòd ſi dicto modo os terebraſſet, procul dubio rimam inueniſſet: uerùm Chirurgus ille non eam in gratiam abraſerat ad duram membranam, ſed pus ſubeſſe exiſtimans ob ſymptomata, quæ ſuperuenerunt.

CAPUT XVIII.

De ſignis fracturæ cranii in tota ſubſtantia.

HActenus multa allata ſunt ſigna, quibus cranii fracturæ tam ſimplices, quam compoſitæ dignoſcan-

tur. Verùm neque latere debet, num fractura totam cranii ſubſtantiam penetret, nec ne, non enim ſatis eſt morbum cognoſcere, ſed quantus etiam ſit ſcire oportet. Si fractura fuerit à telo incidente, & ex aduerſo facto, vel non multum ex obliquo, facile eſt propriis oculis deprehendere, num penetret, vel non; conſpicietur enim ipſa membrana, & motus eius erit patens, niſi fortè ob depreſſum os ita comprimatur, vt motus ipſius intercipiatur, quod tamen in ſede teli locum non habet: At ſi valdè ex obliquo ictus contigerit, & præſertim ſi telum ſecans fuerit tenue, oculis conſpici non poterit, quouſque peruenerit telum. Rima etiam patens num penetret, haud difficili negotio intueberis. Pariter ſi os ſecundùm totam ſubſtantiam introceſſerit: ſecundùm totam ſubſtantiam dico, quia nonnunquam ad meditullium tantùm introcedit, argui poterit, rimam totum os penetrare, quando tamen in adultis id contingat.

Sed quoniam pauci ſunt caſus, quibus id oculis aſſequimur, multi verò, in quibus non poſſumus, idcircò vbi os fractum eſſe cognouerimus, quouſque fractura perueniat, inquirere oportet. Hoc apprimè conſequemur per abraſionem, quæ eouſque proſequenda erit, adiecto inſuper experimento atramenti ſcriptorii, vt penitus deleatur, niſi interim certius indicium contingat ipſius penetrationis, cuiuſmodi eſt continuus exitus per rimam, aut fiſſuram eiuſdam humiditatis, præcipuè rubentis, veluti aquoſi ſanguinis, quæ eo etiam copioſius exit, quando æger clauſo ore, & naribus ſpiritum omni conatu retinet, atque ad ſuperiora impellit, quod accidit ratione ſuperius allata. Sed & vehementiores ictus, ad quos maiora ſequuta ſunt ſymptomata rimæ, ſeu fracturæ penetrantis ſuſpicionem afferunt: quod ſi inſuper ſigna aderint læſionis ſubiectarum partium, de quibus mox tractabimus, atque fractum ſit os, euidentiſſimum eſt ſignum fracturam penetrare. Dico autem, & fractum ſit os, quoniam quan-

doque intra cerebrum rumpitur aliqua venula ſine cranii fractura.

CAPUT XIX.

De ſignis læſionis membranæ.

CVm multis modis lædi poſſit dura membrana, namque, & ſecatur aliquando, aliquando verò dilaceratur, nonnunquam vellicatur, & pungitur, vel à telo, quod etiam quandoque intus relinquitur, vel ab oſſis ſpiculo, interdum à ſuprapoſito oſſe comprimitur, quandoque etiam tota ſubſtantia aufertur: quod & de tenui meninge intelligi poteſt, & à communibus indiciis, & ab iis, quæ ſuperuenerunt, & quæ ſenſui apparent, procuranda erit dignotio. Sectio quidem vt plurimum nota eſt ad ſenſum. Similiter ſi comprimatur à portione oſſis introceſſi: manifeſtiſſimum verò, vbi tota membrana ſecatur, ita vt portio ipſius auferatur. Similiter, ſi portio teli intus ſit relicta, & oculus iudicabit, & ex telo, quo uulnus inflictum eſt, vbi haberi poteſt, coniiciemus.

Vbi verò ab oſſe aliquo pungitur, quod ſenſibus non ſubiicitur, omninò vbi oculo denegatur facultas, ſymptomata, quæ vulnerato ſuperuenere, & quæ adhuc perſeuerant, ſunt conſideranda: ſiquidem cum membranæ ſint valdè ſenſibiles, vbi vulnerantur, vel paulo poſt, ſuperuenire ſolet capitis dolor in intimis partibus acutus, ſeu pungitiuus, ad radices oculorum pertingens. Superuenit etiam bilis vomitus ob conſenſum ventriculi, de quo ſuperius actum eſt, ſicuti etiam inteſtinorum dolor, compatientibus ipſis propter neruos ſextæ coniugationis à cerebro ad ipſa peruenientes: cadit in terram vulneratus, vertigine fit oppreſſus, & obcæcatus. Deiicitur appetitus, & hebetantur reliquæ ventriculi facultates. Oculi ſunt rubei, facillimè enim ſentiunt affectiones membranarum, vtpotè qui proprias membranas ab illis recipiunt.

Signa oſſis duram meningem pungentis.

Signa compreſſionis. Statim ſuccenditur febris, ephemera tamen ob ſpirituum agitationem. Procedente verò tempore nonnunquam ſuccedit putrida, quamuis, & quandoque acuta à principio ſtatim ægrum corripiat ob inflammatum, & exæſtuantem ſanguinem, vel bilem. Mentis torpor accidit, & veluti coma ſomnolentum, ſi comprimatur membrana, & ad cerebrum compreſſio perueniat, quod in apoplexiam terminatur, niſi eius cauſa fuerit ablata, non enim membrana tantùm dura, ſed & tenuis, & cerebrum ipſum comprimitur, vt & quandoque ventriculi ipſi cerebri anguſtentur, quo maximè in caſu torpor mentis accidit, & coma ſomnolentum. Vtcunque tamen comprimatur membrana præter bilis vomitum, caſum, vertiginem, obcæcationem, etiam patiens grauitatem quamdam capitis percipit, vt ſibi res grauis capiti incumbere videatur, vnde etſi mente conſtat, puluillos nimis eſſe ponderoſos aſſerit, namque mens ſæpè non conſtat, præcipuè ſi ſimul tenuis ſit oblæſa, atque ipſum etiam cerebrum. Et hoc in caſu quandoque ſubſequitur neruorum reſolutio, aut diſtenſio.

Signa vulneratæ membranæ. Præterea vbi vulnerata eſt dura membrana, copioſus cruor extra cranium per rimam, ſi fuerit patens, vel ſectionem fertur, maximè ſi ſpiritus contineatur, & obturatis naribus ad ſuperiora impellatur.

Signa læſi cerebri. Vbi verò cerebrum, & ipſum læſum eſt, ſiquidem comprimatur, grauitas capitis, & torpor mentis accidit, vt ſuperius dictum eſt, delirium, propenſio in ſomnum, & alia ſymptotma, quæ vulnera membranarum conſequi ſolent.

Si verò vulneratam ſit cerebrum, vt plurimum ſequitur vomitus bilis, ac febris, vt dicebat Hippocrates libro de Coacis prænot. Si non ab ictu ſtatim, ſaltem non multo poſt, oborta inflammatione. At ſi prægrande ſit vulnus, vt διακοπῆς nomen mereatur, neceſſariò febris ſuperuenit, & bilis vomitio, quia ſaltem vitari non poteſt inflammatio, vnde Galenus quinta Aph. quinquageſimo: Qui-

Quibus cerebrum diſſectum eſt, intelligebat de grandi ſectione, quæ διακοπή à Græcis appellatur, his febrem, & bilis vomitum ſuperuenire neceſſe eſt. Apoplexia quoque interdum ſequitur, vt monet Hippocrates libro de Coacis prænot. magna videlicet exiſtente ſectione. Sed & delirium ſtatim ſuperuenire ſolet, & per interualla repetere, donec inflammatio ſit facta. Aliquibus neruorum reſolutio, aliis conuulſio, ſeu conuulſiui motus, neque procedente tempore, ſed nonnunquam etiam ſtatim à principio. Aliquando etiam epilepticæ acceſſiones vulneratis contingunt. Et ſi vulnus in poſtica accidit parte, maximè oblædetur memoria, ſicuti ſi in anteriore parte, magis imaginatio, & diſcurſus. Neque exiſtimandum eſt, ſemper adeſſe enumerata ſymptomata vulneratis membranis, ac cerebro.

Sed in ipſo vulnerandi actu, vel ſtatim à vulnere aliqua ex dictis contingunt, ſed poſtea conquieſcere conſueuerunt, idonea maximè adhibita curatione, aliquando verò præexiſtentibus, noua, & peiora deinceps ſuperueniunt. Vnde Celſus libro primo capitulo vigeſimoſexto: Si cerebrum, membranaue eius vulnus accepit, ſanguis per nares, quibuſdam etiam per aures exit, fereque bilis vomitus inſequitur. Quorundam ſenſus obtunduntur, appellatique ignorant. Quorundam trux vultus eſt, quorundam oculi reſoluti huc, atque illuc mouentur, fereque tertio, vel quinto die delirium accedit. Multorum etiam nerui diſtenduntur. Ante mortem autem plerique faſcias, quibus caput deligatum eſt, lacerant, ac nudum vulnus frigori obiiciunt.

Oſſis introceſſionem non ſemper praua ſymptomata conſequuntur.

Obſeruatum eſt etiam experientia non ſemper ad oſſis introceſſionem ſequi praua ſymptomata. Habui ego præ manibus puellam annum circiter ſeptimum agentem, cui ex caſu in frontem os effatu digna quantitate introceſſit, integra tamen cute, & nullum omnino ſuperuenit ſymptoma.

Anno Domini 1617. menſe Iulii vulneratus fuit à milite ſatelles quidam pugione Bononienſi appellato, lato videlicet, ac ponderoſo; ac vehementer incidente in ſincipite, & oſſe frontis ad læuam, ita vt diſſecta tranſuerſim fuerit ſutura coronalis verſus medium capitis, & vnà muſculus temporalis in fronte cum ſubiecto pariter oſſe; ſed & diſſecuit pariter gladius non ſolùm ſubiectas membranas, verùm etiam magnam cerebri portionem; & tamen ab ictu nec cecidit in terram, nec ſuperuenit obcæcatio, aut vertigo; Paulò poſt tamen labefactata virtute animali pedibus conſiſtere non poterat, vt ægre ductus ad Noſocomium fuerit; & quamuis ab ictu diſtinctam locutionem formaret, tunc tamen loquens vix intelligebatur; confeſſus tamen eſt quaſi balbus propria peccata; Altera die ſuperuenerunt epileptici inſultus, vt decies, & pluries repeterent acceſſiones, quæ interdum plures horas perdurabant, vnum tantùm verbum proferebat, idemque pluries repetebat, nec mente conſtare videbatur; circa nonam quieuerunt epilepticæ inuaſiones, & diſtinctè loqui cæpit, & ad ſe rediit. Verùm circa vndecimam ſuperueniente vehementi acceſſione epileptica repentè interiit.

Habui etiam puerumagentem annum circiter decimum, cui ex caſu in ſinciput verſus latera os introceſſit ad vnguis minoris digiti quantitatem cum ipſius cutis vulnere, & nihilominus, quia nullum ſuperuenerat ſymptoma, illius parentes pro nihilo vulnus habebant, & permittebant, vt iret, quò magis uellet. Eius curam habebat barbitonſor quidam in re uulnerum parum uerſatus, & à principio detectionem oſſis, nedum fracturam non animaduertit, ſed tertia die pus detergens, ac os denudatum uidens, ac timens, me aduocari uoluit, qui dictam osſis introcesſionem comperi, & mirum erat, quomodo nullum adeſſet ſymptoma. Adultum etiam uidi ab osſis introcesſione in fronte conualuiſſe, licet minimè eleuatum fuerit os depreſſum, & remanſit fouea, ſanato uul-

uulnere, & omnes eius operationes ſemper integræ fuerunt. Quo fit, vt exiſtimem non ſuperuenire mala ſymptomata, niſi quando compresſioni adiunctum eſt aliquid, quod membranam pungat, aut quando etiam ſanguis ſupra membranam effuſus eſt, aut compresſio fuerit inſignis, ita vt cerebrum comprimatur, & compresſio ad uentriculos perueniat.

CAPUT XX.

De ſignis concuſſi, & commoti cerebri.

NOnnunquam concutitur, atque commouetur cerebrum abſque cranii fractura, immo etiam quandoque abſque cutis diſruptione, ſi telum fuerit graue, latum, & æquale, non aſperum, vnde praua ſubequantur accidentia, velut mortui enim cadunt, & omnes facultates poſternuntur, non ſecus, ac in apoplexia, & muti fiunt, vt Hippocrates ait ſeptima Aph. 58. Quibuſcunque cerebrum aliqua cauſa concuſſum eſt, eos repentè obmuteſcere neceſſe eſt. Et libro de Coacis prænot. Quibus concuſſum eſt cerebrum, doluitque percusſis, ac lapſis, continuo nec vident, nec audiunt: in allato enim Aph. quamuis Hippocrates ſolius obmuteſcentiæ meminerit, eius nomine deperditionem quoque aliarum functionum ſubintelligendam voluit, quaſi ſic diceret, mutos, & veluti mortuos iacere, vt experientia confirmat, idcircò in libro de Coacis prænot. etiam auditus, & viſus ſublati mentionem fecit. Hinc Galenus in commentario illius Aphoriſmi: Nihil autem hoc loco ad præſentia referet, modo nouerimus, quòd conſuetudo Hippocratis ab vno accidente neceſſariò ſæpius, ſcilicet à vocis amisſione, nominare, & oſtendere illos, qui nullum alium motum ſeruant ſecundùm electionem, vel nihil omninò ſentiunt. Iacent autem eodem modo, quo apoplectici, ſine ſenſu, & motu. Quandoque epilepſia corripiuntur, & ore ſpumant.]

Hæc

Hæc ſymptomata multoties obſeruaui, vnde percuſſi tanquam mortui in domum ſunt delati, ſed poſteà cuncta receſſerunt ſymptomata, & cum cranium detegeremus, vt videremus, an adeſſet fractura in ipſo, omninò fracturæ expers comperimus, & ita neque abradere, neque terebrare voluimus, & ægri feliciter conualuerunt. Id autem obſeruaui, quibus fractum haud erat cranium, etſi muti, & veluti mortui cecidiſſent, iis tamen vomitum bilis non adfuiſſe.

CAPUT XXI.

De ſignis vaſis fracti ſub oſſe, & effuſi ſanguinis, aut inter cranium & duram meningem, aut inter vtramque membranam, aut in cerebri ſubſtantia, ſeu in plexu choroide. Nec non & de ſignis alicuius ex ligamentis, quibus dura meninx alligatur cranio, vel alicuius nerui ſenſus diſrupti.

SIue diſrumpatur vas in vulnerato loco ſub ipſo oſſe, quod tamen fracturam non contraxerit, ſiue in alia parte, atque ſiue intra cerebri ſubſtantiam, ſiue ad membranas, caſus eſt difficillimus, admodum enim arduum eſt rem à principio intelligere, præcipuè autem, ſi pauca ſanguinis quantitas fuerit effuſa, cum rarò propria quædam ſymptomata liceat obſeruare.

Sed neque procedente tempore facilis eſt cognitio, quamuis enim ſuppurato ſanguine accidant putredines, febres, & alia praua ſymptomata, nihilominus neque ſcè habemus, cur potius in hunc, quam in alium affectum ea referamus, nam & ſimilia ſymptomata ſuperuenientem inflammationem conſequuntur, materiæ deſcenſum à partibus externis ad internas per rimam, malè intellectam oſſis contuſionem, punctionem ab oſſis ſpiculo, contuſionem ligamentorum à membrana dura per ſuturas exeuntium. Deinde ſi fortè probabilia ſigna habuerimus, ſanguinem fuiſſe effuſum, adhuc tamen non eſt manifeſtum,

ſtum, num intra cranium, & duram meningem contineatur, an potiùs inter vtramque membranam, vel intra cerebri ſubſtantiam poſteaquam non eſt abſurdum in plexu choroide poſſe venulam diſrumpi. Obſeruata enim eſt in mortuis ex capitis vulneribus diſſecto cerebro maxima puris copia in ipſius ventriculis: quod non aliunde prouenisſe exiſtimandum eſt, quam ex diſruptione alicuius vaſis in plexu choroide. Nil igitur mirum ſi & oculatiſſimi Medici nonnunquam ad iſtius affectus cognitionem non perueniant. *Signa collecti ſanguinis ſubeſſe.*

Ex nullo autem magis id venari poſſumus, quam ex qualitate percuſſionis, & ex grauitate capitis poſt ictum relicta, ex leui enim ictu non poteſt vas diſrumpi, ſed ex valido tantùm, quare ſi ictum fuiſſe grauem intellexerimus ex ſignis aliàs relatis, atque à telo obtuſo, & grauitas capitis adfuerit, atque propenſio in ſomnum, & os integrum conſpiciatur, ſuſpicari oportet venulam fuiſſe diſruptam, & ſanguinem effuſum; neque fieri poteſt, vt ſanguis ſit extra proprium locum, & in parte nobili, & triſtem aliquem ſenſum non inferat. Antequam putreſcat, non poteſt inferre dolorem, niſi nimia admodum eſſet eius quantitas, ut grauitatem aliquam afferat neceſſe eſt. Si vero magna ſit quantitas effuſi ſanguinis, egredi ſolet per aures, & nares, & palatum: at procedente tempore dolores accidunt, & febres, & interdum etiam obcæcantur oculi, quoniam ſuppuratur ſanguis, vnde inflammationes, & putredines, & à putrefacto ſanguine praui halitus eleuantur, qui non ſolùm partem diſtendunt, & dolorem concitant, verum etiam ad oculos delati viſum hebetant, atque corrumpunt, vnde Celſus libro 8. capitulo quarto: Raro, ſed aliquando tamen euenit, vt os quidem totum integrum maneat, intus vero ex ictu vena aliqua in cerebri membrana rupta aliquid ſanguinis mittat, iſque ibi concretus magnos dolores moueat, occuloſque obcæcet. Non vult autem Celſus, vt ſanguis ſtatim, ac eſt concretus, magnos dolores faciat, ſæpisſimè

mè enim obſeruatum eſt oſſe terrebrato, effatu dignam quantitatem ſanguinis concreti ſubeſſe, quæ tamen nullum afferebat dolorem, ſed ſolùm capitis grauitatem.

Vult ergo Celſus, vt non ſtatim, ſed deinceps magnos cieat dolores, eo quod neceſſarium ſit, concretum ſanguinem putreſcere, vnde intemperies, putredines, inflammationes, tenſiones, & ſæui dolores, qui & oculos obcæcant, quod alii capitis dolores non faciunt, non quà dolores ſunt, ſed quà pendent etiam à cauſa, cuius eſt viſum hebetare; proueniunt enim non minima ex parte à vaporibus, qui à putrefacto ſanguine eleuantur, ac membranas diſtendunt, ad oculos vero delati viſum hebetant, ac etiam corrumpunt. Fiunt etiam ſomnia mala, & tandem deliria, conuulſiones, atque reſolutiones, & alia, quæ mortis ſolent eſſe præludia.

Qua in parte collectus ſit ſanguis.

Sed cum multis in locis contineri poſſit effuſus ſanguis, locus vulneris, & in quo præcipue grauitatem animaduertit ipſe vulneratus, & quæ ſuperueniunt accidentia, demonſtrabunt. Locus quidem vulneris, quoniam, ſi fuerit ictus, exempli gratia, in ſincipite, atque perpendiculariter, magis probabile eſt, in loco vulneris diſruptam fuiſſe venam, quoniam vis ictus eo loco perſiſtit. At ſi ad latera, vel a parte antica, aut poſtica, & in oppoſita, facilè fieri poteſt venæ diſruptio, dum enim cerebrum ob ictus violentiam ad oppoſitam partem quodammodo impellitur, & inde violenter etiam reflectitur, facili negotio diſrumpi poſſunt venæ, quæ à dura meninge in cranium inſeruntur. Quare conſiderandum eſt, in quo præcipuè loco triſtem illum ſenſum, & grauitatem percipiat vulneratus, & oſſis color in loco vulneris conſiderandus, prauus enim eſt illius color, ſi non à principio, ſaltem paulò poſt, quia à concreto ſanguine inficitur, & adhuc magis, cum putreſcere cœperit. Si locus vulneris partem oppoſitam habuerit, ea diligenter conſideranda, & videndum, an quidpiam ſentiat ægrotans ea in parte puta dolorem, grauitatem, num ad eam partem ſæpius manus admoueat ipſe vulneratus. Et

Et vbi probabile aliquod ſignum ſeſe obtulerit, audacter, ſi vrgeant ſymptomata, ſecanda eſt cutis, & os detegendum: quòd ſi à cranio ſeparatum, & non boni coloris comperiatur exiſtimandum eſt, nos affectus ſedem inueniſſe. Vnde Celſus libro octauo, capitulo quarto: Sed ferè contra id dolor eſt, & eo loco cute inciſa pallidum os reperitur.

Signa collecti ſanguinis intra cerebri ſubſtantiam.

Quando intra cerebri ſubſtantiam fuerit malum, quoniam inſenſile eſt cerebrum, non dolor, ſed grauitas ſola percipitur, ſæpius etiam accidit coma ſomnolentum, & caros, qui in apoplexiam tranſit. Solet tamen, & ad membranas in magna quantitate collectus ſanguis propenſionem ad ſomnum inducere comprimendo. Interdum etiam diſrumpitur aliquod ex iis ligamentis, quibus dura meninx oſſi connectitur. Sed à principio nullum adeſt huius rei indicium. Procedente tamen tempore ſuperueniunt praua ſymptomata, eò quòd paulatim à diſrupto ligamento exſudat tenue quoddam excrementum, quod propter ſui paucitatem à princidio nullam infert moleſtiam, ſed ſolùm cum in effatu digna quantitate fuerit collectum; quare interdum ſeptima, aut decima quarta inopinatò ſuperueniunt mala, quæ fere non habet Medicus, in quod referat. Diſrumpuntur etiam quandoque propter magnos ictus aliqui ex mollioribus neruis, qui nerui ſenſus dicuntur; ſicuti enim ex caſu ab alto poſſunt diſrumpi, qui à ſpinali medulla ortum habent, ita etiam diſrumpi poſſunt nerui ſenſus in ipſo cerebro, vnde Gal. 7. Aph. 58. Concuti autem hoc modo cerebrum contingit propter aliquem caſum totius corporis violentum ex locis altioribus factum, tales enim caſus ſolent, & in ſpinæ vertebris facere concuſſionem, quando ipſarum harmoniæ fuerint commotæ, & ſpinalis medulla, quæ in earum cauitate continetur, laborauerit, valdeque concuſſa periculum adduxerit, ne aliquis neruus eorum, qui ab ipſo naſcuntur, abrumpatur. Id quod non minus, & in ipſo fit cerebro, & tanto magis,

quanto plus vacui loca habent, quæ ipſum circumſtant: quod etiam vacuum magis eſt in ſenibus. Si ergo diſrumpantur aliqui ex his neruis, ſtatim perit ſenſus illius partis, ad quam deferebat neruus ille qualitatem ſenſitiuam, nec eum ampliùs pars recuperat. Quod verò iſtud nonniſi ex valido admodum ictu fiat, ſatis manifeſtum eſt.

Quomodo amittatur ſenſus, & motus ob cerebri concuſſionem.

Aliquando etiam ob ſolam cerebri concuſſionem amittitur ſenſus, & motus, etiam ſi non ſint diſrupti nerui, eò quòd malè afficiatur animalis facultas, & veluti contrahatur, vel cerebrum proprii muneris obliuiſcatur, ſed poſteà rurſus ſe colligit animalis facultas, & partibus communicatur, vt antea, atque ſymptomata recedunt. Vnde Galenus loco citato: Contrahitur autem vis animalis in ſe ipſa in talibus diſpoſitionibus à motu periculoſo moleſtata, atque adeò quieſcit, orta verò nonnulla quædam ſufficienter tenduntur, quædam verò ex parte diſtrahuntur, & interea, donec ſe rurſus vis animalis collegerit, mutum, atque immobile totum jacet, quod ita afficitur animal. At neruis diſruptis, non reſtituitur in priſtinum corpus, idcircò ibidem ſubiungebat Gal. Si vero cerebrum auelli contigerit, aut ſecundùm aliquam eius partem conuelli, qui ita patiuntur, non referuntur. Non ſolùm diſrumpuntur nerui ſenſus, verum etiam interdum inciduntur ſtante vita, non tamen vulnerato cerebro in ſuperiori parte, ſed potiùs in inferiori, vt contigit, cum hæc ſcriberem, cuidam militi, cui inflictum fuit vulnus punctim ſub oculo dextro, intacto enim oculo penetrauit enſis cerebrum, & neruum opticum dextrum diſſecuit, ex quo ſtatim viſionem amiſit vterque oculus, etſi oppoſitus tranſacta ſeptima eandem recuperauerit.

CAPUT.

CAPVT XXII.

A quibus cauſis proueniant ſymptomata, quæ fracturas comitari ſolent.

QVoniam non vnicam cauſam, vt patuit, ſequuntur mala ſymtomata in cranii fracturis, ſed quandoque continui ſolutionem, vel a telo, vel ab oſſe, quandoque compreſſionem membranarum, & cerebri, quandoque ſanguinis, & puris collectionem, quandoque inflammationem, quandoque etiam ſolam cerebri concuſſionem, vt cuique cauſæ iuxtà exigentiam conſulere poſſimus, optimum erit diligenter conſiderare, & perpendere, quam habeant cauſam. Hanc igitur venabimur ex tempore, quo incipiunt apparere ſymptomata, ex vehementia, perſeuerantia, æqualitate, vel inæqualitate ipſorum. Ex tempore quidem, nam quæ ſolutionem continui cauſam habent, & punctionem ſiue a telo, ſiue ab oſſis ſpiculo ſtatim à vulneratione ſuperueniunt. Et ſimiliter ea, quæ compreſſionem membranarum cerebri, & ipſius cerebri ab oſſe introcedente, vel ab alia re externa; nulla enim eſt ratio, cur modo acciderint, & non in vulneratione, & è conuerſo, cum eadem ſit cauſa efficiens, ſtante enim eadem cauſa idem ſequitur effectus. Licet procedente tempore omnia fiant maiora, niſi auxiliis medicis fuerit conſultum.

Quæ vero pus contentum, vel inflammationem, non niſi procedente tempore apparere conſueuerunt, non ſtatim enim generatur pus, & ad membranam tranſmittitur, neque ſtatim generatur inflammatio. Prætereà, quæ ad priora, æqualia ſunt, & in eodem ſtatu permanent, cauſa enim æqualiter agit, quatenus talis (ſi enim ſuperueniente inflammatione, aut pure, augeantur, hoc eſt per accidens) atque pus contentum, & inflammationem conſequuntur, paulatim incipiunt, atque augentur, & ad ſtatum perueniunt. Vnde tempora in ipſis manifeſtè

 diſtin-

Signa inflammationis, & contenti puris.

diſtinguuntur. Sed tamen & hæc ipſa diſtinguuntur, nam quæ inflammationem conſequuntur, vehementoria eſſe conſueuerunt, maior adeſt dolor, & calor, febris acuta, delirium, atque durities pulſus, labra quoque vulneris ſunt ſicca, & non boni coloris, ſed ſalitæ carni aſſimilantur. Oculi quoque rubent, & trux eſt vultus, atque à principio, quæ inflammationem conſequuntur, manifeſtas videntur habere acceſſiones iuxta naturam humoris inflammationem efficientis, quandoque in ipſo vulnere apparent notæ quædam vel puris, vel inflammationis, per fiſſuram enim pus extra ferri conſpicitur, & membrana propter inflammationem cranium egredi. Ampliusque ex pure proueniunt, non adeo confertim augentur, ſicuti quæ ab inflammatione: & quando à pure ſub oſſe contento proueniunt ſymtomata, os eſt mali coloris, inficitur enim à pure, & extinguitur natiuus eius calor, nonnunquam ſanies per palatum, aures, & nares excernitur. Præterea fiunt inordinati quidam rigores, & febricula inuadit à principio cum rigore, ſæpè etiam cum bilis vomitu, quæ poſtmodum paulatim aucta fit de genere acutarum, aliaque mala ſymptomata comitantur, primò enim floccos carpunt, dein manifeſtè delirant. Non paucos conuulſio corripit, modò ex eadem, modò ex vtraque parte, modò ex oppoſita. Non raro reſoluuntur, & ab eadem, vel ab oppoſita parte; interdum etiam conuulſio in oppoſita, reſolutio verò in eadem accidit parte.

Signa contenti ſanguinis.

Quando verò conſequuntur aliam materiam diuerſam à pure, puta ſanguinem extra venas fuſum, dignoſcitur, quoniam deſunt notæ compreſſionis, vel punctionis a telo, vel oſſis ſpiculo, neque adeſt ſolutio continui ad id ſufficiens, & potius ſunt grauitates capitis, atque propenſiones in ſomnum, à principio videlicet, quando adhuc non in pus verſus eſt ſanguis, & hæc ſymptomata etiam à principio apparent.

Si proueniant ſymptomata ex concuſſione cerebri.

Si verò concuſſionem cerebri conſequantur, vbi ceſſerint, non amplius redire conſueuerunt, qualitas ſympto-

ma-

matum diuerſam arguit cauſam, nam quæ inflammationem ſequuntur: ad motum potius attinent, quæ ad compreſſionem, vel materiam contentam, magis ad ſegnitiem attinet. Nonnunquam ſimilia ſymptomata externam affectionem ſequuntur, eryſipelas, videlicet in capite, internis partibus ſaluis exiſtentibus. Et quoniam, antequam reddatur conſpicuum, mala quædam ſolent apparere, videlicet febris cum rigore, dolor & tenſio ceruicis, & maxillarum, vt ægrè admodum caput obtorqueant, & os diducant, rubor, & flammea quædam oculorum diſpoſitio, ſomnia turbulenta, interdum delirium, ex quibus facilè adduceretur tiro, vt affectionem ad partes internas ſpectare iudicaret, propterea noſſe oportet, quid interſit inter ſymptomata, quæ ſequuntur affectionem externam, & quæ internam, ne fortè ſimilitudine deceptus (ſimilitudines enim plerumque ſunt deceptionis cauſa dicebat Hipp.) & ſub oſſe latitare malorum cauſam exiſtimans, in aliquod diſcrimen vulneratum adducat.

Quomodo diſtinguendum an ſymptomata prouenientia ab affectione externa, vel interna.

Scire igitur oportet, ſimilia ſymptomata iis, quæ proueniunt ab interna affectione, accidere ab externo eryſipelate ob bilis feruorem, ac motum, & decubitum in externas partes capitis, propter feruorem enim bilis febris accenditur. Dum verò natura ad hunc ſuccum tenuiſſimum, & feruentem expellendum inſurgit, ipſum commouet, & agitat, quare ab eo eleuantur vapores ad ſuperiores partes, qui ſomnia turbulenta, dolores capitis, & etiam deliria excitant. Et cum cœperit hunc humorem ad partes extimas capitis pellere, ceruicis, & maxillarum dolores, atque tenſiones ſequuntur, eò quòd in iiſdem partibus humor feruens impingatur, ob cuius feruorem ipſi oculi flammei redduntur. Diſſident autem longo interuallo hæc ſymptomata ab iis, quæ internam affectionem ſequuntur: etenim febris, quæ occaſione præſentis, aut imminentis eryſipelatis orta eſt, figuram omninò tertianæ febris obtinet, cum rigore inuadit, & ad ſummum vigorem celeriter abſque interruptione tendit, in quo quidem

maxi-

maximum apparet incendium, inde febris inclinat, atque ſudore, vel bilioſa deiectione terminatur, interdum & vomitu, immò & quandoque cum vomitu inuadit. Aggrediuntur vnà cum hac febre dolor, & tenſio ceruicis, & maxillarum, & rubedo illa oculorum. Subtumida dein redditur facies, & ad tactum calida, ac dolens; eadem patitur, & cutis capitis. Interdum etiam ingens eſt tumor, ac totum caput corripit, etſi affectio ſit ſolummodo in externis partibus, vbi ad externas partes fuerit conuerſum eryſipelas, dolor capitis miteſcit, ſi eum excipias, qui ad rationem tumoris attinet, atque delirium recedit. Vulnus ſemper benè ſe habet, ſi tumorem rubicundum labiorum, & circumiacentium partium demas, bonum enim pus emanat, & bono colore eſt præditum, etſi os detectum ſit, ſuum naturalem colorem, & ipſum ſeruat. Quòd ſi ob internam affectionem ſubſequuta fuiſſent ſymptomata, vulnus ſiccum, & ſqualens, decoloratum, & lachrymoſum conſpiceretur, & os non boni coloris. Hæc nobis ſignificauit Hippocrates libro de vuln. cap. cum dicebat: Cum verò in vulnere in capite hominis terebello perforato, aut non perforato, oſſe autem denudato tumor rubicundus ignis ſacri ſpeciem referens, acceſſerit in facie, & in oculis vtriſque, aut in altero, & ſi quis tumorem contingat, & doleat, & febris corripiat, ac rigor, & vlcus ipſum tum quod ad carnem attinet, tum quod ad os, benè habeat ad aſpectum, & ambientes vlcus partes, benè habeant excepto tumore, qui in facie exiſtit, & aliud peccatum nullus tumor habeat, &c. quando verò ſymptomata internæ affectionis ſunt ſoboles, non ſolùm perſeuerant, verum & in dies magis ingraueſcunt, niſi affectioni internæ fuerit conſultum. Sequuntur etiam ſymptomata feruorem, & putredinem bilis, etiamſi non excitet eryſipelas in capite. Et tunc febris habet formam tertianæ, ſymptomataque ad cerebrum attinentia vna cum febre miteſcunt, atque recedunt. Et vulnus ipſum benè ſe habet ad aſpectum.

Cum

Cum hæc ſcriberem, tria vulnere inflicta cæſim fuere pugione mulieri annum circiter trigeſimum agenti, vnum in domeſtica brachii parte non admodum profundum, reliqua duo in fronte, vnum paulo ſupra ſupercilium dextrum, & ad pericranium pertingebat, alterum verò in frontis medio cum teli ſede in oſſe. Poſtridie vocatus, vt poſſem ſcalpris teli veſtigium delere, ac inſpicere, num fortè adeſſet etiam rima aliqua, vel contuſio, vulnus, quod erat anguſtum nimis, amplius reddi, ac ſubſequenti die ſedem deleui, os vſque ad meditullium abradendo, nec apparuit rima, neque contuſio. Ex obliqua autem teli ſede ictum non ad perpendiculum, ſed ex obliquo contigiſſe cognoui, & proindè nihil mali verebar tantoque minus timendum exiſtimabam, quoniam ictus nullum ſymptoma attulerat, etſi febricula quædam pluribus diebus perſeuerauerit, à vulnere pus copioſum emanabat, ſed breui caro valdè mollis, & flaccida reddita eſt; referebam tamen cauſam tum in muliebrem naturam, tum in caput eius natura excrementorum ferax, atque in extimam oſſis ſuperficiem, quæ demortua eſſet. Vbi enim receſſurum os eſt, eiuſmodi caro ſæpè viſitur. Dolore capitis interdum corripiebatur, præſertim ad tempora. Verum quoniam ſanitatis tempore huiuſmodi dolori erat obnoxia, parum commouebar. Ab vndecima vſque ad decimam nonam ambigendum videbatur, num omninò eſſet à febre immunis, nec ne. Cæterum decima nona, cum mane à lecto ſurrexiſſet, atque veſtes nonnullas ſibi ab ancilla ſurreptas comperiens, eidem vehementer ſuccenſuiſſet, circa vigeſimam ſecundam horam ingenti febre correpta eſt, quæ inuaſit cum rigore inſigni, vehementique capitis dolore, & non multo poſt acceſſit delirium, vt neminem agnoſceret: continerique in lecto non poterat. Perdurauit rigor duas circiter horas, delirium quatuor, caput verò doluit vſque ad febris inclinationem. Circa quintam noctis horam cœpit febris remitti, & exinde ſatis placidè dormiuit, tandemque febris cum ſudo-

re totius copioſo ferè diſceſſit, vt manè quaſi à febre ſolutam illam inuenerim. Dolorque ferè nullus, ſed grauitas aliqua aderat. Vrinæ erant perturbatæ. Quapropter febrem hanc tertianam eſſe ratus; doloremque capitis, ac delirium per conſenſum facta eſſe, ob feruorem videlicet bilis eleuatis ad cerebrum vaporibus, nihil, quod ad vulnus, innouandum duxi, ſed ſolius febris habendam eſſe rationem, & ne bilis in caput reperet. Tertia die circa decimam nonam horam rediit febris iiſdem propemodum comitata ſymptomatis, ac prætereà bilis flauæ, ac porraceæ vomitu. Nocte citra ſudorem declinauit, ſed cum efflorefcentiis in cute, pruritque vehementi. Quinta die hora decima quinta inuaſit tertia acceſſio cum vehementiſſimo rigore, bilioſo vomitu, & capitis dolore, dein ſuperuenit delirium, immo furor, ſed tamen circa horam vigeſimam ſecundam cæpit febris remitti vnà cum ſymptomatis, nocteque ſatis copiosè ſudauit. Manè vrinas concoctas obſeruaui, & quaſi à febre erat libera, quæ tamen non multo poſt receſſit penitus. Semper vulnus benè ſe habuit ad aſpectum, immò caro, quæ ante febrem erat valdè mollis, in ipſa febre facta eſt ſiccior, & magis compacta, etſi a vulnere pus copioſum effluerect, & ab ipſo meditulllio cæpit caro pullulare. Ob id, & quia ſymptomata capitis vnà cum febre miteſcebant, nullaque percipiebatur in pulſu durities, ſemper in prima ſenſentia perſtiti, febrem videlicet à bile putreſcente factam eſſe, ſymptomataque per conſenſum accidiſſe, nihilque quod ad ipſum vulnus, innouandum. Euentuſque non aliter rem ſe habere declarauit. Febris enim amplius non rediit. Et vigeſima octaua die extima oſſis ſuperficies ſeceſſit, tandemque Dei auxilio præter omnium expectationem conualuit. Hoc idem in pluribus aliis obſeruaui. Quod ſi febre, aut dolore capitis in vndecima, aut duodecima, vel decima quarta, aut vigeſima ſuperueniente impulſus, nihil aliud conſiderans, temerè ad terebrationem deueniſſem, ſcio multos nunc viuere, qui vitam

vitam forſan cum morte commutaſſent. Ne igitur ſuperuenientes affectus nobis imponant, omnia ſunt diligenter conſideranda, & præcipuè quæ ad naturalem ægrotantis ſtatum attinent, ita enim quæ ſuperuenerunt, optimè ad ſuas cauſas reducemus, nihilque in ægrotantis perniciem machinabimur, & quæ re vera ad ſalutem ipſius faciunt, non prætermittemus.

Conſideranda non minus aſcititia vulnerati diſpoſitio, aliqui enim ſunt, qui per certa quædam interualla temporis dolore capitis corripiuntur. Alii febre, alii ceruicis dolore, alii ex quauis febre delirant. Quocirca apparente aliquo ſymptomate in capite vulneratis quærendum erit de ſtatu vulnerati, antequam ei inflictum eſſet vulnus, etſi comperiamus aliquo ſimili ſymptomate conſueuiſſe corripi, diligenter ponderetur, & quod ſuperuenit, & quod antea inuadebat, & mutuò conferantur, nam ſi penitus ſint ſimilia, puta quod ad durationem, intenſionem, qualitatem, &c. ſuſpicari poſſumus eiuſdem eſſe naturæ, vulnuſque nihil mali præſtitiſſe. Et adhuc magis id credendum erit, ſi ſtatui vulneris proportione minimè reſpondebunt. Vocatus fui ad curam vulnerati capite, & vulnus erat cum inſigni teli ſede. Os abraſi ſicuti oportebat. Quarta die veſperè inuaſit febris cum aliquo rigore, atque dolore capitis. Verum cum vulnus non eſſet malè diſpoſitum, ſuſpicatus ſum, non inde ortum duxiſſe hanc febrem. Itaque laborantem interrogaui de ſuo ſtatu. Comperique ipſum quartana febre laborare, & eam acceſſionem fuiſſe conſuetæ quartanæ acceſſionem, quæ inſuper cum dolore capitis non contemnendo inuadere conſueuerat. Quare non amplius me ſolicitauit hæc febris.

CAPUT XXIII.

De præſagiis in vulneribus capitis.

VT, quæ futura ſunt per vulnera capitis, præuidere, ac prædicere valeamus, eidem prorſus Methodo, quam

quam ſuperius propoſuimus de præſagiendi ratione in vulneribus generaliter per tractantes, inſiſtendum erit. Namque & triplex eſt horum vulnerum magnitudo, quæ videlicet ratione propriæ eſſentiæ ſpectatur, & quæ ratione dignitatis, & quæ ratione facultatis æſtimatur, & quo vnaquæque eſt intenſior, eo maius minatur periculum. Cæterum licet magnitudo ratione propriæ eſſentiæ faciat, vt capitis vulnus nequaquam ſit extra aleam, attamen magnitudo ratione dignitatis maius oſtendit periculum, & tanto maius, quanto dignior eſt pars vulnerata, ita tamen, vt dignitatem partis non ſolùm ex ipſius nobilitate dimetiamur, verum etiam ex eo, quod facilius proprias affectiones ei, quæ nobilis eſt, impertiat, ſiue hoc immediatè accidat, ſiue mediante alia parte. Adnexa verò magnitudo ratione facultatis omnium maximè pericula declarat: immò nulla alia magnitudo eſt interitus cauſa, niſi quatenus ſibi aſciſcit magnitudinem ratione facultatis. Quod quidem eſt uidere, & in aliis morbis.

Vndenam periculum in vulneribus capitis.

Quocirca uulnus in capite, quo facilius ſibi adnectere hanc magnitudinem poteſt, eo periculoſius cenſendum eſt. Et quando intenſior eſt magnitudo, quæ illi aſſociari poteſt, tanto magis augetur periculum. Quandoque tamen uulnus capitis magnum eſt ratione dignitatis affectæ partis, uel etiam facultatis, uerùm magnitudo hæc facile medica manu auferri poteſt, quamuis id naturæ non concedatur, & eo in caſu, prout facilius tolli, aut imminui poteſt illa magnitudo, totum autem id à cauſa pendet, ita imminuitur periculum. Sic ſi os introcedens duram membranam, atque cerebrum comprimat, vt ex hac compreſſione caros excitetur, uulnus eſt maximum, & ratione dignitatis, quoniam læduntur membranæ, ac cerebrum; & ratione facultatis, quia fere perierunt facultates omnes principes, & ſenſitiuæ, ac motiuæ, nihilominus, quoniam ex ſubleuatione comprimentis oſſis, quam interdum etiam non ægrè obtinemus, tollitur membranarum, & cerebri compreſſio, & cauſa cari, id-

circo

circo uulnus, quod per ſe eſt lethaliſſimum, niſi enim eleuaretur os comprimens, citiſſimam inferret mortem, huius accidentis ratione minus eſt periculoſum. Nonnunquam etiam accidit, vt hæc magnitudo, quæ cognita facilè tolleretur, vel ſaltem longè minor redderetur, deliteſcat, tuncque prout magis latet, ita periculum augetur. Hac itaque ſeruata methodo non erit arduum futura præſagire.

Quoniam ergo & parua capitis vulnera, ſi eſſentiam eorum ſpectes, & ipſius cutis ſolummodo magnitudinem, quæ ratione dignitatis, & facultatis æſtimatur, ſibimet poſſunt adiungere, niſi, vt decet, tractentur, puta dum pus retentum ſubiectas vrget partes, & pericranium, atque os pariter inficit, ita enim communicatur affectio cum partibus ab oſſe contentis, eo quod à dura meninge extra ferantur per ſuturas fibræ ad pericranii texturam, eademque oſſi contigua eſt, vel frigus immoderatum occurrens vulneri innatum extinguit calorem, vnde gangrænæ, atque corruptiones, aut ob inſignem cacochymiam ſequitur inflammatio, & corruptio, quæ ſubiectum os malè afficit, & tandem membranas, ac cerebrum ipſum, propterea nullum capitis vulnus ſimpliciter abſque periculo pronunciandum, ſed tantummodo, ſi nihil prætermittatur, quod ad curationem facit, ſeu peractis peragendis. *Nullum capitis vulnus abſque periculo.*

Neque tamen vulneris nomine quamlibet continui ſolutionem intelligo, ſed morboſam tantùm, quæ ſola vulneris nomen meretur: leuiores enim continui ſolutiones caſus potius, ſeu ſymptomata ſunt dicendæ. Vnde Hippocrates non ab re dicebat in principio ſui libelli de capitis vuln. Nullum capitis vulnus leuiter contemni debet, ſæpe enim cutis ſola contuſa ferro, aut aliqua alia re, ſi non diligenter, & cum quadam cautione curetur, veluti ſi ſanguis concretus non expurgetur, aut aliud quiddam negligatur, vlcus incrudeſcens non parum moleſtiæ exhibet, & aliquando etiam febrem inducit, & Medico *Explicatur initium libri de vulneribus capit. Hippocr.*

quidem negotia, ægroto verò pericula non minus affert. Quamuis enim non præſagiendi gratia hæc attulerit Hippocrates, ſed vt eſſent huius opuſculi prooemium, eſſe tamen ad præſagiendum accommodata non eſt negandum. Et ideo exiſtimare hæc non eſſe Hippocratis, quia videlicet male ſtatim à principio præſagiendi modum pertractet, cum nondum de fracturarum cranii differentiis, ac ſignis, egerit, omnino eſt præter rationem. Male quidem fuiſſent collocata, ſi præſagitionem reſpicerent. Verùm cum prooemii locum ad captandam beneuolentiam, attentionem, ac docilitatem obtineant (quippe neceſſarium erat horum vulnerum grauitatem proponere) quod & ea ſatis appoſitè, quin maxima arte præmiſerit Hippocrates iudicandum eſt. Quòd verò contendant aliqui, ea non eſſe Hippocratis neque Hippocrate digna, immo neque gregarii cuiuſpiam Medici, vt quæ veritatem non contineant, eò quòd, dicunt, parua vulnera, & quæ cutem non pertranſeunt, omnino ſunt periculi expertia, nihili faciendum eſt. Si in iis non contineretur veritas, ego quoque non eſſe Hippocratis exiſtimarem. Atqui ſi rectè intelligantur, veriſſima comperientur: per vulnus enim non intelligit Hippocrates quamcumque continui ſolutionem in capite, ſed morboſam tantùm. Deinde non vult Hippocrates omne capitis vulnus ſimpliciter eſſe periculoſum, ſed cum hac conditione, ſi contemnatur, & non tractetur, atque curetur, ſicut oportet. Ex praua enim curatione poſſunt ſuperuenire mala, quæ, ſi vulnus in alia foret parte, vereri non oporteret, id verò propter contentum intra cranium cerebrum cum ſuis inuolucris. Hinc non raro viſa ſunt exigua vulnera in cute capitis necem afferre, ſi enim pus ſupprimatur, exempli gratia, facilè ſubiectas partes corrumpet, & affectio tandem fit communis cùm membranis, & cerebro; quare ob auctam magnitudinem ratione dignitatis partis, & adiunctam magnitudinem ratione facultatis vulnus incrudeſcit, febris accenditur, & alia praua ſymptomata

ſub-

ſubſequuntur, quæ vt dicebat Hippocrates, Medico negotia, ægroto verò pericula afferunt. Sed & alium contemptus modum intellexit Hippocrates, quando videlicet prætermittitur conueniens inquiſitio eorum, quæ poſſunt nobis vulneris quantitatem patefacere, de quibus poſtea pertractat Hippocrates in eo opuſculo: quod quidem neceſſariò ſequitur mala curatio. Sunt enim quidam medicaſtri, qui videntes exiguum vulnus in capite, ſuperfluum exiſtimant, vel forſan verecundantur aliud quærere, quam illud, quod ſenſui patet. Hinc non aliter ipſum procurant, quam ſi eſſet in aliqua ignobili corporis parte, verùm progreſſu temporis horum errorem ſuperuenientia ſymptomata detegunt. Tanti igitur momenti ſunt vulnera capitis, inquit Hippocrates, vt quamuis exiguum ſit vulnus, nunquam tamen ſit contemnendum, ita vt prætermittamus inquiſitionem eorum, quæ quod re vera eſt, oſtendunt, fieri enim poteſt, vt etſi paruum videatur, ſubſit tamen latens aliqua læſio, quæ progreſſu temporis non ſolùm præſtantioribus officiat partibus, verùm & magnitudinem, quæ ratione facultatis æſtimatur, adiungat. Priorem contemptum ſignificauit Hippocrates, quando dixit, veluti ſi ſanguis concretus non expurgetur. Alterum verò, quando ſubiungebat: Vel aliud quiddam negligatur. Hæc itaque cum ſint veriſſima, non eſt, cur alium auctorem faciamus, quam Hippocratem ipſum, quo etiam indigna nemo iudicabat.

Quantumuis igitur exiguum occurrat vulnus in capite, quærantur diligenter, quæ pandunt eius naturam, & quæ latent læſiones, atque ſi & paruum deprehendatur ratione dignitatis, & facultatis, periculi expers dicatur, modò recta inſtituatur curatio. Timenda autem eſt magis perforatio, quam ſectio, quia facilius in penitioribus partibus pus detinetur, & adhuc magis contuſio, quoniam fere ſemper maior in ea eſt læſio, quam appareat, & quæ contuſa ſunt putreſcere conſueuere, vnde niſi debita inſtituatur curatio, vix à putredine, & corruptione præſer-

Periculoſior eſt perforatio quàm ſectio, & contuſio quam perforatio.

ſeruari comperiemus os, & ſubiectas partes, & potiſſimum ſi corpus valdè fuerit cacochymum. Quocirca tanto minus contemnendum dicatur vulnus, quanto minus nota fuerit corporis ſalubritas. Quod ſi ſolius cutis vulnus non eſt prorſus citra periculum, tanto minus ſi vnà læſum ſit perioſtium, vtpote quod oſſi adhæret, & à dura meningeortum ducit; & ideo aliqualis adeſt magnitudo ratione dignitatis, & maior eſt timenda propter connexum illum.

Vulnera in ſincipite periculoſiora.

Propter magnitudinem ratione dignitatis, quæ facilius aduenit uulneribus ſincipitis, quàm occpitis, fit vt magis timenda ſint uulnera in ſincipite. Accidit uerò promptius magnitudo illa propter carnis tenuitatem, & oſſis imbecillitatem, de qua alias dictum eſt. Cerebrum quoque ibi eſt plurimum, atque molliſſimum: orificium autem uulneris uix expurgando puri eſt aptum. Hinc Hip. lib. de uln. cap. tex. 4. de uulneribus ſincipitis ſermonem habens, dicebat: Et lethaliora, & ad curandum, & effugiendam mortem difficiliora ſunt uulnera hac parte, quam alibi in capite: cerebrum enim, ſubiungebat, & citiſſime, & maxime iuxta ſinciput ſentit mala, quæ & in carne, & in oſſe fiunt: ſub tenuiſſimo enim oſſe, ac modica carne cerebrum eſt hac parte, & plurimum cerebrum ſub ſincipite iacet. Nec mihi obiiciat quiſpiam, intellexiſſe Hip. de vulnerib. ſincipitis cum oſſis læſione, nam qua ratione ſi lædatur os in hac parte, periculoſius eſt vulnus, qàm in occipite, ita magis vereri oportet vulnera in parte carnoſa eiuſdem loci, quam occipitis. Vnde non ineptè transferri poteſt Hippocratis dictum ad vulnera partis carnoſæ.

Vulnera temporum periculoſiſſima.

His tamen periculoſiora ſunt vulnera carnoſæ partis temporum propter dignitatem muſculi temporalis, per quem diſſeminantur inſiges neruorum rami, quorum læſio tanto magis eſt timenda, quanto ipſi cerebro ſunt propinquiores. Hinc facile augetur magnitudo ratione dignitatis, contentæ in cerebro, ſequunturque deliria, & conuulſiones immedicabiles. Sed & per eam partem ferun-

runtur vaſa inſignia, venæ ſcilicet, & arteriæ, ex quorum vulneratione immoderatæ contingunt profuſiones ſanguinis, & quæ multoties omnem medici operam eludunt, ideò Hip. lib. de vuln. cap. text. 20. At verò in capitis ſectione, dicebat, reliquæ quidem capitis partes ſecuritatem habent, dum ſecantur; Verùm tempora, & adhuc ſupra tempora venam, quæ per tempora fertur, ſecare non oportet; conuulſio enim corripit ſectum. Non repugnat autem hoc Hipp. qui lib. citato tex. 4 ſtatuit, Lethaliora, & ad curandum, ac effugiendam mortem difficiliora eſſe vulnera hac parte quam alibi in capite; intelligebat enim Hipp. de morte, quæ accidit oſſis vitio, non carnoſæ partis. Si enim ob oſſis vitium mors eueniat, facilius accidit ad ſincipitis vulnera, quam ad temporum, quoniam os in ſincipite eſt imbecillius. At de vulneribus carnoſæ partis alia eſt ratio.

Vulnera ad regionem ſuturarum timenda.

Valdè etiam timenda ſunt vulnera, quæ ſunt ad regionem ſuturarum, non multo enim negotio fit communis affectio cum dura meninge, à qua per ſuturas emittuntur fibræ ad pericranii conſtitutionem, & ligamenta, quibus alligetur cranio. Propterea amplior ibi communicationis via. Non minus fortaſſe periculoſa ſunt vulnera in occipite cum læſione tendinum, quam in temporali muſculo. Sunt enim exquiſitisſimi ſenſus, & neruos recipiunt proximè à cerebro. Proinde facillime in conſenſum trahitur ipſum cerebrum, nec minora ſymptomata ſuperuenire hiſce vulneribus obſeruatum eſt, quam vulnerato temporali muſculo, aliquos vidi intra ſeptimam conuulſos periiſſe.

Oſſe detecto augetur ſuſpicio.

Si detectum os fuerit, ſuſpicio augetur, etſi enim os quatenus tale non ſit pars nobilis, attamen vt tegumentum nobilisſimæ partis, cui facile proprias affectiones competit, & alienas etiam conditiones ſortitur, nobilis. Accedit, quod os exangue eſt, parua vi expultrice præditum, & ab aere ambiente, quem nunquam antea expertum eſt, & à carne male curata, praue afficitur: &

cum tegat membranas, & cerebrum, propinqua erit magnitudo intenſa ratione dignitatis. Ab aere quidem ambiente extinguitur naturalis eius calor, qui valde modicus eſt: à carne verò male curata inflammatur, purulentum fit, & corrumpitur, etſi à telo nullam habeat læſionem. Propterea Hip. lib. toties citato text 22. Cauere autem conuenit, dicebat, vt ne aliquid mali os contrahat ex carne, ſi male curetur: nam & perforato oſſi, & aliàs denudato, ſed ſano, & ſi læſionem aliquam ex telo habeat, & tamen ſanum eſſe putetur, periculum magis imminet, vt ſuppuratum fiat, etiam ſi aliàs non eſſet. Et tex. 23. ſubiungit: Si & caro os ambiens male curetur, & inflammetur, ac conſtringatur (igneſcit enim, & multa flamma impletur) & ſane os ex ambientibus carnibus in ſeipſum, calorem, & flammam, & quæcumque mala in ſeipſa habet caro, trahit, & ex his ita fit ſuppuratum. Itaque quò maior fuerit denudatio, eò magis timendum erit, ſicuti & quanto magis imbecillius fuerit os denudatum.

Oſſis fractura ex ſe lethalis. At ſi præterea os ſit fractum, iam non ex accidente, ſed ex ſe periculoſum eſt vulnus, licet non vt morbus, ſed vt morbifica cauſa, quippe cauſa exiſtens lethalis affectionis in ſubiectis oſſi partibus. Itaque huiuſmodi vulnera talem habent magnitudinem ratione dignitatis partis, vt niſi opportune tollatur, longe maior ſit expectanda, & ea tandem, quæ facultatis ratione æſtimatur, prohiberi non poterit.

Fracturæ totum os penetrantes periculoſiores. In omni tamen fractura non eſt æquale periculum, rima enim, ac ſedes, quæ totam oſſis craſſitiem non peruadunt, minus periculoſæ cenſeri debent aliis, quæ totum os penetrant, vt quæ minorem habent magnitudinem ratione dignitatis, non enim tam ampla eſt via ad membranam, ſicuti quando penetrant ad internam faciem. Hæ igitur maiorem habent hanc vehementiam, & intenſiorem quoque ſibi facilius aſciſcunt, eò quod facilis eſt tranſitus purulentæ materiæ ad ſubiectas

iectas

iectas partes: & plura quoque excrementa ex oſſis nutritione in iis colliguntur. Quod ſi detur aditus, & non egreſſus propter anguſtiam, adhuc maioris momenti eſt hæc magnitudo, quia communicatur noxa, quantum ex ſe eſt incorrigibilis, cum nobiliſſimis partibus.

Et ob hanc rationem ſemper rima eſt periculoſior ſede teli, quia per viam, quam ſibi fecit telum, poteſt egredi materia. Non ſic per rimam, quæ anguſta ſit, per eam enim ſemper percolat purelenta materia ad ſubiectas partes, ibique colligitur, nec poteſt expelli. Vnde & quo tenuior, & exilior eſt rima eo magis timendum eſt, à collecta enim materia ſupra membranam prauam qualitatem ob euentationem prohibitam acquirit, membranamque diſtendit, ac inflammat, hinc praua ſymptomata primùm animalis facultatis, deinde & vitalis. Quod ſi patentes ſint rimæ, minus periculoſæ cenſendæ ſunt, quia facilius extra pellitur materia, ſaltem perſpirat, & hac etiam ratione, quia in hiſce non opus eſt ita caput ferramentis concutere, aut vulnus ambienti diutius exponere. Quod euitari non poſſe in rimis anguſtis inferius oſtendetur. Similiter ſi oſſis portio fuerit detracta, niſi tam ampla ſit, vt ſubiectæ partes naturali tegumento deſtitutæ magnum aliquod detrimentum experiantur, non ita timendum eſt, ſicuti in rimis tenuibus. Optima igitur cum ratione dicebat Hip. lib. de vuln cap. text. 25. Quæcumque verò oſſa intro contuſa cedunt ex ſua ipſorum natura rupta, aut etiam diſſecta valde ampla, talia minus periculoſa ſunt, vbi membrana ſana fuerit. Et quæ pluribus fiſſuris introrupta ſunt, adhuc minus periculoſa ſunt, & nullum ex talibus perforare oportet. Et ſi verò ſedes teli, ac rimæ non penetrent, periculoſæ tamen ſunt & ipſæ, vt ſuperius dicebamus, præſertim autem rima, eo quod ad rimam non probè, vt antea, os nutriatur, & excrementa, atque ichores in ipſa colligantur, maximè verò ſi ad meditullium rima perueniat, cum in eo ſint plurimæ venulæ, quæ diſruptæ ſanguinem fundunt. Sed &

Rima eſt periculoſior ſede teli.

Rima cur periculoſa.

& diſruptæ carunculæ in meditullio exiſtentes excrementa generant. Collecta igitur excrementa, quoniam ab imbecilli oſſis expultrice propelli nequeunt, os inficient, inflammabunt, atque corrumpent: os autem vitiatum proprias affectiones ſubiectis impertit partibus; vt enim dicebat Hipp. lib. citato tex. 4. Cerebrum ſentit mala, quæ & in carne, & in oſſe fiunt. Hinc praua ſymptomata, & mors denique. Quin & ab ipſo vulnere ad rimam excrementa defluunt. Solent & hac ratione periculoſæ valde eſſe rimæ cæcæ quia præ tenuitate ſenſum effugiunt, & propterea latentes Medicos deludunt, & ad extrema ægrotantes deducunt.

Oſſis contuſio valde periculoſa, & qua de cauſa.

Accidit & illud incommodi, quod rimæ in vulnerata parte exiſtenti ſemper adiuncta eſt contuſio, vt ſuperius dictum eſt, quæ & ipſa per ſe non mediocriter periculoſa eſt. Quamuis nonnulli recentiores in contuſione omne abeſſe periculum ſtatuerint, quando citra ſubiectarum partium læſionem accidat. Rem autem ſecus ſe habere & ratio, & experientia demonſtrat: Ratio quidem, quoniam oſſe contuſo conſtipantur eius pori, prohibeturque euentatio & labefactatur natiuus calor vt neceſſarium ſit ex inconcocto alimento ichores prauos ſuboriri, & eleuari halitus, qui, cum eis non pateat exitus, primùm contuſum os inficiunt, inflammant, atque corrumpunt, deinde etiam, quod ſanum erat vſque ad membranam. Hæc autem cum pluribus ligamentis connectantur cum cranio, fieri non poteſt, quin ligamenta, quæ cum emortuo oſſe copulantur, putreſcant, atque ſupra membranam ipſam colligantur ichores praui, qui & propria qualitate, & halitibus, quos emittunt, ipſam meningen male afficiunt, ac inflammant. Prætereà dura meninx, quæ ex contactu ſani oſſis ſolatium percipiebat, nunc oſſe vitiato, ac demortuo tecta moleſtiam neceſſariò perſentit. Cum igitur ex tot cauſis affligatur membrana, natura vt rem moleſtantem fortiùs expellat, cum primis conatibus nihil profecerit, ſpiritum, & ſanguinem in affectum locum

cum exprimit, vt aliàs diffuſius oſtenſum eſt, generaturque inflammatio. Per contuſiones quoque atteruntur nonnunquam carunculæ, ac venulæ in meditullio exiſtentes, inde purulentia, ichores, ac praui halitus, à quibus oſſis corruptio. Quis ergo caſum hunc, niſi ei conſuleretur, à periculo ſemotum diceret? Idem atteſtatur experientia, mors enim colliſiones crebrò ſequitur, quando non eis fuerit conſultum; neque in aliam cauſam referri poteſt, vt ex cadeuerum obſeruatione ſæpiſſimè cognitum eſt. Augetur autem difficultas in colliſione, quòd ſenſus operam eludat, & hinc fit, vt etiam alioqui peritos nonnumquam decipiat. Neque Hip. eam periculo expertem exiſtimauit, non enim perforationem contuſo oſſi adhiberet, quod facit lib. de vuln. cap. Neq. Gal. num. 6. Meth cap. vlt. contuſum os excidit.

Propter maiorem partis dignitatem vulnera cum oſſis læſione ad ſinciput perículoſiora ſunt, quam in quauis alia capitis parte, dempto ſuturarum loco, plurimum enim cerebri continetur in hac parte, atque tenuius, & rarius eſt os ad ſinciput; ideoque faciliùs percolat materia ab extimis ad internas partes, faciliuſque os corrumpitur, & internæ partes participes fiunt externa læſione. Caro quoque tenuiſſima eſt in hac parte, vnde minus protegit os ab externis iniuriis. Neque ſolùm id intelligendum eſt in paritate vulnerum, nam & ſi aliquanto grauiora ſint vulnera in hac parte, quàm in reliquis capitis partibus, nihilominùs magis lethalia ſunt, quam leuiora in aliis partibus, vnde Hip. lib. citato text. 4. Si quis ſimiliter vulneratus ſit, & minus, os hac capitis parte & magis contunditur, & magis intra contuſum cedit, & lethaliora, ac ad curandum, & effugiendam mortem difficiliora ſunt vulnera hac parte, quam alibi in capite. Et quamuis Hip. hic non reſpexerit præſagiendi rationem, ſed tantummodo quæ arguunt oſſis imbecillitatem, patet tamen eadem poſſe non ineptè ad præſagationem trahi. Nec obiiciat quiſpiam, grauitatem vulnerum ad tempo-

Vulnera ſincipitis cum oſſis læſione periculoſiora.

ra propter dignitatem temporalis muſculi, iam enim dictum eſt, Hipp. conferre læſionem oſſis ſincipitis cum læſione oſſis temporum, & occipitis, non cum partis carnoſæ vulneribus.

Vulnera occipitis.

Quia verò minor eſt dignitas oſſis, quod eſt in occipite, & poſt aures, fit, vt vulnera in hac parte ſint minus periculoſa etiam ſi aliquanto ſint grauiora, propter craſſitiem enim, duritiem, & denſitatem os difficiliùs corrumpitur, & non ita promptè per ipſum transfertur purulenta materia ab extimis ad intimas partes, & omninò minus, quam alibi in capite internæ partes externarum affectionem ſentiunt. Hinc Hip. loco citato text. 5. Et plures etiam magis vulnerati mortem effugiunt plerumque ex his, qui poſteriore capitis parte vulnerati ſunt, quam qui anteriore. Medio verò modo diſpoſita ſunt vulnera, quæ ſunt cum læſione oſſis frontis, ac temporum.

Vulnera frontis.

Vulnera cum læſione oſſis ad ſuturas valde periculoſa.

Admodum periculoſæ ſunt fracturæ ad ſuturas exiſtentes, quia locus eſt nobilior, periclitaturque membrana propter ligamentum, quod in ſuturis eſt membranam alligans, & propter fibras, quæ à dura meninge extra feruntur per ſuturas ad pericranii conſtitutionem, quod ſi ſutura ſincipitis fracturam patiatur, adhuc periculoſius eſt vulnus, quia os tenuius eſt, & debilius, atque diuiſum, & copioſiſſimum ſubeſt cerebrum, vnde facilius ſubiectæ partes ſentient mala futuræ. Vnde Hipp. lib. citato tex. 6. Sutura verò in vlcere ſi compareat oſſe denudato, quacunque capitis parte vlcere oborto, debiliſſimus æger eſt ad reſiſtendum vulneri, ac telo, ſi in ipſam ſuturam telum incubuerit, & maximè omnium ſi telum in ſincipite iuxta debiliſſimam capitis partem incuſſum fuerit, & ſuturæ circa vlcus, ſi ita contingat, fuerint, & telum ipſas ſuturas contigerit. Sed & ſuturarum fracturæ eo periculoſiores cenſeri debent, quod difficiliùs prohibetur in illis partibus, quia magnitudo intenſior ratione dignitatis accidat; neque

neque enim in ſuturis fieri poteſt abraſio, aut perforatio, & etiam quoniam ſæpè latet in ſuturarum fractura, quod malum facit, & ideo non longe abeſt vehementia maior dignitatis, & idem eſt de rimis cæcis, & iis, quæ non in parte, quæ ictum recipit, contractæ ſunt, ex quibus apparet, cur dixerit Hipp. 2. prædic. nu. 22. Grauia ſunt & huiuſmodi omnia, os nudum magnum, os infractum, os diffractum. Si verò etiam oſculum vlceris paruum fuerit, fiſſura autem oſſis aliquandiu permanſerit, periculoſius eſt. Hæc autem omnia grauiora fiunt, ſi & iuxta ſuturam ſint: & ex aliis locis ſemper periculoſiores ſummo in capite exiſtunt.

Vulnera membranarum, & cerebri vt periculoſa.

Maxima ſunt, ſi dignitatem ſpectes, vulnera membranarum, & cerebri, ſiue à corpore uulnerante, ſiue ab oſſe introcedente, & ſæpiùs lethalia ſunt, prope enim eſt vehementia ratione facultatis: & quò maiora fuerint ſecundùm ſuam eſſentiam hæc vulnera, eò etiam lethaliora erunt, vnde quæ ad aliquam ventriculorum perueniunt, ineuitabilem mortem inferunt, & potiſſimum, ſi plexus choroides ſimul ſit vulneratus, magnitudo enim ratione dignitatis eſt in ſummo, nec prohiberi poteſt virtutis caſus, vnde Hip. 6. Aph. 18. Veſicam diſſectam habenti, aut cerebrum, lethale eſt, per diſſectionem enim cerebri profundam admodum ſectionem intelligit, & quid mirum, ſi & leuiſſima cerebri cerebri ſectio ſæpiſſimè mortem afferat, qua de cauſa dicebat Hippocrates lib. de Coacis prænot. numer. 3. Moriuntur maximè ex vulneribus ſi quis cerebrum ſauciatus fuerit, & 2. Præd. nu. 19. Vulnera magis lethalia ſunt, quæ in venas craſſas in collo, & in inguinibus infliguntur, deinde quæ in cerebrum, & hepar. & eodem n. 22. Ex capitis vulneribus lethaliſſima ſunt, quæ in cerebrum pertingunt, ſeruantur tamen non pauci, ſi vulnus ſit exiguum, quod ſcriptum reliquit Gal. 6. Aph. cap. 18. pauciſſimi, ſi effatu dignùm. Erit pariter maximum vulnus ratione dignitatis, ſi diſrupta fuerit ali-

qua-

qua venula in ſubſtantia cerebri, vel inter vtramque membranam, vel inter duram membranam, & cranium, præſertim ſi ignoretur locus, & ſub cranio etiam, non in parte vulnerata, ideoque letheliſſima ſunt huiuſmodi vulnera, cum præpediri non poſſit, quin ſuperueniat magnitudo ratione facultatis, accidunt enim putredines, inflammationes, quas ſequuntur deliria, conuulſiones, apoplexiæ, & mors denique.

De introceſſione.

Maximum eſt vulnus ratione dignitatis, in quo os introcedens membranam, & cerebrum comprimit, & ſi rimæ cæcæ fuerint, periculoſius, cum non detur exitus materiæ, quoniam tamen manus Medici poteſt ibi quidem os comprimens eleuare, hic vero exitum parare materiæ contentæ, idcirco aliqualiter minuitur periculum, quod ex ſe vulnus minatur. Vbi verò adeſt rima, & deliteſcit, vt ſolet in ſuturis contingere, vel quando adeſt in parte interna tantùm, non in externa cranii, vel non in parte vulnerata, maximum eſt vulnus ratione dignitatis, vel ſaltem imminet & damnum facultatis, quantam tunc habeat magnitudinem plerumque non cognoſcit Medicus à principio, ſed tantùm vbi ſuperuenerunt ſymptomata, quo in tempora pauca ſpes eſt in Medici manu, eò quòd fere deuicta ſit natura à prauitate.

Fracturæ oſſis in plenilunio magis periculoſæ.

Propter vehementiam dignitatis fracturæ cranii in plenilunio ſunt magis timendæ, eo quod facilius communicetur affectiò ipſi cerebro, vtpote magis cauitatem cranii implente: Et hoc etiam facit, vt periculoſior ſit operatio in oſſe, ſi enim perforandum ſit cranium, faciliùs perforabitur, & lacerabitur membrana, dum magis hæret ipſi cerebro, quod in plenilunio contingit. Et hæc quoad præſagia vulnerum capitis deſumpta ex magnitudine ipſorum, quàm à vi teli ſtatim deferant. Sed quoniam proceſſu temporis, & præexiſtens magnitudo augeri poteſt, & minui, & noua etiam poteſt aduenire, quorum ratione vulnera capitis modò ad bonum, modò

modò ad malum terminantur, idcirco num magnitudo præexiſtens imminatur, an verò augeatur, & noua etiam adueniat, neceſſarium eſt cognoſcere, vt ſimul innoteſcat, num euentus bonus ſperandus ſit, uel malus, & ex quibus hoc, vel illud præſagire oporteat; mali enim euentus ſigna erunt, quæ præexiſtentem vulneris magnitudinem augeri, vel nouam aduenire ſignificant, boni verò, quæ priorem imminui atteſtantur. Ob hoc igitur lethale eſt, ſi obmuteſcentia, obcæcatio, ſurditas, coma, vel lethargus, & caros, atque apoplexia, quæ ab ictu acciderunt, perſeuerent, vel imminuta, aut etiam ſublata redeant, vel non prægreſſa ſuperueniant. Immò plerumque ſunt mortis præludia, maximè verò apoplexia, tanquam ea, quæ læſionem inſignem nobiliſſimæ partis, & vehementiam quoque affectus ratione facultatis ad ſummam perueniſſe, vel mox peruenturam, ſignificant. Sequuntur enim corruptionem, atque putredinem in cerebro, vel membranis ſaltem, quibus tamen cerebrum ipſum conſentit, & naturalis caloris extinctionem; quo fit, vt facultas animalis labefactetur, & cum ea indigeat vitalis, nil mirum, ſi paulò poſt & ipſa ſuccumbat, cuius indicium eſt crebra ſyncope, & pulſus formicans. Animaduertendum tamen quandoque obmuteſcentiam, & ſoporem fieri à principio ex ſola cerebri concuſſione, & pluribus diebus etiam perſeuerare; dein paulatim vulneratos ad priorem ſtatum reuerti: Sed tunc vel non adeſt febris, vel ſi à principio inuaſit, fuit ephemera, & paulatim facta minor non multum poſt vulneratum deſerit. At quando ſymptomata prauam cerebri, vel membranarum affectionem comitantur, febris eſt maxima. Et ſi à principio leuis videatur, in progreſſu tamen augetur. Nonnunquam etiam fit ἀφωνία exolutis in epiglottide, atque laringe modulentibus muſculis citra putredinem, & corruptionem in cerebro, ſed ab ictu diſruptis neruorum ramis, qui à ſexta, & ſeptima coniugatione ad illos feruntur. Taleſque permanent: Et ſi uulnus ſanetur,

Signa lethalia in vulneribus capitis.

vſque ad mortem : Alii ſurdi poſt adeptam ſanitatem in reliquum vitæ remanent, neruis auditus diſruptis. Et ſic de reliquis ſenſibus : Quare exacto iudicio diſtinguendæ ſunt ſymptomatum cauſæ.

Conuulſio, & reſolutio quid ſignificent. Conuulſio, & reſolutio præſertim in oppoſita parte ad extremum ventum eſſe ſignificant, vt quæ vehementem inflammationem ſequuntur membranarum, aut etiam cerebri, aut multam purulentiam in iiſdem partibus, quæ non ſolùm inflammauit, verùm & corrupit, quas attingit, partes, vnde nulla deſideratur vehementia, idcirco Hip. lib. de vuln. cap. & 5. & 6. Epid. pluribus in locis inter poſtrema ſymptomata, quæ vulneratis capite iam morti proximis accidunt, ea connumerat. Raro, ſed aliquando euenit, vt parato per exciſionem oſſis contentæ materiæ exitu, quiſpiam ſeruetur, idem nonnunquam euenit diſſecta membrana, ſub qua materia totius mali cauſa continebatur.

De febre. Febris poſt ſeptimam adueniens, niſi ex accidenti contingat, mala eſt, ac lethalis, ſignum eſt enim intendi magnitudinem, quæ penes dignitatem partis attenditur, vel nouam, eamque maximi momenti accidere, & inſuper, quæ ratione facultis ſpectatur, adiungi, ortum enim habet huiuſmodi febris, vel ex purulenta materia ſupra duram meningem, vel inter vtramque membranam, aut etiam intra cerebrum exiſtente, vel ab inflammatione membranarum atque cerebri, vnde non longe abeſt delirium, & ipſa conuulſio. Quod ſi cum febre fuerit capitis dolor pertinax, vrinaque alba, materiam iter ad caput ſuſcepiſſe ad inflammationem procreandam, non eſt dubitandum.

Dixi autem, niſi ex accidente contingat, quia febris interdum aliam habet cauſam à vulnere. Si enim ſanus febre, exempli gratia, putrida poteſt corripi, & vulneratus : namque propter varia animi accidentia poſſunt exagitari humores, & obſtructiones fieri ex motu craſſorum ſuccorum ad paruas venas, vnde putredines, & febres.

bres. Nonnumquam vulneratus ſtragula proiicit, uel nudus alui deiiciendæ gratia ſurgit, atque propter ambientis frigiditatem ſtipantur pori, hinc febres modò ephemeræ, modò putridæ. Aliquando uulnus irritatur, dolorque infertur, inde febris. Quod quidem ſæpius in praxi obſeruaui.

Memini me curare adoleſcentem naturæ bilioſæ, uulneratum in ſincipite cum ſede teli in oſſe, cumque omnia peracta fuiſſent, quæ ad curationem uulneris, ac præſeruationem erant neceſſaria, poſt ſeptimam neſcio qua de cauſa, coactus fuit uulneratus à paruo, & calido cubiculo ad longe maius, ac frigidius ſe transferre. Poſt unam, uel alteram diem corripuit eum febris cum inſigni rigore, ac bilioſo uomitu. Sed quoniam quæ ad uulnus, & caput uniuerſa bene ſe habeant non à uulnere, ſed ab illa aeris im mutatione ortam hanc febrem iudicaui, eſſeque de tertianarum genere, quarum formam referre mihi uidebatur. Remque ita ſe habere euentus iudicauit, nam acceſſio illa duodecimam horam non tranſegit, copioſoque ſudore terminata eſt altera, deinde tertia inuaſit die priori ſimilis: & quinta ſimiliter, quæ fuit poſtrema acceſſio. *Hiſtoria.*

Aliàs curabam iuuenem in ſincipite vulneratum cum oſſis detectione, & quoniam nulla præceſſerant fracti oſſis indicia, neque abraſio vſque ad medium primæ laminæ vllum genus detexit læſionis, nihil ultra molitus ſum. Atqui paucos poſt dies mihi videbatur detectum os obſcuritatem quandam, & quaſi liuorem præſeferre, vnde timeri poterat aliqua latens læſio. Nihilominus cum pus bonum emanare conſpicerem, nullumque prauum ſymptoma eſſet adiunctum, in eadem curatione perſiſtere non ſum veritus. Potiusque exiſtimabam eiusmodi colorem oſſis illius hominis, qui natura erat fuscus, eſſe naturalem. Decima tamen cum oſſis color mihi minime ſatisfaceret, qui obſcurior, quam anteactis diebus, me iudice appareret, ne amplius hæreret animus, decreui vſque ad *Altera hiſtoria.*

meditulium os abradere, quo fieret conſpicuum, an fortaſſe colliſum os foret, idque mali coloris eſſet in cauſa. Sed vbi ad meditulium peruentum eſt, manifeſtè apparuit, nullam ſubeſſe læſionem, nam à diſruptis carunculis cœpit ſanguis rubens emergere, itaque in priori ſententia perſiſtens, vlterius non eſſe progrediendum duxi, reſque felicem euentum ſortita eſt. Modò febris altera die, quæ erat undecima, cum valido rigore vulneratum adorta eſt, ſed me haud terruit, videbam enim reliqua omnia ſalutem polliceri, ob idque ab agitatione à ſcalpro inducta, dum os abradebatur, ortum habuiſſe pro certo habebam. Quod quidem veriſſimum eſſe compertum eſt, noctu ſiquidem cum ſudore copioſo receſsit febris, ac breui conualuit, de cuiùs ſalute multi non mediocriter timebant.

Indicia febris ab eryſipelate. Interdum etiam eryſipelas externis capitis partibus adueniens, eſt febris cauſa, quo in caſu nullum ſubeſt periculum. Itaque ſi contingat illis diebus, animaduertendum diligenter, num ratione vulneris, & affectionis internæ, an alterius accidentis orta ſit febris. Quando ſuperuenientis eryſipelatis occaſione generatur, præterquam quod febris habet tertianæ figuram, adſunt etiam ſigna eryſipelatis in facie, ac proximis partibus, vt rubicundus, ſeu flammeus tumor, dolor, calor, tenſio, & huiuſmodi, deſunt verò, vel ſi quæ ſuperuenerunt, ſaltem non perſeuerant praua ſymptomata, quæ ſuperuenientis inflammationis, aut putredinis in partibus internis occaſione conſueuerunt obſeruari: hac enim de cauſa oborta febre, ſemper adiunctum eſt aliquod ex illis ſymptomatis, quæ capitis vulnera cum fractura oſſis re male confecta comitari ſolent, quamuis in progreſſu non raro æger delirans proprium ſtatum non enarret, & fere ſemper à principio adeſt aliquis capitis dolor, deinde etiam augetur vnà cum febre, paulò poſt maxillæ, occiput, & ceruix, ac dorſum dolent, ac rigent, deliriumque ſuperuenit, atque conuulſio, & alia ſymptomata, de quibus abundè ſuperius tractatum eſt

Præ-

Præterea hæc febris continua eſt, quamuis tertianas habeat exacerbationes, & rigor, cum quo plerumque adoritur febris, eo quod membranæ, atque neruoſæ partes afficiantur, intermittentem iis, qui non exactè diſtinguunt, polliceatur. Semper verò durities quædam in pulſu percipitur. Si verò quinta, aut ſeptima ſuperuenerit, non ita eam vereri oportet, nam quarta in æſtate; ſeptima in hieme conſueuit febris puris generationem ſubſequi iuxta illud Hip. 2. Aph. 47. Dum pus conficitur, dolores, ac febres magis accidunt, quàm confecto qure; feruet enim quodammodo humor, qui in pus conuertitur, & ex caliditate illa extranea generatur febris, tuncque nullum prauum ſymptoma ipſi adnectitur, non dolor capitis, non delirium, non ſopor, &c. quandoque tamen maximè in ſeptima contingens inflammationem, aut putredinem in membranis, vel cerebro ſubſequitur, quæ tam citò generantur ob magnitudinem vulneris, quoad propriam eſſentiam quoque, & propter ambientis calorem, Cæterum praua ſymptomata adiuncta eius naturam produnt. Hæc etiam febris in dies fit maior, etſi fucatas quaſdam remiſſiones habeat. Hac ergo ratione Hip. 2. Præd. n. 23. dicebat. Incipere febrem in capitis vulnere quarta die, aut ſeptima, aut vndecima, valde lethale eſt, non enim intelligebat de febre, quæ puris generationem ſequitur, ſed quæ prauitatem vulneris, & ſuperuenientem inflammationem, aut putredinem cauſam habet.

Febris ex generatione puris.

Dolor capitis, qui neque ab eryſipelate proueniat, neque iuxta naturam, & conſuetudinem laborantis accidat, malum minatur, ſignificat enim intendi magnitudinem, quæ penes facultatem attenditur, qua ratione fit, vt nouus affectus adueniat, in quo nulla magnitudo deſideratur, nam occaſione ſuccorum ad internas partes confluentium generatur, qui non fluerent, ſi robuſta natura vulnus, vt conuenit, procuraret. Hinc aut præcedit, aut ſubſequitur ipſam febrem. Dolorem ab eryſipelate re-

Præſagia ex capitis dolore.

ſpexit Hip. 2. Præd. n. 23. quando dicebat, conducit autem in doloribus etiam inflammationes ex vlceribus accedere.

De vomitu.

Vomitus bilis circa ſeptimam, vel decimam, vel decimam quartam adueniens eadem ratione malus eſt, vt qui fiat lege conſortii affecto ventriculo, vnde licet arguere vehementem eſſe membranarum, aut cerebri affectionem, cum in conſenſum trahat ventriculum, atque ita vel purulentam materiam colligi, vel membranas, aut cerebrum inflammari exiſtimandum eſt, qua de cauſa rarò ſunt tales vomitus citra capitis dolorem, & propter inflammationem ſequuntur non multo poſt deliria, & conuulſiones: demum, hinc Celſus lib. 8. cap. 4. Mala ſigna ſunt vomitus acris, &c. Qui verò in principio, hoc eſt in vulneratione ipſa, vel paulo poſt contingit, non adeò malum portendit, niſi quatenus magnum vulnus ſignificat dignitatis ratione, & cerebrum paſſum eſſe propter ictum, nondum tamen victoriam ex parte vulneris oſtendit, ſicuti qui incidit poſtea, illa enim eſt cauſa momentanea, hæc verò permanens Et hac ratione dicebat Hip. 2. Præd. n. 22 Si verò quid horum apparuerit, ſecuriſſimum eſt, vt in principio fiat, & modico tempore perduret. Excipiendus tamen eſt vomitus, qui occaſione tertianæ febris proritatur, aut iuxta ægrotantis conſuetudinem ſuperuenit, ſunt enim aliqui adeò ad vomitum procliues, vt quauis vel leui occaſione euomant.

Qui vomitus non ſit periculoſus.

De oſſis colore immutato.

Eadem ratione ſi viuidus oſſis color in liuidum, aut nigrum tranſmutetur, & primis præcipuè diebus malum eſt, fit enim hoc facultate prauis affectibus ſuccumbente, ac vulnus deſerente, quocirca huiuſmodi color inflammationis, & corruptionis comes eſt, aut præludium, licetque nullum aliud prauum ſymptoma appareat, ſuſpicari tamen malum oportet. Vidi nonnunquam circa ſeptimam oſſis colorem immutari, & vſque ad decimam ſeptimam bene ſe habuiſſe vulneratos, dein repente oborta febre vigeſima quarta mortuos. Aliis ſerius, aliis citius oſſis co-

lo-

lorem peruerti obſeruaui, & ferè omnes perierunt, præſertim quibus poſterius os mutatum eſt: namque prioribus diebus immutato adhibita diligentia multi ſeruantur. In pueris tamen à principio; & in progreſſu etiam os nigricare citra periculum pluries obſeruaui. Facile ſiquidem occurſu ambientis extima oſſis ſuperficies in pueris afficitur. Oſſi perforato ſi liuor, aut nigrities ſuperueniat, modò membrana bene ſe habeat, ſolet eſſe citra periculum. Febris rem declarabit.

Delirium quid ſignificet.

Delirium perſeuerans, non autem ex vaporibus in febre tertiana ad cerebrum elatis, aut eryſipelatis occaſione genitum, nullam deſiderari vehementiam ſignificat, vtpote inflammationem membranarum, aut cerebri, vel purulentæ materiæ collectionem, conſequens itaque conuulſionem expectare oportet.

De puſtulis linguæ.

Si lingua puſtulis extuberet in vulneris progreſſu, valde lethale eſt, ſignum eſt enim non ſolùm auctam eſſe magnitudinem ratione dignitatis, ſed facultatem quoque ſuccumbere. Etenim tales puſtulæ ex deflexu generantur acris ſaniei in linguam per palati foramen à cerebro transfuſæ. Quæ nonnunquam primam cauſam agnoſcit oſſis purulentiam, dum ſubiectis partibus communicatur. Interdum etiam acris hæc ſanies ex gangræna, & ſphacelo cerebri prouenit. Quocirca apparentibus hiſce puſtulis fere actum eſt de vulnerato. Tantum enim malum pars præcipua diu ferre non poteſt. Hinc Hip. 7. Aph. 50. Quibus cerebrum ſphacelatum eſt, in tribus diebus pereunt, ſi verò hos effugerint, ſalui fiunt. Signum eſt enim, ſi natura toto hoc tempore grauiſſimum illum affectum ſuſtineat, nec ſit impar, aduerſus tantam prauitatem præualere, & ab eadem vitium corrigi. Vnde Gal. in com. illius Aph. Et quidem propter quid velox ſit in ipſo mors, manifeſtum, cum & paſſio grauiſſima ſit, & pars principaliſſima. Quòd ſi ægri mors in tribus primis diebus non anticipauerit, ſed ad diem quartum peruenerit, ſperandum eſt morbum declinare, & vires eſſe fortes,

ita

ita quòd ipſum ſuperent. Per ſphacelum autem, vt ibidem notat Gal. intelligere oportet non verum ſphacelum, qui eſt corruptio ſubſtantiæ partis, ſeu eiuſdem interitus ob natiui caloris extinctionem, ex tali enim affectu cerebri non contingit quempiam ſanari, ſed gangrænam, hoc eſt, viam ad corruptionem, ideò Gal. dicebat: Si enim ſphacelus eſt corruptio ſubſtantiæ cuiuſcunque partis, quæ ſphacelari dicitur, non contingit hunc, qui ita ægrotet, perſanari. Intelligenda eſt igitur inceptio iſtius affectus, via nempe ad corruptionem. Haſce ergo puſtulas in lingua meritò poſuit Hip. lib. de vuln. cap. inter ſymptomata, quæ poſtremo adueniunt, & parum ante mortem. Cum verò iam ſuppuratum fuerit, dicebat, in lingua puſtulæ oriuntur, & deinceps æger moritur, &c.

De carne ab oſſe exorta.

Si caro exorta ab oſſe circa octauam, vel nonam, & etiam deinceps, mali punici inſtar, repente euaneſcat, aut nigra, vel liuida fiat, malum, vt pote magnitudinem intenſam affectus, non ſolum dignitatis partis ratione, ſed & facultatis quoque ſignificans. Id enim accidit, pure ſub oſſe retento, aut penitioribus partibus inflammatis, & ſuccumbente facultate.

De colore, & diſpoſitione vulneris.

Prauus color vulneris, vt pallidus, vel ſubflauus, & carnium lotarum ſimilis aut liuidus, ſi præſertim febris poſt ſeptimam acceſſerit, nec non & ariditas, ſeu tabes, ac ſiccitas vulneris, vt carnis ſalitæ ſimilitudinem gerat, veluti monuit Hip. lib. de vuln. cap. ſanieſque tenuis, aut nimis craſſa, & praui coloris, aut liuida, aut atra, fœtensque, mala ſunt, vt quæ facultatem deficere ſignificant; fiunt enim, quia naturalis languet calor, non conficit, quod pro alimento partis tranſmittitur, aut nec alimentum attrahit, præualet autem extraneus, & proinde etiam inflammationem, vel corruptionem arguunt, aut iam factam, aut mox futuram. Aliquando tamen vulnus non eſt adeò probi coloris, & paucam ſaniem emittit, quia os ſit abſceſſurum, ſed tunc neque ſiccum vulnus dixeris, neque etiam valde pallidum, verum & aliquid rubo-

ruboris obtinet, neque aliud prauum ſymptoma adiunctum eſt. Tale autem redditur vulnus, quoniam extima oſſis ſuperficies eſt demortua, ob idque pars vulnerata non eo naturali calore prædita eſt, vt poſſit alimentum trahere, atque conficere, & excrementa expellere, ſicuti quando os ſanum eſt, ac ſquama receſſit; Siquidem partes proximæ mutuam ſibi opem ferunt proprio calore. At in principio, tempore videlicet generationis puris, parum, aut nihil emanare à vulnere, valde malum eſt, præſertim ſi vulnus ſit contuſum.

Liuor, & denigratio duræ matris, quando intra quartam non remoueatur, grauiſſimum affectum etiam ratione facultatis ſignificat, corruptionem videlicet, ac ſphacelum membranarum, & cerebri, vnde prorſus eſt lethalis, hinc Celſus lib. 8. cap. 4. Mala ſigna ſunt membrana nigra, vel liuida, vel aliter corrupti coloris. Et Auic. 4. 4 tract. 3. cap. 1. Quod ſi accidit in ſiphac nigredo ex ſeipſo, & peruenit vſque ad profundum, præcipuè cum ſignis aliis malis, oportet, vt deſperes de ſalute huius infirmi, quoniam eſt ſignificatio conſumptionis caliditatis innatæ, & deſtructionis eius. Immobilitas quoque ipſius eandem ob cauſam mala eſt, vt animaduertit Celſus eodem loco, niſi propter uirium imbecillitatem ex ſuperflua ſanguinis euacuatione, ac tenuiſſimo uictu ſit immobilis, aliàs membranarum tenſionem, atque compreſſionem inflammationis ratione, uel facultatis proſtrationem cauſam habet. Non enim de illa immobilitate loquimur, quæ ob oſſis depreſſionem accidit. Quippe ſi hac de cauſa motum amittat, eundem eleuato oſſe recuperat. *De ſtatu duræ meningis.*

Vbi uerò è conuerſo etiamſi lethale ſit uulnus, ab ipſo bonum pus emanare conſpexerimus, album uidelicet, leue, & æquale, & minimè fœtidum, membrana mobilis eſt, minimè tenſa, & boni coloris, vt dicebat Celſus, atque in diebus, quibus ſuperuenire ſolent inflammationes, nullum aduenire prauum ſymptoma, aut febrem, *Signa ſalutis.*

febrem, immò potius quæ aderant, recedere, bene ſperare licet, vnde Hip. 2. Præd. n. 22. Optimum eſt, neque febrire eum, qui in capite vlcus habet, neque ſanguinem inſuper ipſi erupiſſe, neque ſimul vllum aliquem dolorem acceſſiſſe. Verùm tamen non eſt pronuntianda certa ſalus, licet enim decima quarta communiter ſit terminus inflammationis, & morborum acutorum, donec tamen pertranſeat dies quadrageſima, res non eſt in tuto, vt crebra experientia demonſtrauit, quandoque enim cæca rimula in oſſe exiſtens, aut occulta contuſio, tardè admodum eſt in cauſa corruptionis oſſis, tardeque defert affectionem ad ſubiectam membranam: quandoque & ob aliquod accidens aliqua puris portio concluditur in diſſecta membrana, aut cerebro, quæ etiamſi veluti guttula ſit, paulatim tamen in continentes agit partes, & progreſſu temporis corrumpit, immò paulatim augetur, tum quia ab eodem loco, ex quo ipſa prodiit, aliquid continuò reſudat, tum etiam quia natura rem moleſtantem ſentiens, atque in ea expellenda omnem conatum adhibens, eò conſueuit ſpiritum vnà cum ſanguine exprimere; non mirum igitur, ſi quandoque pereant, qui tuti eſſe videbantur: immò aliqui volunt, vbi præſertim detecta eſt membrana, ægrum extra aleam non eſſe ante centeſimam. Sed quoniam rariſſimè contingit, vt quis poſt quadrageſimam periclitetur, neque alia de cauſa, quàm ob prauam victus rationem, vel aliquam cauſam fortuitam, quæ faciat, vt ad partem vulneratam, quæ à vulnere non modicam imbecillitatem contraxit, humores confluant, & generetur inflammatio, & putredo, vel refrigerando debilem adhuc partis calorem obruat, poſſumus pronunciare certam ſalutem, ſi tamen ægrotantes per longum temporis ſpatium idoneam ſeruent victus rationem, & iniurias externas deuitent, ne occaſione imbecillitatis partis aliquod accedat incommodi. Itaque principium ſpei eſt in emanatione boni puris intra ſeptimam, & quò citius emanat, eò melius

Ante diem quadrageſimam res non eſt in tuto.

lius cenſendum eſt, ſed confirmatur in decima quarta, vbi per totum id tempus, nec febris, nec aliud ſymptoma acceſſerit. Sed in quadrageſima res eſt in tuto. Ratio pendet ex generali methodo ſuperius tradita, bonum ſiquidem pus emanare eſt ſignum roboris naturalis caloris: nullum ſymptoma intra decimam quartam ſuperuenire, ſignificat naturam in ſuo robore perſiſtere, atque ita non ſolùm nouam vehementiam non addi, aut præexiſtentem maiorem fieri, verum potius imminui præexiſtentem magnitudinem, & naturam dominari, cuius dominium, & victoria in quadrageſimo certa redditur vt plurimùm: vt plurimùm dico, poſteaquam & poſt quadrageſimam praua ſymptomata contingunt, & mortes, verùm id niſi culpa vel Medici, vel ægrotantis accidere vix poteſt; Medici quidem, qui occaſionem præbuerit, vt ſenſim os ſupperet, & corrumpatur, & nimis ægro indulſerit in adminiſtrando, & præſcribendo opportuno victu; ægroti, qui in victus ratione deliquerit, cum enim occaſi odetur fluxioni, & pars vulnerata, & ſi cicatrice obducta, imbecilla remanſerit, præſertim ſi detecta erat membrana, & magis etiam ſi cerebrum, fluxio in imbecilliorem partem decumbens, inflammationem membranarum, & cerebri concitat, vnde praua ſymptomata, & mors. Quare in præſagiendo cautus ſit Medicus, vt quando bonum euentum pronuntiat, hanc conditionem exprimat, ſi quæ fieri & ſeruari oportet, fiant, atque ſeruentur.

Maximum verò ſecuritatis ſignum eſt, quando incipit ab oſſe exciſo, vel membrana caro increſcere, ſiquidem hoc non fieret, niſi robuſta facultas aduerſa omnia ſuperaret. Nec vllum vidi, qui cum hoc ſigno interierit, niſi ob delicta ideo Celſus lib. 8. cap. 4. Vbi bene res cedit, dicebat, incipit ab ipſa membrana, vel ſi os eo loco duplex eſt, inde quoque caro increſcere. Vbi etiam oſſe perforato, atque detecta membrana intra ſeptimam febris non ſuperuenit, vel præexiſtens fit minor, & à membrana ad foramen materia ſub oſſe contenta pellitur, ſalus *Signum maximum ſecuritatis.*

plerumque ſequitur eandem ob cauſam, niſi committatur erratum. Caro à meditullio ſuccreſcens oſſe minimè perforato, bonum quidem eſt ſignum, ſed non certum ſalutis indicium, poteſt enim alibi latere mortis cauſa, vt ſæpiùs obſeruatum eſt, quòd vbi accidit poſt exortum ſymptomatum liueſcit, ac putreſcit caro illa.

Signa communia. Vt verò longe ante, & à principio ſtatim præſagire poſſis, & quid ſperandum de vulnerato cognoſcere, communia quoque conſideranda ſunt, videlicet natura vulnerati, tum ſecundùm totum, tum ſecundùm partem, ætas, tempus anni, regio, conſtitutio præſens, & præterita temporis, & anteacta victus ratio, etenim quod ad naturam attinet, qui ſalubriter degunt, facilius vulnera euadunt, cacochymi verò faciliùs pereunt; faciliùs enim in iſtis accidunt inflammationes, & corruptiones, eoque magis, ſi caput ſit ſui natura imbecillum, excrementoſum, doloribus, & deſtillationibus obnoxium, ſiquidem à vulnere debilius redditum facillimè admittit, quod ab aliis partibus prompte tanquam ad imbecilliorem partem, ad ipſum tranſmittitur. Quod verò ad ætatem, facilius euadunt pueri propter caloris natiui robur, difficillimè ſenes ob caloris natiui inopiam; vnde pueri fracturas magnas ſuſtinent, & ſenes ex paruis pereunt. Tempus verò anni conſiderandum, & omninò ambientis qualitas, nam per frigora imminent oſſis corruptiones, & mortificationes; per æſtum vero faciliùs concitantur inflammationes, à caliditate enim ambientis attenuatur materia, & fluxilis redditur, præterquàm quod per æſtum calidi, & biliosi ſucci plurimum generantur, qui facilè ad partem vulneratam confluunt. Regio, quoniam ſunt quædam peculiares regiones, & vrbes, in quibus vulnera capitis ſunt maximè lethalia, vt Florentia, Neapolis, aliæ vero ſunt, in quibus facilè euadunt capite vulnerati, vt Roma, cuius quidem cauſa referenda in aeris tenuitatem, quæ facillimè permeans ad intima vulneris, calorem naturalem labefactat. Conſtitutio, quoniam ſicuti ſunt

quædam aeris conſtitutiones,quæ lethalium morborum ſunt feraces, vt conſtitutiones calidæ, & humidæ diu perſeuerantes, præſertim & conſtitutiones inæquales ſecundum calorem, & frigus, ita veriſimile eſt vulneratos per tales conſtitutiones facilius perimi, cum ſani exiſtentes non ſint tuti. Anteacta victus ratio, quoniam oſtendit, num cacochymum ſit corpus, nec ne, & prauis morbis obnoxium.

Ad hæc omnia igitur reſpiciat oportet, qui recta præſagia vult inſtituere in capitis vulneribus, & hæc habeatur tanquam vniuerſalis regula, quando detectum eſt os, vulnere ex adverſo, non ex obliquo inflicto, non eſt temerè pronuntianda ſalus, quia talis poteſt eſſe læſio, vel in cranio, vel in ſubiectis partibus, quæ etiam peritum Medicum lateat; multo verò minus abſque periculo pronuntiandum, quando aliquod ſymptoma ſimul acceſſerit, vt caſus, obcæcatio, vertigo, vomitus, &c. *Summa præſagitionis in vulneribus capitis.*

Tempus, quo futura eſt ſanitas, aut mors, ex iis, quæ in 1. lib. de vulnerum præſagiis in vniuerſali dicta ſunt, ſatis perſpectum eſſe poteſt; quare, ne inutiliter ea repetere videamur, hic præſagiendi finem faciemus, illud tamen admonentes, quod attinet ad futurum interitum, cum capitis vulnera mortem afferant, quia ſuperueniat morbus acutiſſimus, puta inflammatio, corruptio, & huiuſmodi, quem praua ſymptomata declarant, tempus interitus venari non eſſe difficile ab eo tempore, quo incipiunt ſe praua ſymptomata prodere, cum enim tunc temporis ſit venientis affectus principium, qui more acutiſſimorum morborum interficit, mors circa ſeptimam vt plurimum eſt expectanda. Pauci ad vndecimam perueniunt. Rariſſimum eſt, vt ad decimam quartam, ſumpto ſcilicet computationis principio ab apparitione prauorum ſymptomatum, quiſpiam perueniat. Hoc in dies experientia comprobat. Famulæ in Omilo, vt videre eſt 5. Epid. *Tempus ſalutis, aut mortis.*

8. rigor, & febris ſuperuenit, & decima quarta mortua eſt. Filio Metaphrontis ab Hip. relato 4. Epid. 12. febris ſuperuenit, & circa vigeſimam tertiam mortuus eſt. Legimus etiam 7. Epid. filio Theodori febrem acceſſiſſe decima die, qui vigeſima tertia obiit. Nullum, qui vlterius vixerit, experientia nouimus. Multum tamen differt curatio à curatione, & tempus à tempore, ætas ab ætate, & natura à natura, & affectus ab affectu; tanta eſt enim aliquando ſæuitia ſuperuenientis affectus, vt vna, vel altera die mortem inferat. Hinc, qui lapide percuſſus eſt à Macedone ſupra tempus dextrum, habemus 7. Epid. tertia die voce fuiſſe deſtitutum, & anxium, & quinta mortuum eſſe. Et quia quo citius ſuperuenit prauus affectus, eo etiam eſt vehementior, cauſas enim habet longè maiores; propterea quo citius ſuperuenerint praua ſymptomata, mors eſt magis propinqua, ſi tamen cætera ſint paria.

Non eſt autem prætermittenda conſideratio affecti loci, nam, vt dicebat Hip. lib. de vuln. cap. citius pereunt vulnerati in ſincipite, quam in alia quauis capitis parte, modo oſſis vitio mors accidat; hoc autem propter tenuitatem, mollitiem, & raritatem oſſis in illa parte, quæ efficit, vt ad partes internas citius deferatur affectio: tardius verò vulnerati in occipite propter oſſis craſſitiem, denſitatemque ac duritiem. Reliqua petantur ab vniuerſalibus, ex quibus etiam habebitur, qua ratione præuideri poſſint futuræ permutationes tam ad bonum, quàm ad malum.

CAPVT XXIV.

Cur vulnerato capite ſequatur oppoſitæ partis conuulſio, aut reſolutio.

INter ea, quæ in capitis vulneribus accidunt admiratione digna, merito collocatur conuulſio, atque reſolutio

lutio partis oppoſitæ. Admodum enim captu difficile eſt, quid fiat, vt dextra capitis parte vulnerata, ſiniſtræ potius capitis partis, quàm dextræ ſequatur conuulſio, vel reſolutio, veluti ſuperius dicebamus, tractantes indicia futuri mali euentus, immò videtur omnes rationis limites excedere. Cuius tamen rei veritatem primus omnium propoſuit Hip. vt ex pluribus locis apertè colligitur. Libro enim de vuln. cap. ſigna proximæ mortis ex cranii fractura malè intellecta, atque tractata referens, dicebat: Cum verò iam ſuppuratum fuerit, in lingua puſtulæ oriuntur, & deſipiens æger moritur. Et conuulſio pleroſque corripit in altera capitis parte, ſiquidem in ſiniſtra parte capitis vlcus habeat, in dextra capitis parte conuulſio corripit. Non poterat clarius id nobis indicare Hippoc. Illud idem profeſſus eſt 7. Epid. cum enim propoſuiſſet caſum Phaniæ, & Eugetæ filii capite vulnerati, ſubiungebat: Contingit autem talibus etiam vomitus accidere, & ad finem conuulſiones, & vt clangoroſam vocem edant, ac impotentes fiant, & ſi in dextris fuerit vulnus, in ſiniſtra parte, ſi verò in ſiniſtris, in dextra. Et 2. de Coacis prænot. vbi hæc habentur. Quibuſcunque tempora præciduntur, conuulſio accidit à diuerſo partis præciſæ. Et 5. Epid. idem confirmauit hiſtoria famulæ in Omilo, & Autonomi; famulæ enim illius manus ſiniſtra fuit conuulſa, cum in dextra capitis parte vulnus receпiſſet. Autonomi verò conuulſæ ſunt ambæ manus, quia in medio ſincipitis vlcus habebat. Nos quoque ſæpius hoc idem obſeruauimus: quamuis neque ſemper ita res ſe habeat, nam & experientia cognouimus interdum etiam eandem partem conuelli, aut reſolui. Vt prorſus tanquam verum accipiendum ſit ex vulnere in capite, quando conuulſio, aut reſolutio accidit, modò eandem, modò oppoſitam, modò etiam vtramque conuelli, aut reſolui. Et huius varii euentus inquirenda eſt cauſa.

Ardua

Opinio Caſſii, & Arethei. Ardua ſanè eſt hæc difficultas, in qua enodanda viri doctiſſimi plurimum elaborarunt, immò nonnullos adduxit ad fingenda commenta, quibus ſeruarent hæc epiphenomena, vt videre eſt de Caſſio, & Aretheo, qui finxerunt neruos à ſpinali medulla ortum ducentes non recta ferri ad ſuas partes, ſed in ipſo principio ad modum crucis ſeſe interſecare, vt, qui in dextra parte oriuntur, ad ſiniſtram ferantur, & qui à ſiniſtra in dextram. Quibus ſic ſtantibus non difficile erat ſoluere primam difficultatem; namque ex putredine, vel inflammatione, exempli gratia, dextræ partis principium neruorum ſimul afficiebatur ad ſiniſtram tendentium, cum in ipſa dextra orirentur, atque ita oppoſita pars conuellebatur. *Reiicitur.* Sed quoniam fundamentum ipſorum ſenſui ipſi contradicit, cum per Anatomen conſtet, fibras neruorum recta ad inferiores partes tendere, dextras ſcilicet ad dextras, ſiniſtras ad ſiniſtras, non eſt, quod pluribus conuellamus hanc poſitionem, quæ etiam, licet videatur ſatisfacere primæ quæſtioni, reliquas tamen non minus inuolutas relinquit. Quod quidem attinet ad conuulſionem alterius muſculi temporalis, non eſt difficile rationem inuenire, ea etenim eſt natura muſculorum, qui congeneres dicuntur, vt vnius reſolutio, ſeu ſectio, conuulſionem faciat alterius, non tamen veram conuulſionem, ſed accidentariam, ex accidenti enim, non quia malè afficiatur, colligitur, & contrahitur muſculus non diſſectus, quia videlicet deeſt muſculus, qui contra nitebatur. Quod ſi vera ſequeretur conuulſio in vulnere temporalis muſculi eandem legem ſubiret, quàm illæ, quæ ad vulnera aliarum capitis partium ſequuntur.

Aliorum opinio. Alii voluerunt, idcircò euenire oppoſitæ partis conuulſionem, quoniam illuc migrat materia tranſmiſſa, & propagata, aut expreſſa, vnde non habet exitum, & proptereà vel conuulſionem. vel reſolutionem excitat illius partis. Non conuellitur autem vulnerata, quoniam in hac parte materia non colligitur, ſed euacuatur per foramen

men oſſis terebra diſſecti: quare & conuulſionis cauſa tollitur. Sed hæc ratio non videtur omninò difficultatem explicare, poſteaquam, & experientia comprobatum eſt, oppoſitam partem, conuelli, aut reſolui illæſa vulnerata, etiamſi non fuerit os terebratum, neque materia alium habuerit exitum in eadem parte. Præterea neque videtur ad mentem Hippoc. hæc reſponſio, nam lib. de vuln. cap. conuulſionem oppoſitæ partis inter illa enumerat, quæ vulnera capitis ſequuntur, quia prætermiſſa fuerit terebratio, cum tamen fuiſſet maximè neceſſaria, dicebat enim Hipp. Cum quis os fractum, aut ruptum, aut contuſum, aut quocunque modo fractum intelligens, per errorem deliquerit, & neque raſerit, neque perforauerit, veluti os non opus habeat, & veluti os ſanum exiſtat, ante decimam quartam diem febris corripit, &c. conſequenter verò alia ſymptomata recenſens, conuulſionis oppoſitæ partis, nec non & reſolutionis meminit. Non igitur dicenda eſt ideò conuelli pars oppoſita, non autem vulnerata, quia prouiſio adhibeatur vulneratæ, non autem oppoſitæ. *Reiicitur.*

Alii voluerunt, ideò conuelli partem oppoſitam, quia vulneratus ſupra ſanam partem ſolet decumbere, quo fit, vt materia exiſtens in vulnerata ob ſitum in oppoſitam decidat. Sed neque ſolutio hæc videtur ſatisfacere, cauſa enim huius affectus erit accidentaria, & ita affectus erit accidentarius, neque enim ſemper decumbit æger ſupra partem ſanam, immò conſueuimus ipſum hortari, vt ſupra vulneratam degat, quò facilius expurgetur vulnus: & nihilominus accidit oppoſitæ conuulſio. *Alia opinio* *Reiicitur.*

Alii voluerunt, ideò conuelli partem oppoſitam, quia ſana pars exſiccatur, & inanitur, ac ſpiritibus orbatur, inde enim conuulſio ex ſiccitate ſubſequitur, aut reſolutio propter defectum ſpirituum naturalium, & ita etiam influxus qualitatis animalis ad partes è directo ſanæ parti reſpondentes deficit, cauſa autem huius inanitionis partis ſanæ dicunt eſſe vulnus ipſum, etenim ratione doloris fit *Alia opinio.*

attractio ſuccorum à ſana parte ad vulneratam, & natura ipſa, vt opem ferat vulneratæ parti, atque rem moleſtantem facilius expellat, ſanguinem, & ſpiritus in ſana parte exiſtentes ad vulneratam tranſmittit, atque ita ſana pars inanitur. Forſan hæc ſolutio conuulſionis oppoſitæ partis rationem redderet, non tamen declarat, cur neque conuellatur, neque reſoluatur pars vulnerata, quod tamen fieri maximè deberet, cum tot ſucci ad ipſam confluant. Prætereà reſolutio partis oppoſitæ ſemper eſſet vniuerſalis, quoniam principium afficitur, & tamen ſæpius accidit particularis reſolutio, vt manus, pedis, &c.

Improbatur.

Videamus igitur quidnam probabiliter in hac re dici poſſit. In rebus enim admodum reconditis ſatis eſt, quod probabile eſt, dixiſſe. Iam conſtitutum eſt, modò conuelli, modò reſoluti oppoſitam partem, illæſa vulnerata, modo vtramque conuelli, & reſolui, modo reſolui quæ vulnerata eſt, conuelli autem oppoſitam, & è conuerſo. Quærere igitur, cur oppoſita conuellatur, vel reſoluatur, illæſa vulnerata, nihil aliud eſt, quàm inquirere, cur conuulſionis, vel reſolutionis cauſa in oppoſita reperiatur, non autem vulnerata. Non enim hæc in oppoſita fierent, niſi in eadem ipſorum cauſa contineretur. Supponit igitur quæſtio cauſam conuulſionis, vel reſolutionis eſſe in oppoſita, non autem in vulnerata parte. Quare ſi inuenerimus, quinam fieri hoc poſſit, quæſtioni eris ſatisfactum. Pariter quærere, cur vtraque pars conuellatur, vel reſoluatur, nihil aliud eſt, quàm quærere, cur conuulſionis, vel reſolutionis cauſa in vtraque parte contineatur. Similiter quærere, cur oppoſita conuellatur, & vulnerata reſoluatur, vel è conuerſo, erit quærere, cur hic reſolutionis ſit cauſa, ibi vero conuulſionis, aut è conuerſa. A primi igitur explicatione initium ſumamus.

Cauſa conuulſionis, vel reſolutionis oppoſitæ partis.

Triplici ratione fieri hoc poſſe comperio. Prima quidem, quia ictus vi in contraria parte contracta fuerit mala affectio, eorum affectuum cauſa. Secunda, quia fluxio in oppoſitam partem irruerit, non in vulneratam. Tertia,

tia, quia vi inflammationis, quæ ſuperuenit in oppoſita parte colliquata pituita ad neruorum originem expellatur, quod in affecta non accidit. Quod ictus vi malè affici poſſit pars contraria, experientia comprobatur, interdum enim in eadem diſrumpitur venula, interdum etiam ipſum cranium, quo fit, vt in ea parte neceſſàrio colligatur materia, quæ ſuppurans inflammationem efficiet illius partis vnde conuulſio, aut delata ad principium neruorum reſolutionis, aut conuulſionis erit in cauſa, prout vel in medullari ſubſtantia fuerit imbibita, aut inter tunicas fuerit elapſa. Scimus enim à materia inter vnam, & alteram tunicam medullarem nerui ſubſtantiam ambientis collecta, neruorum diſtenſionem fieri, in medullari vero ſubſtantia imbibita, per quam defertur ſenſitiua, atque motiua qualitas, reſolutionem, dum obſtruendo irradiationem prohibet. Magis autem ad tunicas fertur materia, quando intra craſſam, & tenuem meningem detinetur, ab his enim duæ membranæ neruos ambientes prodeunt. Magis autem fertur ad medullarem ſubſtantiam, quando in ipſa cerebri ſubſtantia, puta in plexu choroide venula frangitur. Lata enim materia per quartum ſinum ad ſpinalis medullæ principium neceſſàrio medullarem ſubſtantiam malè afficiet: non autem neceſſarium eſt, vt in tota ſpinalis medullæ medietate impingatur materia. His igitur in caſibus ſi contingat haud graue eſſe vulnus, conuelletur, aut reſoluetur oppoſita, illæſa, quæ vulnerata eſt.

Quod vero irruere poſſit fluxio in oppoſitam, & non in vulneratam, experientia teſtatur, & quod in aliis accidit partibus, rationi conſonum eſt, & in capite poſſe fieri. At obſeruamus non raro, quando res male cedit, vulnerato, e. g. brachio dextro, aut humero, aut femore, in oppoſito fieri inflammationes, abſceſſus, & corruptiones. Quid ergo prohibet, ne idem fiat in capite quando natura oneri ſuccumbit, perperam operatur, & ad quodlibet obuium materiam, qua opprimitur, tranſmittit, & ad

oppoſitam, & ad viſcera ipſa iuxta illud Hip. 5. Aph. 66. Si in vulneribus fortibus, & prauis tumor non appreat, ingens malum. Hoc etiam fieri poteſt, quia facultas, quæ vulneratam partem regebat, peſſimè ſit diſpoſita, & ferè perierit, cuius cauſa ceſſat dolor, & ſenſus, neque ſit alimenti attractio, quare tabeſcit, & quod ad ipſam tranſmittitur, non recipitur, non receptum autem in contrariam partem propellitur, tanquam maximè ad recipiendum accommodatam: quod enim ab affecta parte non recipitur, neceſſarium eſt, vt vel retrocedat, vel in oppoſitam feratur, promptius autem fertur in oppoſitam, inde praua ſymptomata pro fluentis materiæ ratione, & loci, in quo recipitur; vulnus verò ſiccum, & ſalitæ carnis referens ſpeciem conſpicitur.

Quod etiam colliquari poſſit pituitoſa materia in oppoſita cerebri parte exiſtens, & expelli ad neruorum originem, in vulnerata verò nequaquam, non eſt difficile oſtendere; ſi enim pars vulnerata inflammetur, poteſt etiam diffundi in oppoſitam inflammatio, vel ſaltem phlegoſis quædam communicari, itaque hoc præternaturali calore fundetur pituita, & quæ in oppoſita parte continetur, a facultate robuſta illius partis ad neruorum principium, ad quod promptam habet viam, tranſmittitur. Quæ verò in vulnerata ad vulneris locum, tanquam imbecilliorem partem detruditur, aut ſi facultas iam ſuccubuerit, neque omninò expellitur. Quare conuelletur, aut reſoluetur oppoſita, illæſa vulnerata. Conuellitur etiam oppoſita, illæſa vulnerata, quando à purulenta colluuie in vulnerata parte exiſtente ad oppoſitam feruntur praui, & venenati vapores, qui neruorum principium vellicent, & malè afficiant. Cum enim vulneratæ partis facultas ſuccubuerit, & ſic veluti demortua, quæ infeſtant, non ſentit, vnde non accidit conuulſio, neque reſolutio, cum aliqua etiam fiat irradiatio.

Cur vtraque pars conuellatur, aut reſoluatur.

Vtramque verò partem poſſe conuelli, aut reſolui non eſt difficile oſtendere, ſcimus enim vbi inflammatio principi-

cipium attigerit, totum conuelli, & ideo quamuis in parte aliqua cæperit conuulſio, nihilominùs communicata inflammatione ipſi principio, conuulſio euadit vniuerſalis. Pariter ob materiæ copiam ad neruorum principium delatam, à qua pars vtraque ſpinalis medullæ afficiatur, vniuerſalis conuulſio fieri poteſt. Quod vero ad reſolutionem attinet, ſi caros, & apoplexia vulnera capitis interdum conſequantur, nil, mirum, ſi & vniuerſalis reſolutio accidat.

Quando reſoluitur vulnerata, oppoſita vero conuellitur, in cauſa eſt corruptio facta in vulnerata, ob quam perit facultas illius partis, cum enim ab hac putredine praui, & venenati vapores eleuentur, totique per vulnus efferri nequeant, petunt ſanas partes, & principium neruorum eiuſdem partis vellicant, inde concutiuntur nerui, & fiunt conuulſiui motus, ob demortuam vero facultatem vulnerata reſoluitur.

Cur reſoluatur pars vulnerata & oppoſita conuellatur.

Quod etiam pars vulnerata conuellatur, oppoſita vero reſoluatur, mirum non eſt, poteſt enim conuulſionis cauſa in vulnerata reperiri, puta inflammatio, & in oppoſita reſolutionis, puta purulenta colluuies ad eam expreſſa, vel diffuſa. Fieri etiam poteſt, vt propter inflammationem vulneratæ partis, quæ è directo ſunt, conuellantur, reſoluantur vero oppoſitæ, quia calore inflammatorio colliquetur pituita in oppoſita cerebri parte exiſtens, vt ſuperiùs dictum eſt.

Cur conuellatur pars vulnerata & oppoſita reſoluatur.

Quod etiam ad reſolutionem oppoſitæ partis illæſa vulnerata, non videtur reiicienda penitus cauſa, quam afferunt nonnulli, videlicet confluxus animalium ſpirituum ad affectam partem, iis enim deſtitura, quæ oppoſita eſt, non poteſt non reſolui, cum eorum ope transmittatur animalis qualitas ad totum corpus. Siquidem colligit ſe ſe ob ictus violentiam animalis facultas, vt dicebat Galenus 7. Aph 58. & proprii muneris obliuiſcitur cerebrum, partique affectæ ſubſidium parat. Dandam eſſe hanc cauſam ex eo deducitur, quod interdum ſtatim ab ictu,

Cur reſoluatur oppoſita pars illæſa vulnerata.

Alia cauſa.

 que-

quemadmodum experientia docet, accidit reſolutio hæc oppoſitæ partis, illæſa vulnerata, vt nuper obſeruauimus in eo milite, cui alter ex opticis neruis fuit diſſectus, ſtatim enim tota oppoſita pars fuit reſoluta, cuius cauſa referri non poteſt in putridam coluuiem, vt quæ nondum genita eſt, ſed vel in confluxum illum ſpirituum animalium ad affectam partem, vel in pituitam, quæ vi ictus in principium ſpinalis medullæ oppoſitæ partis deciderit: quorum vtrumque poſſe contingere non eſt à ratione alienum. Nec illud officit, quod non ſemper ita contingat, non enim cuiuslibet ictus æqua eſt vis, etiamſi pares videantur, nec æquè facultatem, aut partem afficiunt. Latet nos determinata vis ipſorum, ſicuti, & ſtatus facultatis, & corporis, ſed fieri ad affectum locum confluxum hunc ſpirituum, illud maximum argumentum eſt, quod ſpontè, ac breui tempore nonnunquam priſtinum ſtatum recuperat pars oppoſita, relatus enim miles tranſacta vndecima cæpit reſolutas partes mouere. Quòd ſi ex defluxu craſſorum ſuccorum contigiſſet reſolutio, nec tam facilè, nec ita breui tempore ad hunc ſtatum deueniſſet.

CAPUT XXV.

De vniuerſali curatione vulnerum capitis.

Vulnera ſimplicia in capite, melius eſt, vt per carnis generationem curentur, quam per agglutinationem.

VVlnera capitis, vt dictum eſt, vel ſimplicia ſunt, vel compoſita. Simplicia ſolam agglutinationem requirunt, & ex conſequenti tractanda ſunt ex ſui natura eo modo, quo aliàs dictum eſt tractanda eſſe vulnera ſimplicia. Sed tamen, quoniam non ſemper ſumus tuti, poſſe ad vnguem adduci ad mutuum contactum vulneris labia, eoque minùs, cum idonea deligatione vti non liceat, atque idcircò timendum eſt, ne in vulneris fundo pus colligatur, quod retentum ſubiectas partes putrefaciat, & membranis cerebri, & cerebro ipſi affectio com-

communicetur, vnde mors; idcircò vt per tutam viam vulneratum ducamus, tutius eſt ſinere, vt labia vulneris ſeiuncta maneant, atque per carnis generationem curetur vulnus, ac ſi eſſet cum amiſſione ſubſtantiæ, ſic enim non generabitur caro, niſi poſtquam pars ſuam adepta fuerit temperiem, & poſt conuenientem purgationem, & ita ſubmouebitur illud periculum. Quare procuranda erit ſuppuratio, & parandus ſaniei exitus, deindè carnis generationi ſtudendum, tandemque cicatricis obductioni. Et ne hæc opera præpediatur, arcendus erit humorum à vulnerata parte confluxus ea prorſus methodo, quæ in generali vulnerum curatione tradita eſt. Atque eadem incedendum via, ſi vulnus ſit etiam compoſitum, verum citra oſſis, & membranarum læſionem, etiamſi contuſum ſit.

Indicationes in compoſitis capitis vulneribus.

Quòd ſi vulnus ſit compoſitum cum oſſis fractura citra læſionem ſubiectarum partium, tunc magis mixta debet eſſe curatio, & præſeruatio: namque timere oportet ſubiectis oſſis partibus, eò quòd per fracturam poteſt ad ſubiectas partes pus transferri, quod eas vel corrumpat, vel inflammet, vnde deliria, conuulſiones, & mors. Poteſt etiam pus intra fracturam oſſis retentum os ipſum corrumpere, atque ita deinceps affectionem communicari cum partibus ſubiectis erit neceſſarium: idcircò vt hæc mala præcaueamus, opus eſt diligenter conſiderare, num ſanies poſſit detineri intra fracturam, nec ne. Facilè detinebitur, ſi rima adſit, idcircò erit delenda. In ſimplice verò ſede teli non ſolet ſanies detineri, ſed ipſi patet exitus ſicuti aditus, idcircò quando ſimplex eſt, non opus eſt abraſione: verum quoniam raro ſumus tuti, ſimplicem eſſe ſedem, cum ſæpe ipſi quoque rima adnectatur, idcircò tutius conſilium eſt in ſede teli abradere, donec deleatur teli veſtigium, ex quo apparebit num adſit ſimul rima, nec ne, quæ exiſtens delenda & ipſa erit. Quibus peractis, nihil aliud ſupereſt, niſi vt foueamus naturalem calorem partis, quo proprium alimentum rectè poſſit confice-

ficere, & excrementa expellere, & carnem denique generare, &c. atque fluxionis rationem habeamus, ne ingruat.

Si verò rima, vel ſedes penetret, deſcendet quidem materia ad ſubiectas cranio partes, ſed num extra pelli poſſit conſiderandum: quod ſi fieri nequeat, parandus erit materiæ exitus per os ipſum, videlicet per ipſius oſſis exciſionem, vt enim dicebat Hip. lib. de loc. in hom. Intus exiſtens, etiam exitum non habens, ideſt, quod facit hominem furere, deindè vt in reliquis procedendum.

Si uerò os ſit contuſum, eſt abradendum vſque ad id, quod ſanum eſt, ne ſuppreſſis prauis halitibus, atque mala colluuie, totum os corrumpatur, & ſubiectis partibus communicetur affectio.

Si uerò os introceſſerit, ita vt membranas comprimat, profectò indicabit, vt ad naturam ſuam reuertatur: uerum iſtud & à natura perfici ſolet, & à Medico, vbi natura nequeat, eleuandum, non enim expectanda naturæ operatio, vbi os introcedens praua excitat ſymptomata, vtpotè delirium, obcæcationem, ſtuporem, carum, apoplexiam, & huiuſmodi, ſed quam primum à Medico eleuandum, & conueniens materiæ exitus parandus. Si uero nullum excitet ſymptoma, relinqui poterit naturæ onus, modo conueniens adſit materiæ exitus, ſi tamen materia ſub oſſe ſit colligenda, neque enim hoc neceſſarium eſt, vnde Hip. lib. de uuln. cap. tex. 25. Quæcumque uero intro contuſa cedunt ex ſua ipſorum natura rupta, aut etiam diſſecta ualde ampla, talia minus periculoſa ſunt, vbi membrana ſana fuerit: & quæ pluribus fiſſuris, & amplioribus intro rupta ſunt, adhuc minus periculoſa ſunt, & ad detractionem faciliora fiunt, & nullum ex talibus perforari oportet, neque periclitari, oſſa auferre conando, priuſquam ſponte ſua emergant, priore forma exoluta, &c. Vbi ergo membrana, & cerebrum fuerint oblæſa, ſiquidem cauſa uulnerans adhuc ſit præſens, vt telum, & oſſis ſpiculum, ea protinus auferenda: ſin receſſit, moliri effluxum oportet, & calor naturalis fouendus diligentiſſimè, & fluxio maxime prohibenda.

Si

Si fuerit ſub oſſe concretus ſanguis, qui manus ope auferri nequeat, eius ſuppuratio primum erit procuranda; dein abſtergenda, & exſiccanda membrana, ne longiori tempore à pure male affecta, & humida facta computreſcat.

Si membrana ſimul fuerit uulnerata, & quidem abſque ſubſtantiæ defectu, oritur indicatio ipſam agglutinandi, ſi cum defectu ſubſtantiæ, cum hic ſit incorrigibilis, propterea quod eſt pars ſpermatica, aliquid quod uicem ſuppleat, & locum compleat, regenerari oportebit. *Indicationes in vulnere membranæ, & cerebri.*

Si cerebrum fuerit uulneratum, & quidem telo ſecante abſque ſubſtantiæ defectu, agglutinandum erit, ſi portio cerebri deficiat, cum regenerari non poſſit, heterogenei corporis generatione repleri uacuum opus erit. Si cerebri ſubſtantia fuerit contuſa, vt ſuppurare ſit neceſſarium, naturæ opus relinquendum. Et, quoniam eſt humidiſſimum, & putredini maximè obnoxium, inhibenda erit eius corruptio. Et ſemper fluxionis, vt lethalis, maxima habenda eſt cura, ſed hæc omnia diſtinctiùs conſideremus.

CAPVT XXVI.

De curatione ſimplicis vulneris capitis abſque oſſis denudatione.

SEd methodum hanc ad praxim redigamus in qualibet uulneris differentia, auſpicantes à ſimplici uulnere, quod eſt citra oſſis detectionem. Hoc diximus curari etiam poſſe per agglutinationem, quod & Gal. uoluit 2. de comp. med. per loca cap. 1. vbi dicebat: Siquidem igitur plaga uulneris, aut contuſionis cauſa exiſtat, plures ſcopi erunt ad remediorum inuentionem, vnus quidem in uulnere, ad quod agglutinantibus, & inflammationem arcentibus pharmacis vti oportet, poſtquam uulneris labia fibulis impoſitis conſtrinxerimus. Quare, ſi per agglutinationem curandum

ſit, quatuor illa ſunt ſeruanda, videlicet, vt adducantur labia, quæ diſſident, ad mutuum contactum, & adducta conſeruentur, & vt præcaueatur ne quid inter agglutinanda vulneris labia intercidat, & demum, vt partis ſubſtantia ſalubris conſeruetur, & calor naturalis roboretur. Adducentur labia, vel ſutura, vel glutine deraſis priùs capillis.

Temporalis muſculus non eſt conſuendus.

Verùm, quod ad ſuturam attinet, cauendum, ne, ſi ſectio fuerit in muſculo temporali, ipſum temporalem muſculum acu trajiciamus, ſed ſola cutis trajicienda eſt propter conuulſionis metum. Sed ſi ſectus fuerit temporalis muſculus, non amplius eſt vulnus ſimplex, ſed compoſitum, fieri enim nequit, quin partes neruoſæ, & vaſa etiam ſecentur.

Quamuis autem Fallopius laudet, vt in diſſectione temporalis muſculi eo intacto perfecta cutis adductio fiat, deindè ne remaneat cauitas ſub cute; quod ipſe muſculus non fuerit acu traiectus, quodam puluillo comprimat, attamen tutius conſilium ſemper exiſtimaui imperfectè adducere cutem ipſam, vt relinquatur materiæ colligendæ effluxus; nunquam enim ita puluillus exacte comprimet, quin relinquatur aliquod vacuum, in quo colligentur excrementa vulnerati muſculi; hinc abſceſſus.

Antequam adducantur labia, videndum, ne capillus, aut aliquod aliud peregrinum corpuſculum intra vulneris labia contineatur, quod ſi contineatur, auferendum, deinde adducenda labia, vel ſutura, vel glutine.

Adductis labiis, vt ſubſtantia partis ſalubris conſeruetur, atque ne humor fluat ad partem, & labiorum agglutinationem impediat, vulneris labiis ſpatula applicabimus lachrymam abietinam, vel ſimplicem, vel cum maſtiche & ſarcocolla, vel cum portione quoque olei noſtri de hyperico, aut quodpiam aliud medicamentum agglutinans, eandemque extendemus ſupra linteolum, & vulneri applicabimus ſic, vt comprehendat non paucum de parte ſana omni ex parte, puta quanta eſt duorum circi-

ci-

citer digitorum latitudo. Ad ambientes vulnus partes fiat innunctio ex oleo ros comp. in partis corroborationem, & repulſionem influentis ſucci, dein ſuperponatur triplicatum, vel quadruplicatum linteum, & omninò ſufficiens ad fouendum calorem partis, atque ad partem ab externis iniuriis vindicandum: vnde & temporibus maximè frigidis, & regionibus non eſt ſpernendus puluillus ex lana, vel goſſipio, vel pellis ſuperimpoſito: neque ſolùm vulneris locum ab ambiente defendendum, ſed totum caput integere oportet, non quidem puluillis, ſed tamen aliquo idoneo linteo, aut calantica, vel ſimili alio tectorio, ne immediatè ab aere ambiente afficiatur; etenim haud ægrè communicaretur alteratio vulneratæ parti: ſed & tempore non calido communionem aeris communis penitus vitare oportebit, imperando vulnerato, vt intra domum, & cubiculum ſe recipiat, cuius ianuæ, & feneſtræ ſint clauſæ. Temporibus verò calidis, & tepentibus etiam vulnere ſimplici exiſtente non valde inſigni ſecundùm ſuam eſſentiam, neque corpore cacochymo exiſtente, non adeſt tanta neceſſitas prohibendi vulneratum a communicatione externi aeris. Quod verò, & faſcia retentiua medicamenti, & ſuprapoſitorum puluillorum, ſeu plumaceolorum ſit neceſſaria, non indiget admonitione. De hoc tamen poſterius pertractabitur.

Intra quatriduum non eſt ſoluendum vulnus, quamuis enim ante quatuor dies ſoleat agglutinari, præcipuè ſi quis vtatur oleo noſtro ad vulnera cum abietina lachryma, vel noſtro cerato, de quibus in primo lib actum eſt, attamen, vt pars robur recipiat ab illo tegumento, non eſt ſoluenda intra dictum tempus. Et poſteaquam etiam ſoluta erit, ipſa quoque per aliquot dies protegenda erit ab iniuriis externis; eam autem protegemus, aliquod tegumentum imperantes, & occurſum vehementer refrigerantis aeris prohibentes. *Quouſque differenda ſolutio.*

Ne verò detur fluxionis occaſio, idonea ſeruanda erit victus ratio; tenuis quidem à principio imperandus, ſola *Victus ratio.*

fercula ex pane, & iure pulli, aut vituli cum cremore ſeminum melonum exhibeantur; & pomum, vel pyrum ſub cineribus coctum, vel paſſulæ, illiſque vinum interdicatur per totum quatriduum. Tenuis enim victus erit in cauſa, vt natura indigens ſanguinem contineat, neque tranſmittat ad partem plus, quam ipſa poſſit conficere: dum verò ea, quæ boni ſucci ſunt, exhibentur, & à vino abſtinet vulneratus, prohibetur generatio excrementorum, & cauſæ fluxionis, quæ ex alimentis, & potu ſæpè ortum habent, præcauentur. Quòd ſi plethoricum eſſet corpus, neque ab re eſſet ſanguinem mittere, & plenitudinem demere, ne fluxionis eſſet occaſio, præſertim, ſi vulnus eſſet effatu dignum.

De venæ ſectione, ac pharmaco.

Si verò corpus ſit cacochymum, negotium non eſt tranſigendum citra exhibitionem pharmaci. Itaque ſtatim clyſtere immiſſo mittatur ſanguis, poſtera verò die purgans aliquod non exagitans exhibeatur, cuiuſmodi eſt ſyr. roſ. ſol. manna, mel roſ. ſol. vnà cum rhabarbaro, & diacatholicon, & in robuſtis, & ruſticis etiam elect. de ſucco roſarum, vel roſ. Meſ. diſſoluendum pharmacum cum decoct. florum, & fructuum, in qua mirobalanorum citrinorum cortices fuerint infuſi, nunquam enim prætermittendum, vt aliàs dictum eſt, quin medicamentum permiſta habeat aliqua adſtringentia, vt poſt ſolutionem relinquatur corroborationis veſtigium, quo magis prohibetur humorum fluxis. Reliqua etiam reuulſoria præſidia in vſum reuocari poterunt, ſi opus videbitur, vt cucurbitulæ, frictiones, clyſteres, &c. quæ tamen, ſi corpus ſit boni habitus, ſuperflua ſunt, ſòla enim proba victus ratio ſufficit, modò præcaueantur iniuriæ.

Curatio per carnis generationem.

Si quis verò curationem, quæ fit per regenerationem carnis, magis diligat, deraſis capillis, labiis vulneris apponatur ſpatula terebinthina vel ſimplex, vel cum lachryma abietina, & oleo hypericonis mixta, calens, modicè tamen æſtiuo tempore, deſuperque linteum, quod idem medicamentum habeat, vel aliud ſimile, apponen

nendum, dein tegendum vulnus conuenienti tegumento, & vſque ad ſeptimam differatur ſolutio, quo tempore ſi ſoluatur vulnus, vt plurimum reperietur carne repletum, & multoties etiam cicatrice obductum. Quæ verò ad prohibendam fluxionem faciunt, ſi natura corporis requirat, non ſunt prætermittenda. In robuſtis verò corporibus, & omnino ſiccioribus ſicciora quoque admoueri poterunt, ut eſt diapalma, ceratum barbarum, & huiuſmodi. Quotidie uero obſeruandæ erunt effluxiones, ut videlicet pus excernatur, quamuis in ſimplicibus vulneribus pauca admodum puris copiat ſoleat generari, ut quandoque, ſi præſertim corpus ſit boni habitus, uix ueſtigium puris ſoluto uulnere appareat. Nihilominus, quoniam non poteſt eſſe ad unguem perſpecta laborantis natura, ſtatim à principio conſiderandum, an, ſi copioſa materia ſit generanda, conuenientem ſit habitura effluxum. Si minùs probum animaduertamus, idonea ſectione pro vulnerati natura parandus.

CAPUT XXVII.

De vulnere muſculi temporalis.

SI vulneratus fuerit temporalis muſculus, atque profuſio ſanguinis ſimul adſit, ei in primis occurrendum opportunis præſidiis, de quibus 1. lib. egimus. Si ſanguis nihil vrgeat, atque fuerit ſimplex ſectio, tractandum erit vulnus, veluti ſi ſimplex eſſet cutis ſectio, præterquam quod melius eſt ipſum curare per carnis generationem, ne adductis ex trinſecus labiis, aliquid in fundo vulneris colligatur, quod negotium faceſſat vulnerato, & Medico propter partis nobilitatem, conſueuit enim ſuperuenire conuulſio ad huiuſmodi vulnera. Libenter ergo inconſuta relinquo, vel ſi quandoque ſit neceſſaria aliqua reductio ob multam labiorum diſtantiam non omninò ea adduco, ſed aliquod interſtitium relinquo ad ma-

Qualis futura conueniat in vulnere temporalis muſculi.

materiæ effluxum, neque muſculus acu traiiciendus, ſed ſola cutis; maximè verò talia vulnera cauere oportet ab iniuriis ambientis, neruos enim inſignes habet hic muſculus, & vaſa inſignia, ideoque non leuia ab ambientis frigiditate detrimenta recipit. Itaque tecta ſeruanda ſunt huiuſmodi vulnera, ſi qua alia, neque parcendum erit iis præſidiis, quæ ad prohibendam fluxionem hic valdè timendam valeant, & propterea ſanguis mittendus eſt, & purgans medicamentum exhibendum, & alia, quæ cohibent humorum impetum, in vſum reuocanda, tenuiſſimuſque iniungendus victus. Si parandi effluxus gratia ſecare muſculum oporteat, id fiat ſecundùm fibrarum inceſſum, & præcaueantur vaſa. Semper tamen cum timore ſecetur hic muſculus, cuius ſectionem, & ipſe Hippoc. pertimeſcebat, vt videre eſt lib. de vulner. cap. ipſum tamen ſecui ego pluries fœlici cum ſucceſſu. Quòd verò attinet ad electionem medicamentorum, quibus vulnus procuremus, ſi ea deligerentur, quæ vulneratis neruoſis partibus ſunt amica, maximè probarem. De iis autem aliàs egimus.

De ſectione temporalis muſculi.

CAPUT XXVIII.

De curatione vulnerum capitis cum deperditione ſubſtantiæ abſque oſſis læſione, & denudatione.

DE vulneratæ partis potiſſimum ſubſtantia amittitur, vbi à telo contundente vulneratur caput, ſiue ſit contundens tantùm, ſiue etiam ſecans, vel pungens. Quocumque autem modo contigerit, in primis conſiderandum eſt, num pateat exitus materiæ, quæ generanda eſt in vulnere, potiſſimum ſi contuſum ſit vulnus, namque niſi adſit conueniens effluxus vt potiſſimum contingit à telo tantùm contundente, quod frequenter vix extimam cutem diſrumpit, ſed penitiores partes contundit, & lacerat, conuenienti ſectione moliri oportet effluxum,

xum, ducendo ſectionem verſus eam partem potiſſimum, in qua ſpecillo deprehenditur laceratio, & cauitas. Vnde Hip. lib. de vuln. cap. tex 19. Si verò os quidem carne fuerit denudatum, ſubiecta verò fuerint vlcera in obliquum, cauitatem quamprimum reſecare oportet, vbi non facile eſt medicamento quocumque peruenire. Id tamen intelligendum, niſi quid aliud impediat, ſi enim prope muſculum temporalem eſſet ictus, non eſſet ducenda ſectio verſus ipſum muſculum, ita vt muſculum comprehendat, ſed ad proximam partem; hoc eſt enim, quod volebat Hip. quando lib. de vuln. cap. dicebat faciendam eſſe ſectionem pro hominis natura, vnde ſubiungebat tex. 20. At verò in capitis ſectione reliquæ quidem capitis partes ſecuritatem habent, dum ſecantur. Verùm tempora, & adhuc ſupra tempora venam, quæ per tempora fertur, ſecare non oportet, conuulſio enim corripit ſectum, &c. & ſi cauitas hinc inde adſit, tranſuerſam ducere oportet ſectionem ita, vt totam cauitatem, vel mediam ſaltem partem ſecemus. Quod quidem plerumque duplici ſectione conſequimur, initium in vtraque ſumendo à vulnere verſus ſanam partem facta ſectione, atque diductis labiis, & ſanguine fluente ſuppreſſo, opus eſt curare hoc vulnus, ſicuti vulnera in carnoſa parte curari ſolent, ſi enim paretur tegumentum parti, citiſſimè fient ſuppurationes, & materia citius expelletur & caro generabitur. Animaduertendum tamen, ſi ictus eſſet in muſculo temporali, & ſectione opus eſſet, ſolam cutem eſſe ſecandam, nequaquam muſculum propter periculum profuſionis ſanguinis, & conuulſionis. Quamuis ſi ſectio ſecundùm fibrarum inceſſum fieri poſſet, non omnino eam reprobaremus, quod pluries à nobis neceſſitate vrgente factum eſt, & ſemper fœliciſſimo cum ſucceſſu. At vaſa, vt ſuperius dicebamus, ſunt fugienda, & ideo non eſt cuiuſcunque muſculum hunc ſecare. Parato effluxu, tractandum erit vulnus, ac ſi in reliquis carnoſis partibus contigiſſet.

CAP.

CAPUT XXIX.

De curatione vulnerum cum oſſis denudatione.

Extima oſſis ſuperficies diutius ambienti expoſita emoritur.

SI verò denudatum os fuerit, abſque læſione tamen, in primis conſiderandum venit, num os diutius fuerit ambienti, præſertim frigido expoſitum, namque ob aeris longiorem actionem extima oſſis ſuperficies, vtpotè pauco naturali calore prædita, emori ſolet. æſtate quidem vnius, vel alterius horæ ſpatio, hyeme vero, & temporibus frigidis citiſſimè id accidit. Vbi ergo adſit ſuſpicio, ne mortua ſit extima illa oſſi ſuperficies ſcalpro raſorio eam radere oportebit, quoad ſanguis effluere videatur ab oſſe, quod ſignum erit ad viuum os nos abradendo perueniſſe, & tunc optimè deterſo oſſe, & vulnere ab omni oſſis recremento expurgato, tractandum erit vulnus non ſecus, ac ſi citra oſſis denudationem eſſet. Obſeruandæ tamen ſunt diligenter ſubfluxiones, retenta enim purulenta materia os inficeret, & pus per ipſius ſubſtantiam ad ima, deſcenderet. De qua quidem oſſis tranſpuratione, (ſic appellauit Hippocrates hanc puris ad interna percolationem) nos voluit eſſe admonitos in libro de vuln. cap. & eam in medicina facienda pluries obſeruaui. Potiſſimum autem ſolet contingere quando illatum fuit vulnus à telo contundente, neque diſſectum eſt totum id quod fuit contuſum; itaque inter os, & membranam ambientem, aut inter hanc, & carnoſam membranam pus colligitur, quod exitum non habens, quod ſubiectum eſt corrumpit, & ad duram meningem percolat. Et ita aliquando corrumpitur, vt molliſſimum euadat, adeò vt terebra opus non ſit, ſed ipſamet ſpatula, vel ſimili alio inſtrumento detrahatur oſſis ſubſtantia vſque ad membranam. Oportet ergo in contuſionibus, frequenter circumſtantes partes explorare; & quando circumſitis compreſſis

preſſis partibus pus extimam oſſis partem alluens ad vulnus exprimitur, maximè de hac tranſpuratione timendum eſt. Quando igitur nobis offertur vulnus à telo contundente illatum, diligenter conſideretur teli qualitas, & vis ictus, vt notum fiat quàm ampla ſit contuſio; & pro eius amplitudine faciendæ ſectiones; Immittatur etiam ſpecillus inter os, & pericranium; & in quibus locis ipſum percipiemus ab oſſe ſubiecto ſeparatum, ibi ſectionem moliemur; Neque te tutum exiſtimes, quod os terebraueris, etiamſi videris omnina, quæ ad membranam pertinent, proſperè ſuccedere; nam interdum cum exiſtimabimus ad portum ſalutis vulneratum deduxiſſe, comperiemus ipſum à maxima tempeſtate in fluctibus agitatum. Hoc accidiſſe memini viro, qui exiſtimabat nihil ſibi occultum eſſe in re capitis vulnerum; Curabat quendam vulneratum in ſincipite ad ſiniſtram partem ab enſe non euaginato; & quamuis ictus cutem vſque ag os ſecuerit, attamen etiam lata ipſius parte (non enim perpendiculariter ſeu è directo cecidit enſis) contuſæ ſunt circumſtantes partes. Os igitur magis detexit facta ſectione; non tamen vt oportuit, veluti euentus demonſtrauit, abraſit os; & deinde eam colliſionem timens, terebrauit. Omnia, quæ ad vulnus; proſperè eueniebant; membrana, & meditullium cœderunt carunculas illas emittere, & os ſeparationis ſignum exhibere. Cum iam repletum eſſet carne oſſis foramen, & exiſtimaretur vulneratus eſſe extra aleam, en febricula ſuperuenit, & vulnus fit aridum; quia tamen benè ſe habebat membrana, non multa facta eſt febris; ſed cum in dies augeretur, & iam propenſio quædam ad ſomnum acceſſiſſet, aduocatus fui & ego. Detecto vulnere oſtendit mihi chirurgus ille nonnihil puris, quod apprehenſis naribus, & impulſo ad caput ſpiritu emanabat à foramine oſſis terebra facto ea parte, quæ temporalem muſculum reſpicit. Cum comprimerentur partes illæ, & per externam partem pus ad vulnus exprimebatur; apparebatque ferri

ſupra externam oſſis faciem ; Itaque ſtatim tranſpurationem illam timui. Decreuimus os ibi detegere, atque perforare, vt ſubiectæ, materiæ daretur exitus ; Facta ſectione inuenimus ea in parte os ita corruptum, vt opponi terebra non potuerit præ mollitie ; imo ipſa ſpatula oſſis ſubſtantia detracta eſt, & denudata membrana ; ibique copioſum pus inuenimus ; ſed quoniam membrana iam inflammari cœperat, quinque aut ſex poſt dies interiit vulneratus. Idem obſeruaui in muliere, quæ lapide ad frontem fuit vulnerata.

Os verò abradimus, quoniam ſi eam portionem oſſis, quæ mortua eſt, non demeremus, neceſſarium tamen eſſet, vt naturæ actione tandem abſcederet, quod niſi longo temporis ſpatio contingit, atque ita drotraheretur curatio ; abſcedit verò os neceſſariò, quoniam mortuum eſt, & ideò tanquam alienum à natura expellitur. Id autem propriè, quod os propellit, eſt ſubnaſcens caro in oſſe ſano, vnde Hippocr. lib. de fract. num. 36 Subnaſcentes enim iuxta læſam partem carnes plerumque oſſa ipſa eleuant. Si ergo, quod mortuum eſt, ſcalpris abraſoriis tollatur, longè citiùs generabitur caro, & replebitur vulnus. Deterſo igitur vulnere ab omni ſuperfluo labiis vulneris ſpatula apponatur medicamentum aliquod cruentis idoneum, & idem ſuperdonatur parti linteo illitum, atque conuenienter cooperiatur pars, ne aer ambiens aditum ad os habeat, atque ita ſeruetur tectum vſque ad decimam quartam, vel ſaltem non ſoluatur, niſi poſt ſeptimam, obſeruenturque quotidie defluxiones, tranſacta enim decima quarta vt plurimum ſi à telo ſecante fuerit inflictum vulnus, comperietur ferè vnitati reſtitutum, & multoties perfectè ſanatum, & quandoque citius. Quod ſi quidpiam remanſerit, eidem conſulere oportet de more prout opportunum viſum fuerit, & id, quod remanſit, requiſierit, ſiue fuerit deficiens caro, ſiue ſuperfluens. Verùm cum facta ſit mentio de abraſione, non erit inutile admonere tirones, qua ratione ea ſint pera-

Tempus ſolutionis.

peragenda, vt tuta ſit, atque iucunda, quemadmodum operationes omnes medicas eſſe oportet; cum enim in parte principe operationem moliamur, non vtique temerè eam aggredi oportet, ne quodpiam inconueniens contingat.

Tuta igitur erit operatio, atque iucunda, ſi totum, quod auferendum eſt, ſcalpro deradatur, nulluſque in opere excitetur dolor, neque imbecillitas parti comparetur, neque vlla inferatur cerebro commotio, hic enim periculum immineret fracturæ alicuius venulæ in cerebro ipſo, vel membranis: ibi inflammationis: ex primo verò opus redderetur imperfectum. Vt igitur hæc euitemus, in primis in id incumbere oportet, vt vulnus hiet, ne dum ſcalpro deradimus, in vulneris labia inſtrumento impingamus, vel eadem confricemus, aut pericranium ipſum, quod ſcalpro fricatum, & laceratum inſignes dolores, inflammationes, ac febres excitat, vnde Celſus lib. 8. capit. 4. In quo ipſo videndum eſt, ne quid ex ipſa membranula, quæ ſub cute caluariam cingit, ſuper os relinquatur. Siquidem hæc ſcalpro, terebriſue lacerata vehementes febres cum inflammatione excitat. Itaque eam commodius eſt ex toto ab oſſe diduci. Et propterea in primis, niſi vulnus fuerit ſufficienter amplum, ſectione ſupplebimus, inde à cranio vnguibus (namque ferramenta maiorem faciunt inflammationis metum) ſeparetur pericranium, poſteà penicillis repleatur vulnus, ita vt in ſequentem diem vulnus quam amplum reperiri poſſit, & vbi opus eſt, ibi ſolummodo pateat. An verò linamenta hæc ſicca eſſe debeant, aut liquore aliquo imbuta, poſterius uidebimus. Dein ſubſequenti die ablatis penicillis labia uulneris linteo aliquo tenui calente, vel etiam oleo roſ. cal. madefacto, dein expreſſo tegantur, ne ab aere diſpendium patiantur, & niſi ex ſe ſe diducta manſerint, imperetur vni, vel alteri miniſtro, vt digitis, vel ſpatula eadem diducta contineat, aliuſque miniſter, vel plures, ſi opus ſit, caput immotum contineat, dum abradis. Ab-

Abraſio qualis eſſe debeat.

Obſeruanda.

Vt abradendum. rades autem potius attrahendo ad te ſcalprum, quam attrahendo, & remittendo ſimul, ſic enim minus commouebitur caput, vbi præſertim non multam vim indideris. Scalpra autem, cum non abradas delendæ rimæ gratia, ſed ſolum ſuperficiei auferendæ, plana ſint oportet, & lata pro amplitudine vulneris. Atque, vt dictum eſt, eouſque perſequeris abraſionem, quoad videris ſanguinis veluti ſtillas exſudare ab oſſe. Quod ſi diutiùs, opus ſit protrahendum, ſcalpra immutare oportet, quoniam ex attritione illa incaleſcunt, & calefacta os alterant; vel igitur immuta, vel illud idem oleo roſ. frig. vel aqua immerge, vt caliditatem amittat, dein ipſum optimè abſterges, & exſiccabis, priuſquam ad opus reuertaris. Vbi verò ſcalprum interdum adimis, vt recrementa detergas, vel aliqua alia cauſa, præparata habeas lintea calida, quibus vulnus tegas, ne ab aere afficiatur, & hoc maximè eſt animaduertendum, præſertim hiberno tempore. Quod vero ſupra ſuturas non ſit abradendum, ne ob interpoſitas fibras communicetur dolorifica affectio duræ meningi, ex quo inflammari facilè poteſt, aliàs dictum eſt. Si vero uulnus ſit magnum, vt ſectione non egeat, pericranium tantùm erit à cranio ſeparandum, inde uulnus penicillis replendum, vt amplum in ſequenti die conſpici poſſit. Quod ſi ictus fuerit in muſculo temporali, & os omnino abſque fractura fuerit, & dilatione opus habuerit, melius eſt abſtinere à deraſione, ne, dum uolumus longam euitare curationem, inflammationem accerſamus. Aliqui aures uulnerati goſſipio obturant, ne fragorem audiat. Sed curioſa eſt obſeruatio, vbi ſonus uulnerato nullam infert moleſtiam. Præterquam quod etiamſi obturentur aures, nihilominus ſonum ſolent percipere.

Fugienda eſt abraſio ad ſuturas.

Quod uero ad ſecandi rationem attinet, ampliandi uulneris gratia, cum adeo ſit neceſſaria, & magis in cranii fracturis, explorationis, & operationis gratia, generaliter quædam admonere mihi viſum eſt in tironum gratiam. Superflua quidem plerumque videtur ſectio illa in crucis modum

Obſeruanda in ſectione.

modum ex parte, & ex parte etiam manca, ſuperflua quidem in medio vulneris, quoniam penicillis impoſitis abſque ſectione vulneris medium ſatis amplum redditur, manca vero plerumque ad vulneris extrema, cum ad ea os non vt oportet, detegat. Prætereà anguli illi negotium plerumque faceſſunt, ſaltem vulneris partes concinne coaptare volenti; à penicillis enim eleuati ſic permanent diſtenti, & inuerſi, vt ſi vulneratus ſupra vulnus velit decumbere, quod quandoque requiritur pro expurgando vulnere, ſibi haud liceat propter dolorem. Itaque, ſi ad extrema vulneris fiat ſectio, euitatur omnis moleſtia, & omniquaque os vulneris redditur amplum, & ad explorationem, & ad operationem. Et ideo etiam Hip. curabat, vt vulnus redderetur longius, vnde lib. de vuln. cap. num. 19. Sed & orbiculatiora vlcera ac plurimum ſubcaua etiam ipſa reſecare oportet circulo diuiſim inciſo ſecundum longitudinem, vt longius fiat vlcus, ecce quomodo ipſe non ſecat in modum crucis. Et ſuperiùs num. 19. ſecandum ait, qua os carne nudum fuerit, & læſionem aliquam ex telo habere viſum fuerit, non temerè in modum x. ducenda vero erit ſectio in ipſis extremis, modo recta, modo dextrorſum, modo ſiniſtrorſum, prout & vulneri erit opportunum, quandoque enim ſectio hac ducta, quandoque illac magis facit ad explorationem, & operationis neceſſitatem. Siquidem ibi ſecandum, vbi neceſſaria eſt detectio, alioqui inutilis eſt, & oneroſa. Hoc enim eſt, quod volebat Hip quando dicebat loco citato, ſecare oportere vlceribus in capite, ac fronte factis, qua parte os carne nudum fuerit, & læſionem aliquam ex telo habere viſum fuerit. Secandum eſt etiam prout natura loci patietur, quod Hip. loco citato intelligebat, quando dicebat eſſe ſecandum pro hominis natura, namque, vt dictum eſt, nunquam ſecandus eſt muſculus temporalis; præterquam quod enim in ipſo ſunt inſignia vaſa, maximè neruoſus eſt, vnde cum & adeo propinquus ſit cerebro, ipſi facillimè ſuas

affectiones communicat, & ratione eius ſectionis lethales iure merito iudicantur, vt quæ inflammationes ipſius cerebri adducunt, conuulſiones, atque deliria. Vrgente tamen maxima neceſſitate ſecari poterit ſecundùm ductum fibrarum, vt ſuperiùs dictum eſt. Cauenda quoque eſt ſectio in ipſis ſuturis, ſicuti & pericranii ſeparatio, quantum fieri poteſt, ne affectio duræ meningi per interpoſitum ligamentum communicetur, & dolores, atque inflammationes concitentur. Non ergo in ipſa ſutura, ſed ad latera ipſius fiat ſectio, & ſeparatio pericranii. Ampliùs circa frontem cauere oportet, ne ſecetur muſculus per tranſuerſum, ne cadant ſupercilia, qua ratione aſpectus redderetur turpis, & impediretur etiam, ſiquidem oculus aperiri deinceps non poſſet. Quare ea in parte ſectio non per tranſuerſum, ſed per rectum ducenda: quòd ſi non ſufficiat, duæ aliæ ſectiones obliquæ ab eodem puncto ſurſum verſus ducendæ ſunt, vt vna fibra alteram ſuſtentare poſſit.

CAPUT XXX.

De curatione vulnerum capitis cum oſſis fractura in genere.

TEmpus eſt, vt ad vulnera accedamus, quæ non ſolum ægrotantibus, ſed & Medicis ipſis negotia maxima faceſſere conſueuerunt, quæ videlicet ſunt cum cranii fractura, in quibus curandis Medici in varias ſententias diſtracti ſunt, ſic, vt alii potionibus vulnerariis curanda eſſe hæc vulnera exiſtimarint, alii emplaſtris, ceratis, vnguentis, pulueribus, chymicis oleis, ſtillatitiis aquis, & huiuſmodi vim inſignem ſiccandi, & ab alto attrahendi habentibus. Alii etiam verbis quibuſdam ſuſurratis, alii aqua benedicta curationem facere conati ſunt. Sed nos ex natura rei curationem horum vulnerum ineamus: ac primo generaliter quanam ratione tractandæ ſint cranii fracturæ indagabimus, dein ad particularia deſcendemus.

Variæ ſectæ Medicorum.

Mor-

Morbos pertractant Medici ſæpè, vt morbi ſunt, non raro etiam, vt morbificæ ſunt cauſæ. Quando eos, vt morbi ſunt, pertractant, id quod quatenus morbi ſunt faciendum iudicant, exequi conantur, atque ita contraria contrariis ſubmouere ſtudent, ſic calidos morbos frigidis oppugnant, & frigidos calidis, & ſic de aliis. At quando eis, vt cauſa ſunt, occurrunt, id potiſſimum intendunt, vt id, in quo cauſa ſunt, auferant. Hoc modo crus incurabili affectum vlcere præſecant, ne totum corpus ex ipſo pereat. Sic morſum à vipera tractant ſectionibus, & attrahentibus, vt virus euocetur. Hæc eſt doctrina illuſtrium omnium Medicorum, ideoque Gal. in neruorum punctura non vnionem cutis quærit, ſed eam remoratur, ne ob continuitatem retentum pus neruum putrefaciat, & in cauſa ſit conuulſionis, & quandoque etiam vulnus amplius reddit.

Morbi dupliciter a Medicis tractantur.

Videre igitur oportet, qua ratione tractandæ ſint cranii fracturæ, & quidem ſi, vt morbi, ſunt tractandæ, quoniam ſunt continui ſolutiones, indicatur vnio, quæ in oſſe vt parte ſicciſſima, per primam, vt aiunt, intentionem, perfici non poteſt, ſed neceſſarium eſt, ſi fracta oſſa vnienda ſint, vt id fiat interuentu glutinis, vt ſupra dictum eſt: quod non ſtatim fieri poteſt, ſed temporis ſpatium requiritur, quo tempore cauere oportet, ne quid ſuperueniat, quod glutinis generationem interturbet. Atqui in cranii fracturis (oſſe tamen in propria natura manente) etiam ſi fractura ad internam oſſis faciem non perueniat, prius quam gluten generetur, pus in uulnere genitum per fracturam neceſſariò deſcendit, quare ni ſi fractura ſit patens, ita, vt per ipſam quoque expelli poſſit, pus concluſum os inflammabit, atque putrefaciet, hinc ob uicinitatem praua affectio communicabitur membranis, & cerebro, vnde praua ſymptomata, & mors. Prætereà dum os frangitur, præſertim ſi fractura ad meditullium perueniat, uenulæ quædam ſanguinem pro nutrimento oſſis deferentes neceſſariò diſrumpuntur, atque ſtil-

Quid ſit quod negotium faceſſat in caluariæ fracturis, & cur non ſint tractandæ, vt fracturæ reliquorum oſſium.

ſtillas fundunt ſanguinis intra fracturam, & hæ neceſſariò putreſcunt, vnde niſi detur exitus, oſſis imminet corruptio, & praua ſymptomata. Et quamuis fractura ad meditullium non perueniret, neque dirumperentur uenulæ, nihilominus neceſſe eſt ad fracturam ipſam os male nutriri, & excrementa colligi, quæ retenta os inficiunt, inflammant, atque corrumpunt; eiuſque affectio tandem ſubiectas urget partes. Quod ſi fractura totam oſſis ſubſtantiam penetret, quanto magis timenda ſunt mala? nonne ad membranam genita in vulnere ſanies feretur, eaque inflammabit, & corrumpet? ſola etiam contuſio multorum malorum eſt cauſa, vt aliàs animaduerſum eſt. Eo autem magis hæc mala uereri oportet, quoniam ob ſphæricam figuram capitis non licet conuenienti deligatione fracturæ conſulere, & influentes ſuccos repellere, & qui in parte continentur, exprimere, nec medicamentum habemus, quod omnino genitam ſaniem poſſit abſumere, vnde Gal. 6. Meth. 6. de hiſce fracturis ſermonem habens, dicebat: Indicatio uerò agendorum hic quoque ex natura ipſarum partium affectarum ſubminiſtrata eſt. Nam deligaturam, quam in aliis fracturis, ceu maximè phlegmonas arcentem, ratio inuenit, capiti adaptare non poſſis. Itaque neque quod influit reprimi, neque quod in ægris partibus continetur, exprimere queas, ſine quibus præſidiis nec reliquorum oſſium ullum ſeruari ſanum poteſt, nam pone in brachio ad medullam vſque os fractum eſſe, neminemque poſtea pro fracturæ legibus id deligaſſe, omninò neceſſe erit, ſaniem non ſolùm, quæ foris ſub cute, & muſculis eſt collecta, ſed etiam, quæ in medulla continetur, tum ipſam primùm, ac maximè corrumpere, tum cum ipſa os vniuerſum. Quando etiam nunc quoque omnibus rite peractis aliquando talia contingunt. Quomodo ergo non, vel magis in capite ea accidant? cum nec deligaturam, quæ fracturis debetur, admittat, & omnis ſanies prona feratur. In aliis ergo fracturis deligatura, cum rite adhibe-

hibetur, tantum abeſt, vt ſuperuacuam aliquam humiditatem colligi in læſo oſſe patiatur, vt etiam gracilius, quam pro naturali ſtatu membrum reddat. In capite verò ratio, quæ per deligaturam eſt excogitata, nec poteſt ita tum os ipſum confractum, tum quæ illi circumſtant ſiccare, vt neque phlegmonem contrahant, neque penitus vllam efficiant ſaniem, nec medicamentum eſt vllum, quod, vel in aliis quidem partibus citra deligationem os fractum, quatenus nunc dictum eſt, ſiccum, atque à ſuperuacuis purum reddere valeat.

Neceſſe igitur eſt nobis primùm fracturæ aliquid nudare, quo videlicet detergere, & abluere ſaniem à membrana liceat, poſt vero cum phlegmones tempus præterit, omniaque ſicca ad vnguem ſunt, carnem producere, ac cicatrice locum includere. Hoc idem ſpectauit Auic. ſ. 4. tract. 3. cap. 1. quando dicebat: Scias, quod oſſa capitis diuerſificantur ab aliis oſſibus cum franguntur, quoniam cum ipſa frangantur, non reſtaurat natura ſuper ea alcosboth fortem, ideſt, carnoſitatem calloſam fortem, ſicut attrahit ipſum, & naſci facit ſuper aliqua oſſa, immo rem debilem: quapropter, vt non effundatur pus ad interiora, oportet, vt extrahatur, ſi fuerit ſolutio continui, vel ſeparatio oſſis cranii completa, aut incidatur, ſi non fuerit completa, & non fiat occupatio in reſtauratione eius, & inferius. Et de illis, quæ vocant ad illud, & faciunt eſſe neceſſarium, eſt, quod ab oſſibus aliis præter oſſa capitis diuertet ligamentum materias. & hoc ligamentum non eſt poſſibile ſuper caput: propter illud ergo neceſſe eſt remouere os in fractura, cui eſt quantitas, donec egrediatur virus, ſicut eſt neceſſarium. Et iterum, ſi accideret virus inter os reſtauratum ligatum ligamento opprimente, expellente materiam, cum iam eſſet generatum illud de viru ex ipſo loco, & penetraret ad medullam, eſſet nobis neceſſarium, vt diſcooperiremus, & mundificaremus; Qualiter ergo in huiuſmodi membro? non eſt igitur excuſatio de hac collectione, inciſione, &

detentione loci, & prohibitione incarnationis eius vſque-quo ſecurus ſis, & ſi non timeretur fluxus, & deſcenſus virulentiæ ad interiora, non incideremus os.

Scopi propoſiti in fracturis caluariæ.

His igitur de cauſis non licebit fracturas cranii, vt morbos tractare, ſed vt morbificas cauſas. Quoniam verò morbificæ ſunt cauſæ, quando anguſtæ ſunt, ita, vt detur aditus materiæ, ſed non idoneus exitus, idcirco per capitis vulnera cum huiuſmodi fracturis, ſtudere oportebit, ne materia noxia per ipſas ferri poſſit, ſiue ad penitiorem oſſis partem, ſiue ad ſubiectam membranam: vel ſi feratur, vt etiam expelli poſſit: itaque ſi fractura anguſta totam oſſis ſubſtantiam non penetret, tanquam cauſa præter naturam auferri debet, atque ita deleri; ſi verò totam oſſis ſubſtantiam penetret, vel amplianda erit, vt quod deſcendit, vel in ipſa generatur, expelli poſſit, vel deſcenſuræ materiæ conueniens parandus exitus per oſſis apertionem. Si verò fractura fuerit cum læſione ſubiectarum partium, vt quando os pungit, vel comprimit membranam, læſio illa auferenda. Si verò os fuerit contuſum, reddenda eſt oſſi perſpiratio generandiſque ichoribus, atque ſaniei parandus eſt exitus, vt impediatur oſſis corruptio, & proinde os excidendum, ſeu aperiendum, vſque ad ſanum, vel ad membranam, ſi totum fuerit colliſum, Omnes autem iſtæ operationes vulneris amplitudinem ſupponunt, quocirca ſi anguſtus ſit, ampliari poſtulat. Hi ſunt ſcopi generales ſpectandi in his capitis vulneribus, quomodo verò attingendi ſint, particulariùs demonſtremus.

CAPUT XXXI.

De vulnere capitis cum rima in oſſe.

SI igitur caluaria rimam contraxerit integra tamen aliqua eius parte, quoniam delere eam oportet, ne ſanies in ipſa collecta os, & ſubiectam membranam cor-

corrumpat, & incommoda ſupra allata afferat, in primis id ſpectandum, vt rima tota conſpicua fiat, niſi longius excurrat, quo in caſu aliud eſſet agendum, vt inferius dicemus; & ideo facta idonea ſectione, ſi opus fuerit, penicillis replendum eſt vulnus, ſeparato tamen pecricranio, ita aptatis, vt non ſolum à parte extima vulnus amplum reddant, ſed & in ipſo fundo; atque ſi fluxus ſanguinis adſit, optimum erit, in albumine oui, ſubacto prius, eos madefacere: aliàs etiam ſi ſicci imponantur, vel ex goſſipio, vel filamentis euulſis, vel ſtupa tenuisſima, parum refert; antiqui tamen ſiccis potiùs vtebantur. Extrinſecus verò Hippocrat. apponebat cataplaſma ex farina hordei toſti, ſubigebat enim farinam hanc in aceto, vel coquebat, vt maximè viſcoſa redderetur, atque apponebat. Recentiores inuenerunt oui albumen, vt facilè parabile, in quo ſubacto ſtupas tenuisſimas madefaciunt, & extrinſecus apponunt, cùm innata albuminis frigiditate repellatur influens ſuccus. Sed quoniam poſtmodum ſiccatur, contrahitur pars, ac tenditur, & propter viſciditatem etiam ita adhæret parti, & maximè capillorum ratione, vt ſine vi, & dolore auferri deinde non posſit, idcirco, ne his de cauſis detur fluxioni occaſio, raro ſimplici vtor albumine, ſed roſaceum oleum permiſceo, & cum eo diligenter ſubigo, vitellum etiam relinquo, non abiicio, ſic enim neque ita ſiccatur, neque ita adhæret, neque contrahitur, aut tenditur pars ex eius vſu.

Poſtero igitur die exemptis linamentis, atque linteolo tenui coopertis labiis abradendum eſt os ad rimam tamdiu, quamdiu apparet rimæ veſtigium, tota enim delenda eſt, atque vt certius noſcatur rimam fuiſſe ſublatam penitus, adiungendum eſt experimentum atramenti, veluti ſuperius traditum eſt. Hinc Auic. 4. quarti, tract. 3. capitulo primo: Et minor diſpoſitionum fracturæ osſium capitis eſt, vt accidat in ea contuſio, uel ſcisſio corticalis non penetrans vſque ad latus aliud, immo ſtat, & terminatur apud quamdam commiſſuram, uel apud *De abraſione in rima.*

 quam-

quamdam partem oſſis proximam, & huiuſmodi eſt quaſi occulta ſenſui, & in tali magis rectum eſt, iterum vt frices illud, vſquequo non remaneat de ſciſſura aliquid. Et ſi amas vt certificeris, uel vt appareat cum effuſione humiditatis nigræ, donec uehemens fiat apparitio ſciſſuræ per eam, fac, & frica, donec non remaneat veſtigium. Eandem curandi rationem docet Gal. 6. Meth. capit. vlt. Rima deleta, de cætero vulnus eſt curandum, ac ſi fractura non affuiſſet, vbi enim obliterata eſt rima, nullum amplius imminet periculum, ne ſanies retenta os, & ſubiectas partes afficiat: & omnis etiam aſperitas ſublata eſt, quæ in oſſe ob fracturam reperiebatur, & carni moleſtiam erat allatura. Neque enim exiſtimandum eſt, abradendam eſſe rimam ſolius cognitionis gratia, quamuis & hac ratione abradamus. Et ideo Hip. lib. de vuln. cap. num. 27. Cum quis os fractum, aut ruptum, aut contuſum, aut quocunque modo fractum intelligens, per errorem deliquerit, & neque raſerit, neque perforauerit, veluti os non opus habeat, & velut os ſanum exiſtat, ante decimam quartam diem febris corripiet vt plurimum in hieme, in æſtate uerò ante ſeptimam, & vlcus colorem amittit, & ex ipſo pauca effluit ſanies, &c. Ecce quomodo ex omiſſa deraſione in fractura cognita, ſuperuenire ait Hippocrates ſæua accidentia, & tandem mortem, & omnia propter oſſis corruptionem à retenta ſanie, & communicatam partibus ſubiectis affectionem.

Animaduertenda in abraſione. Circa autem abraſionem hanc animaduertere oportet, cum fiat delendæ rimæ gratia, ſi ea ſit profunda, auſpicari oportere abraſionem à latioribus ſcalpris, & paulatim ad anguſtiora procedendum pro rimæ profunditate, vnde Auic. loco citato: Et ſint apud te fricatoria diuerſarum quantitatum, & adminiſtra in primis lata eorum, deinde quæ ſequuntur illa, & Gal. 6. Meth. 6. Quæ igitur ſimplices fracturæ ad ſecundam vſque lami-

laminam perueniunt, iis, quos modo diximus, anguſtis ſcalpellis indigent. Expedit autem hos vt numero multos, ita magnitudine impartes eſſe, necubi deſit, quod operi ſit commodisſimum. Poſtea verò nudato, vt fieri ſolet, vitiato oſſe, vtendum primo quidem latiore, ſecundo loco eo, quod eſt anguſtius: mox ita reliquis deinceps vſque ad anguſtisſimum, hoc verò in ipſa diploe vtendum.

Quid agendum ſi ſanguis ab oſſe fluens opus impediat.

Quando rima ad meditullium pertingit, & eò abradendo peruenerimus, nonnunquam fluit aliquid ſanguinis opus impediens, quo in caſu poſcam infundere expedit, vel gosſipium poſca imbutum parti, vnde profluit, apponere, donec ſiſtatur ſanguis. Inde ad operationem redeundum, abſterſo prius vulnere, inunctoque ſcalpro ex oleo roſaceo, ne ob acetum acies ſcalpri obtundatur.

De rima penetrante.

Quod ſi rima totam osſis ſubſtantiam penetret, ſiue id à principio cognitum fuerit, ſiue in abraſione, maximum imminet periculum, ne materia purulenta per ipſam ad ſubiectam membranam deſcendat, itaque videndum erit, num etiam liberum habitura ſit exitum, vt extra à natura pelli posſit, quod quidem erit, cum fuerit patens, vt membrana posſit inſpici, vel anguſta ſit, vt ob id aditus materiæ pateat, ſed non liber exitus. Si poſtremum contigerit, tunc parare oportet exitum materiæ per osſis exciſionem, ſeu perforationem, vnde Hip. loc. cit. nu. 22. Si verò in profundo ſit ſcilicet rima, & dum raditur, deleri nolit, ad perforationem deuenit hæc calamitas. Et lib. de locis in hom. num. 43. Si verò rumpatur os, & fiſſura fiat, periculoſum eſt. Huic ſerram adhibere oportet, ne in osſis ſciſſuram ſanies influens membranam cerebri putrefaciat, nam vt per anguſtum intrans, non autem exiens affligit, & furere hominem facit. Huic itaque ſerram adhibere oportet, vt ſanies exitum habeat, non ſolum ingreſſum, ampla ſerratura facta. Et Auic. loco citato: Si autem exiſtimaueris, quod fiſſura ſit penetrans

vſque ad latus aliud, tunc fricatio non finit eam, niſi cum penetratione. Et inferius: Scias, quod oſſa capitis diuerſificantur ab aliis oſſibus, cum franguntur, quoniam cum ipſa franguntur, non reſtaurat natura ſuper ea alroſtoth fortem, ſicuti attrahit ipſum, & naſci facit ſuper reliqua oſſa, immò rem debilem: quapropter vt non effundatur pus ad interiora, oportet, vt extrahatur, ſi fuerit ſolutio continui, vel ſeparatio oſſis cranii completa; aut incidatur, ſi non fuerit completa, & non fiat occupatio in reſtauratione eius. Quod etiam voluit Gal. 6. Meth. capitulo vltimo.

Sed nedum cum rima totam oſſis ſubſtantiam penetrat os excidere conuenit niſi rima ſatis pateat: verum etiam cum rima ipſa totam, ferè oſſis ſubſtantiam peruadit, ita vt ad vitream laminam perueniat, vel ſaltem maiorem meditullii partem comprehendat; nec ſolùm quoniam in tota fractura neceſſarium fuerit validum admodum fuiſſe ictum, vt ob id periculum ſubſit ne ſub oſſe fracta ſit aliqua venula; verùm & hac ratione, quoniam quod oſſis relinquitur eſt exiguum; atque permulti ſunt qui cranium habent admodum rarum; vnde accidit vt facilè admodum purulenta materia per oſſis poros ad ſubiectam membranam deſcendat, prauaque ſymptomata inuehat, & mortem denique. Quoniam ergo ſtatim à principio exploratum eſſe non poteſt, quàm denſum, rarumue os ſit, vt effugiamus periculum os excidere oportet, atque membranam denudare. Rem hanc non exigui momenti exiſtimes, quam experientia longa me docuit.

De oſſis perforatione. Perforatio autem fieri poterit, vel ipſis ſcalpris, ſi videlicet aliquo anguſtiori ſcalpro abradatur rima vſque ad ſubiectam membranam, quæ quidem operatio tuta eſt, ſed longa, & moleſta, vel terebellis, aut circulatis ſerris, quæ terebræ vulgo dicuntur, ſiue trepana, quibus hodie paſſim vtuntur, & maximè, vbi abaptiſtæ fuerint, ſiue inemergibiles, quas Chirurgorum vulgus inſtrumenta ſecuri-

De terebris.

curſtatis appellat, ac tales redduntur potiſſimum circumpoſito capitio cochleato, quod ſenſim vi cochleæ attollitur, & propterea coaptatur decenter omni oſſis craſſitiei: vel duabus, aut tribus veluti aliis vim oſſis excidendi habentibus ad terebram appoſitis, qui inferiùs, vbi videlicet ad ſerræ dentes pertingunt, ſint acuminatæ, paulatimque latiores euadant; aut alia circulata terebra, & ipſa ſerrata paulò ſupra primæ ſerræ dentes appoſita; obſtant enim hæc additamenta, ne terebra, oſſe exciſo, in membranam decidat, poſteaquam ab ipſis nondum totum os exciſum eſt, quando prima terebra opus ſuum perfecit. Huiuſmodique inſtrumenta maximè probat Auicenn. loco citato, dicebat enim: Et ſi os fuerit forte, tunc oportebit in primis, vt perforetur cum trepanis, quæ nominantur non profundantia, & ſunt perforatoria, in quibus eſt eminentia parua, vel additamentum paruum ingrediens in loco, vel in parte eius acuta, & prohibet illud additamentum, ne pars acuta profundetur, & ne perueniat ad ſiphac, vel ad membranam, donec concaues, aut perfores cum eis os ſciſſum, vel contuſum. At aliæ ſerratæ terebræ facilè mergi poſſunt, & ſubiectam membranam lacerare, & ideò non admodum tutus eſt earum vſus. Vnde Galenus ſexto Meth. ſexto: At quæ per terebellam quidem ratio fungitur, parum tuta eſt, propterea quod dum audacius eam tractant, duram membranam, quæ oſſi ſubſternitur, non raro violant. Eaſdem reprobat Auicenna loco citato. Sed & trepana abraſoria maximè ſunt ex vſu, ſiquidem ſenſim os abradendo ad membranam perueniunt, neque vllo pacto in eam immergi poſſunt, aut perforare Quamuis enim iis, quibus à principio vtuntur, mucrone aliquo ſint prædita, quo infigi in os poſſint, poſtrema tamen omni mucrone ſunt deſtituta, & potius circularis figuræ, ſeu ad vnguis ſimilitudinem, vt ſolummodo abradant: & in extremo ſunt anguſtiora, in baſi ſcilicet, & ſurſum aſcendendo latiora euadunt, ita vt etſi dormiens, vel oculis clau-
ſis

ſis quis os perforet, membranam ſubiectam non poſſit lædere.

De ſcalpris exciſoriis, ſeu cycliſcis.

Scalpris exciſoriis, quæ Galenus ſexto Method. 6. cycliſcos appellat, aliquando ſum vſus, & fœlici quidem cum ſucceſſu, rimæ latera incidendo vſque ad ſubiectam membranam; verùm vi percuſſionis ex malleo, etſi plumbeus ſit, nimis ſolet commoueri cerebrum, vnde & Galenus loco citato dicebat: Quòd verò per cycliſcos opus adminiſtratur, ne id quidem omnino vitio caret, cum quatiat immodicè caput; quod potiùs quietem poſtulat. Ac prætereà non parum horroris apud ignaros inducit os capitis ſcalpello inciſorio, quaſi lignum eſſet, excidere. Idcirco in poſterum ab ipſis abſtinere decreui, quamuis nullum adhuc ex ipſis viderim accidere incommodum, ſed priora ſunt magis tuta, licet cycliſcorum vſus, & ipſe omni vitio careat, quando oſſa non valde ſunt firma, quia videlicet ictus vi vehementer fuerint mota, tunc enim ſatis eſt leuis percuſſio, & illud etiam non contemnendum habet, quod breui tempore multa oſſis portio aufertur, vt in magnis fracturis admodum videatur opportunus earum vſus. vnde Gal. loco citato: Mihi igitur hic quoque placet, ſi magnæ ſint fracturæ, & oſſa, quæ fracta ſunt, vehementer mota, clycliſcis vti, quippè facies paucis exciſionibus lenticulatis exciſoriis locum. Et Auic. loco citato: Et ſi os fuerit debile ex natura ſui, aut ex fractura quæ accidit ei, tunc oportebit, vt auferas ipſum cum inciſoriis, ponendo quædam contra alia, & incipiendo ab eo, quod ex eis eſt latius, deinde fiat permutatio ex eis ad inciſoria ſubtilia, deinde peruenias ad capillaria. Et adminiſtra facilitatem in perforatione, vel inciſione, & percuſſione, vt non lædatur caput, & inquietes ipſum.

De ſcalpris lenticulatis.

Lenticulatis tamen cycliſcis vti opus erit poſt vſum ipſius terebræ, dum relictæ fuerint aculeatæ quædam aſperitates, & cuſpides in ſecunda lamina, quæ membranam, dum attollitur, & carnem, quæ ſubnaſcitur, pun-

pungerent, nullumque imminet ex percuſſione cum malleo commotionis cerebri periculum; poſteaquam leuis neceſſaria eſt percuſſio. Et cum curaueris eos, dicebat Auic. tunc oportebit, vt æques aſperitatem oſſis capitis, quæ fit ex inciſione, & concauatione, aut cum lima, aut cum aliquo inciſoriorum, quæ ſimilantur cultello paruo, poſtquam poſueris infra, vel ſubtus inſtrumentum, quod cooperit ſiphac, & ſeruat ipſum. Et paulò inferius laudat lenticulatos ſcalpellos Galeni. Volſellis deinde quod exciſum eſt, aufertur. Poſſent etiam eleuatorio inſtrumento frangi illa ſpicula, & dein volſellis auferri. Sed ferè neceſſarius eſt cycliſcorum lenticulatorum vſus, quando multa oſſis portio eſt auferenda, vt contingit in magnis contuſionibus, nam vel terebra, vel alio modo parato ad membranam aditu, licet lenticulatum exciſorium immittere, & quod commotum eſt, totum facili negotio demere. Et hoc eſt, quod innuebat Gal. cum dicebat: Quippe paucis exciſionibus facies lenticulatis exciſoriis locum. Verum de inſtrumentis, quibus vtimur in caluariæ fracturis, inferius magis diffusè pertractabimus.

De rima ad ſuturas.

Si rima ad ſuturas facta fuerit, ſiue quia ipſa oſſis ſubſtantia ſit diſrupta, ſiue quia ictus vi diſſoluta ſit ſutura nam & hanc ſuturæ diſſolutionem rimam appellat Hipp. lib. de vuln. cap. text. 17. & materia quidem aditum, ſed nequaquam exitum habeat, os perforare oportet & vtraque ex parte ſuturæ, ad latera videlicet, quoniam etiam ex vtraque parte poteſt deſcendens materia negotium facere, iu ſutura verò propter ligamenti exquiſitum ſenſum fugienda terebratio. Quòd ſi rima ſit in ipſa ſutura, quamuis ad internam oſſis ſuperficiem non perueniret, nihilominus terebrandum eſſet, & ab vtraque parte ſuturæ intacta ipſa ſutura, quoniam fugienda eſt abraſio, ſicuti & terebratio in ſuturis, ne ob interiacentis ligamenti lacerationem dolores, inflammationes, ac febres contingant, & alia mala, communicata ligamenti illius inflammatione cum dura meninge, ideo Hip. de vuln. cap.

nu. 27. Verum ipſas ſuturas perforare non oportet, ſed ſecendendo in propinquo oſſe perforationem facere, ſi perfores.

De rimis quæ longius excurrunt.

Quoniam verò rimæ longius interdum excurrunt, quod tironem poſſet ancipitem reddere, monendus eſt hac in parte, raro longe extendi rimas, quæ non penetrant. Quòd ſi ita ſit, non expedit totam rimam perſequi, atque totum os rimam continens nudare, ſed ſatis erit maiorem fracturæ partem detegere, neceſſariaſque moliri perforationes, ſic enim quod reliquum eſt fracturæ cute obtectum callum contrahet. Nec me vnquam fefellit talis curandi ratio, etſi multum fracturæ ſub cute lateret, & os etiam introceſſiſſet. At ſi rima haud penetret, vt ob id terebratio locum non habeat, tota detegenda eſt, atque ſcalpris delenda, nam ſi quid ipſius relinqueretur, mortem inferret aliàs allatis de cauſis. Si tamen eo rima tenderet, vbi periculoſæ ſunt ſectiones, puta ad temporalem muſculum, totum os rimam habens non eſſet denudandum, verùm ne rima ſub cute latens necem afferat, perforare os oportebit in rimæ cute obtectæ finibus. Ita membranam ab omni labe præſeruabimus.

CAPUT XXXII.

De curatione vulnerum capitis cum ſede teli.

VBi vulnus capitis contigerit cum ſede teli, craſſitiem tamen oſſis totam non penetrante, ſi certum eſſet, nullam additam eſſe rimam, vel contuſionem ipſi ſedi, ſed ſimplicem adeſſe ſedem, vtique curandum eſſet vulnus, ſicuti ſi fractura non adeſſet, ſi enim patet aditus materiæ, patet etiam egreſſus.

Abradenda ſedes.

Verùm, quantùm raro poſſumus pro certo habere ſimplicem eſſe ſedem, idcircò ad exquiſitiorem veritatis cognitionem ſatius eſt ſemper ſedem ſcalpris abraſoriis delere, vt manifeſtum fiat, num etiam adſit rima, vel contu-

tuſio. Vnde Hippoc. lib. de vulnerib. cap. text. 21. Et ſi ſedem teli in oſſe videris, tum ipſam teli ſedem radere oportet, tum ambientia ipſam oſſa, ne ſæpè ad ſedem ruptio accidat, & contuſio, aut ſola contuſio, & deindè lateant, cum non conſpicua exiſtant. Quòd ſi nulla rima, vel contuſio comperiatur, vel ſi adſit, & ipſa deleatur abraſoriis ſcalpris, de cætero curandum erit vulnus, ac ſi ſine fractura oſſis contigiſſet. Si verò rima deleri non poſſit, & contuſio fuerit inſignis, ad perforationem res deuenit, vt ſuperiùs explicatum eſt. Quòd ſi teli ſedes totam oſſis ſubſtantiam penetrauerit, tunc vel eſt patens, vt detur materiæ exitus, vel non, quod oculis ipſis diiudicari poteſt, namque ſi membrana inſpici poſſit, & eius motus deprehendi, ſatis patens eſt ſedes, idcircò de cætero curandum erit vlcus, ac ſi terebris os fuiſſet perforatum: ſi verò non ſatis patens ſit, quod tamen raro euenit, vel ſcalpris abraſoriis erit magis ampla reddenda, vel terebris ſufficientes perforationes moliri conueniet ad ſaniei expurgationem, veluti de rima penetrante ſuperius dictum eſt, & ſimiliter curandum erit vulnus. Si verò ſedes teli fuerit punctim ferientis, eaque totam oſſis ſubſtantiam non penetrauerit, abraſoriis ſcalpris tollenda erit. Si verò totum os penetrauerit, vel rotunda lima ſufficienter ampliandum oſſis foramen, vel terebra os perforandum ſic, vt foramen à telo factum comprehendatur à terebra, & auferatur oſſis portio, in qua reperitur foramen à telo factum.

Sed quod de rima dictum eſt, & de ſede ipſa intelligendum; quando enim multa oſſis portio diſſecta eſt, vel ſedes teli ſuturam comprehendit, os excidendum, & detegenda membrana; aliter periculum imminet, ne per relicti oſſis nimis tenues poros ad ſubiectas partes deſcendat materia.

CAPVT XXXIII.

De curatione vulnerum capitis cum oſſis contuſione.

SIcuti difficillimè cognoſcitur oſſis colliſio, ita cognita facillime curatur, ſatis enim eſt tantùm oſſis colliſi auferre, vt prauis halitibus, atque ichoribus, qui ſanum os corrumperent, & in cauſa eſſent, vt mala affectio cum meningibus, ac cerebro communicaretur, detur exitus. Hac enim ratione lethalis eſt oſsis colliſio, proinde etiamſi certas notas colliſi oſsis non habuerimus, ſed probabilia tantùm argumenta, nihilominus vt vulneratum ab omni periculo vindicemus, ita inſtituenda eſt curatio, ac ſi pro certo haberemus colliſum os eſſe. Ex hac enim prouidentia nihil detrimenti prouenit, & ea prætermiſſa, ſi fortè adfuerit, imminet lethalis calamitas.

Os abradendum ad ſanum in colliſionibus.

In colliſionibus igitur os colliſum abradendum, donec in vno, vel pluribus etiam locis, ſi colliſio fuerit amplior, ad ſanum perueniamus. Ita nimirum prauis halitibus, atque ichoribus liber patebit exitus. Et hoc inſuper habet abraſio, quòd colliſionem, & colliſionis quantitatem ſimul detegit, ac curat, vt nulla ratione ſit omittenda. Vbi ad meditullium abradendo peruenerimus, ſi ſanguinis veluti ſtillæ eruperint, ſignum eſt, ad viuum vſque os fuiſſe exciſum & proinde finem facere oportet. At ſi à meditullio nihil erumpat ſanguinis, totam oſsis ſubſtantiam colliſam eſſe arguendum eſt, atque ad perforationem deueniendum, & in vno, vel pluribus locis perforandum, prout amplior, aut minus ampla fuerit colliſio. Huiuſce curationis ratio ex incommodis, quæ colliſio inuehit, eſt petenda. Quippe ob colliſionem conſtipantur oſsis pori, itaque prohibetur euentatio, prauique halitus ſupprimuntur; retenti autem totum os inflammant, & corrumpunt. Cum verò dura meninx pluribus ligamen-

Cur abradendum in colliſionibus.

mentis, & venulis etiam oſsi ſit adnexa, primò ex infecti oſsis contactu moleſtiam percipit, caloremque præternaturalem contrahit, natura verò vt rem moleſtantem expellat, cum primis conatibus nihil profecerit, ſpiritum, & ſanguinem in affectum locum exprimit, atque ita fit inflammatio, & ob vicinitatem tenuis quoque membrana, ac cerebrum ipſum in conſenſum trahitur. Amplius, corrupto oſſe neceſſe eſt vnaquæque ligamenta, quæ duram meningem oſsi alligant, & venulas etiam putreſcere, inde exudant ichores praui, ac purulenta materia, quæ ſupra duram meningem collecta quantum negotii faceſſat, nemo eſt qui ignoret. Interdum diſrumpuntur venulæ, teruntur que carunculæ in meditullio exiſtentes, & effuſus ſanguis vnà cum ipſis carunculis putreſcit, purulenta verò hæc materia totum os corrumpit, tandemque malè afficiuntur membranæ, ac cerebrum. Hinc praua ſymptomata, & mors denique, rariſsimè enim viſum eſt cum iis quempiam euaſiſſe.

Vtilitas abraſionis in colliſione.

Si igitur, quando totum os non eſt colliſum, abradatur vſque ad os viuum, redditur perſpiratio, nec poſſunt praui halitus, neque ichores ſupprimi, perbelleque ſanum os à corruptione præſeruatur. Si verò totum os ſit colliſum, ac perforetur, præpeditur materiæ ſub oſſe collectio, atque ipſius membranæ inflammatio. Hinc Hipp. lib. de vuln. cap. in colliſione os perforat, & Gal. 6. Meth. vlt. quod contuſum eſt, excidendum dicebat, idque vel terebellis prius in circuitu perforatam, mox deinde ſcalpris admotis, vel protinus ab initio cycliſcis.

Si vt colliſionem vel teli ſedem tollamus neceſſarium ſit multum de oſſe abradere, vt tranſpirationis periculum vitemus, neceſſarium erit totum os excidere, ac perforare.

CAPUT XXXIV.

De ſimplici introceſſione.

SImplex oſsis introceſsio, vt ſuperius dictum eſt, in ſolis puerulis contingit, atque ſi nullum prauum ſymptoma inuehat, opus naturæ committendum, quæ ad priſtinum ſtatum ſolet os depreſſum breui tempore deducere. At, ſi praua ſymptomata ſint adnexa, ſignum eſt, aut ingentem eſſe depresſionem, aut diſruptam fuiſſe aliquam venulam ſub oſſe, & effuſum ſanguinem. Quorum vtrumque eſt valdè periculoſum, ſanguis enim extra proprium locum exiſtens neceſſariò ſuppurat, vnde dolores, & inflammationes, & febres, & alia mala, & mors tandem. At ſi depresſio ſit ingens, fluxionis periculum imminet, natura enim, vt rem moleſtantem expellat, ſanguinem, & ſpiritus in partem affectam exprimit, vnde inflammatio. Poteſt etiam oſsis ſpiculum membranam pungens eſſe in cauſa ſymptomatum, quod adhuc eſſet magis periculoſum, ſed tunc non eſſet ſimplex introcesſio. Opus eſt igitur quamprimum terebram admouere, & oſſi in ſuo loco exiſtenti, admota enim ei, quod introcesſit, magis ipſum deprimeret. Sed tamen propè illud, quod depreſſum eſt, vt nihil oſsis ſani inter exciſionem, & os depreſſum intercidat, quod oſsis depresſi eleuationem, quæ vecte per oſsis foramen immiſſo fieri debet, interpellaret, ita quoque parabitur exitus collectæ, aut colligendæ ſub oſſe materiæ.

CAPUT XXXV.

De curatione vulnerum capitis cum altera introceſſione.

HActenus ſermonem habuimus de ſimplicibus cranii fracturis, tempus eſt, vt ad compoſitas tranſeamus; &

& quamuis, quid in ipſis ſit agendum, ex iis, quæ de ſimplicibus dicta ſunt, colligi haud ſit difficile, attamen ad vberiorem doctrinam etiam de aliquibus compoſitis fracturis agere decreuimus, cuiuſmodi eſt introcesſio, quæ compoſita eſt ex contuſione, osſis egreſſu à propria natura, & rima. His etiam quandoque additur fruſtulum osſis membranam vellicans, &c. Vbi igitur os introcesſit, vel id eſt cum fiſſuris obſcuris, paucis, aut multis, vel cum fiſſuris patentibus multis, vel paucis. Si fuerint multæ fiſſuræ patentes, ita, vt os ſit ueluti diffractum, tunc uel ab oſſe ita depreſſo oriuntur ſymptomata, puta obcæcatio, ſtupor, coma ſomnolentum, delirium, dolor, & huiuſmodi, uel nulla: ſi hoc poſtremum, nullam operationem in oſſe moliri oportet, neque tentare oſſa eleuare, & auferre aliquo conatu, ne uenulæ diſrumpantur, cum enim exitus materiæ pateat, ſponte oſſa illa emergent, & expellentur à ſubnaſcente carne, unde Hip. lib. de uuln. cap. n. 25. Quæcunque uerò oſſa intro contuſa cedunt ex ſua ipſorum natura, rupta, aut etiam diſſecta, ualdè ampla, talia minus periculoſa ſunt, ubi membrana ſana fuerit. Et quæ pluribus fiſſuris, & amplioribus intro rupta ſunt, adhuc minus periculoſa ſunt, & ad detractionem faciliora fiunt, & nullum ex talibus perforare oportet neque periclitari oſſa auferre conando, priuſquam ſponte ſua emergant, priore forma exoluta; emergunt autem carne ſubnaſcente. Subnaſcitur autem ex duplicata osſis lamina, & ex ſano oſſe, ſi ſuprema osſis pars ſola fuerit corrupta. Sic uerò quam citisſimè, & caro ſubnaſci, & germinare poterit, ac oſſa emerſerint, ſi quis ulcus quam citisſimè ſuppuratum redditum, purum faciat. Etſi per totum os ambæ partes intro contuſæ ceſſerint ad membranam, & ſuprema oſſis pars, & inferna; ſi quis ſimiliter medeatur, ulcus celerrimè ſanum erit, & oſſa, quæ introceſſerint, celerrimè emergunt, & reuertuntur.

Quo-

Os, quod introceſſit cum fiſſuris patentibus. non eſt auferendum, niſi praua excitet ſymptomata.

Quocirca, vbi adeſt introcesſio cum patentibus hiſce fiſſuris, niſi os facili negotio auferri posſit, pene à reliquo oſſe ſeparatum, nunquam auferendum, immo etiam ſi facile auferri posſit, modò nihil incommodi ex eo accidat, ſatius eſt relinquere, vt ſponte emergat, gerit enim vicem operculi ſubiectæ membranæ, vnde cum non adeo ſit denudata membrana, minus erit ambientis iniuriis expoſita, & hac de cauſa etiam dicebat Hip. loco ſupra citato: Neque periclitati oſſa auferre conando, maius enim imminet periculum, dum ſtatim membrana denudatur penitus. Si verò ab oſſe depreſſo ſymptomata exoriantur, quam primum os eleuare oportet, & fruſtula pungentia, ſi quæ adſint, auferre; ſi verò ſola adſit compresſio, eleuentur oſſa depreſſa, quibus eleuatis ſi non pateat ſufficiens exitus materiæ, diffracta oſſis fruſta auferenda, ſi fieri posſit citra terebrationem, quod aſſequimur, vbi inter oſſa diſtracta poſſumus vectem, vel quid ſimile immittere, ſi vectis immitti nequeat, opus erit in ſana parte iuxta depresſionem os terebrare vno, vel pluribus locis pro quantitate oſſis depresſi, nunquam enim apponenda terebra penitus ſuper os diffractum, ne membranam comprimamus, cum os diffractum comprimenti cedat. Ita autem ſoleo terebram apponere, vt etiam aliquid de oſſe depreſſo, niſi nimis ſit diffractum, comprehendat, vel ſaltem rimam complectitur, hac enim ratione faciliùs poſtea eleuantur oſſa eleuanda, & ſi qua auferenda ſunt, auferuntur. Profecto vbi rimæ ſint ita patentes, vt vectis intromitti posſit, abſque terebatione eleuantur oſſa, & auferuntur etiam non rarò, aliàs neceſſarium eſt ad terebrationem confugere, vt vectis ad os depreſſum aditum habeat: vbi verò vectis intra hiantem rimam immittitur, cauendum tibi eſt, ne dum eleuare os ex vna parte contendis, ex altera os depreſſum, & fractum rurſus deprimas, ſed vi manuum totum opus peragatur. Cum mihi quandoque deeſſent terebræ, os in ſui natura exi-

exiſtens iuxta illud, quod introceſſerat, ſic abraſi, vt hoc ſupereminеret, dein vecte tenuiſſimo os eleuaui, & exemi etiam. Si rima adeò pateat, vt per ipſam lenticulatus ſcalper immitti poſſit, facile os diffractum, ac depreſſum exciditur. Verùm de oſſis exciſione inferiùs diffusè pertractabitur.

Si os introceſſerit cum obſcuris fiſſuris terebrandum.

Si verò os obſcuris fiſſuris introceſſerit, ad terebrationem deueniendum, & vno, vel pluribus locis iuxta os depreſſum in parte ſana os terebrandum, pro quantitate videlicet depreſſionis, vt materiæ detur exitus, & os etiam depreſſum confeſtim eleuandum, ſi ſymptomata adfuerint; his enim abſentibus, nihil eſt, quod cogat, vt ipſum vi adhibita eleuemus, ſatis enim eſt, vt materia exitum habeat. Oſſa namque ſua ſponte poſtea emergunt. Quod ſi rimæ longius excurrentes ſimul adfuerint, quod de rimarum curatione ſuperius dictum eſt, inſuper animaduertere oportet. Facta idonea operatione in oſſe, de cætero vulnus curare oportet, prout opportunum fuerit, de qua quidem curatione poſterius. Quotieſcunque verò os introcedens ſeparatum eſt ab eo, quod in ſui natura permanſit, ſemper os quamprimum amouendum, aliter vt calore vitali orbatum, & mala qualitate affectum, ſubiectam membranam, male afficiet; quod ſi inſuper pungat, aut premat, quod potiſſimum contingit, quando oſſis portio à reliquo oſſe diſiuncta ſub cranium ingreditur, omninò tales oſſis portiones ſunt auferendæ, & quam primum, & ſi opus fuerit etiam os ſanum, quod ſubintrauerunt, perforandum.

De camaroſi.

In camaroſi verò, niſi qua alia fractura in proximo oſſe exiſtat, vel ipſa ſit magna, nulla requiritur in oſſe operatio, contraria enim eſt hæc fractura introceſſioni; & ſi telum per fracturam habuit exitum, tanto magis materia exitum habebit. Si tamen eſſet aliqua oſſis portio à ſano oſſe omnino, aut fere ſeparata, & ipſa remouenda eſſet.

CAPUT XXXVI.

De ſubſtantiæ oſſis defectu.

SI à telo ſecante abſciſſa fuerit oſſis portio, & quidem abſque membranæ detectione, quam fracturæ ſpeciem barbaram ſectantes medicinam appellant aberiam, ſiue angin, neque tamen penitus diſſecta fuerit cutis, ſed pendens aliqua ex parte os diſſectum contineat, neque alia fuerit in oſſe fractura, os abſciſſum tanquam mortuum à cute ſeparandum, & auferendum; & ſi forſan quidpiam oſſis ſpiculum affuerit in loco, vbi illa oſſis portio fuit abſciſſa, ſcalpris auferendum, dein abſterſo ab omni extraneo vulnere, cutis diſſecta ad proprium locum reducenda, atque ſuenda, penitus quidem, ſi à telo ſimpliciter ſecante vulnus contigerit, nec extranei quidpiam intra vulnus contineatur: latius verò ſi etiam à contundente, aut quidpiam extranei ſit intra vulnus, indeque curandum erit vulnus, veluti ſi in carne factum fuiſſet.

At ſi non exigua oſſis portio ſit detracta, vel ad ipſas ſuturas, tutius conſilium eſt os penitus excidere, periculum enim eſt tranſpurationis ipſius oſſis. Si vero os fuerit diſſectum ſecundùm totam ſubſtantiam, ita, vt detecta conſpiciatur membrana, pariter os diſſectum auferendum, & cutis reducenda; verùm ſi inſignis portio membranæ fuerit detecta, vt periculum ſit, ne a cute ſuper inducta comprimatur, antequam reducatur ad proprium locum cutis, ſuper cranium imponenda eſt lamina, ſiue plumbea, ſiue argentea, ſiue aurea, parum refert, quæ impediat, quo minùs ſuper impoſita cutis decidat, ſuper membranam indeque ſuperinducenda cutis, non tamen ſuenda, ſaltem penitùs, ſed ſecundùm aliquam partem tantum. Lamina poſtea erit auferenda, vbi caro cooperuerit membranam.

Refert

Refert tamen Carpenſis patrem ſuum quendam curaſſe, cui totum ferè os frontis fuerat diſſectum, ſublato oſſe, & cute ſuper oculis pendula ad proprium locum reducta, & penitus conſuta, abſque laminæ impoſitione, & hic vulneratus duodecim diebus conualuit, agglutinato vulnere. Semper tamen perceptus eſt motus dilatationis, & conſtrictionis in fronte. *Hiſtoria.*

Huc referri quoque poteſt caſus à Fallopio allatus ſuo de vulneribus cap. lib. de illo ſeruo hoc pacto vulnerato, ſed inſuper cum abſciſſione portionis cerebri, qui à Scholare ipſius Fallopii curatus eſt abſque laminæ impoſitione. *Hiſtoria altera.*

Sed vbi periculum eſt, ne decidat cutis ſupra membranam, & cerebrum, temeraria eſt curatio. Semper autem antequam cutis ſuperinducatur, videre oportet, ne adſint in oſſe aliquæ partes aſperæ, & pungentes. Huiuſmodi ſiquidem remouere oportet vel ſcalpris abraſoriis, vel lenticulatis, aut forcipe incidente, prout oportunum viſum fuerit. Quod ſi non os ſolùm, ſed cutis quoque ſuperpoſita penitus ſit abſciſſa, animaduertere oportet, ne, quæ vulneri ſuperponuntur, membranam omni tegumento deſtitutam comprimant: Vnde hic maximè locum habebit laminæ tenuiſſimæ ſuperpoſitio minutis foraminibus pertuſæ: Non ſit tamen nimis lata, ſed ſolum modo quantum ſatis ſit ad membranæ protectionem, quo ad libitum poſſit extrahi.

CAPUT XXXVII.

De oſſis fractura in parte interna, & in alia parte à vulnerata.

SI ſuſpicemur os fractum eſſe in parte interna illæſa quæ externa eſt, os ſimiliter perforandum, & latè membrana detegenda, cum enim ignoretur præciſè locus, in quo fractura exiſtit, neceſſe eſt maiorem oſſis portionem excidere, vel in pluribus locis perforare, vt fractura, ſi quæ ſubſit, ſub operationem cadat, vel ſaltem

proxima ſit oſſis foramini, vt ſi forte materia per ipſam ad membranam deſcendat, per foramen expurgetur. Similiter ſi contuſio ex ictu acciderit ſuturis, ita vt intermedia ligamenta, & vaſa contundantur, quamuis ictus non ſit in ipſa ſutura, ſtatim cutem ſecare oportebit, vbi læſio timetur, & cranium detegendum, vt conſpicuum fiat, num os colorem immutauerit, & ſutura naturaliter ſe habeat, & ſi læſio comperiatur, ſit locus operationi in oſſe, namque ſi talis adfuerit contuſio, vtraque ex parte ſuturæ, propè tamen ipſam ſuturam, os perforandum, vt hinc inde detur materiæ exitus. Eadem eſt ratio, vbi quis fortè oſſis fracturam deprehenderet in alia parte à vulnerata. Verum quidem eſt ſi quis exiſtimaret contractam fuiſſe ſimplicem rimam in altera parte à vulnerata, inſtituendam eſſe curationem eo prorſus modo, quem trademus, vbi de fracturis cranii integra cute pertractabimus. Sed quoniam plerumque aliud eſt adiunctum, idcirco ſatius eſt, facta ſectione, os detegere, & perforare.

CAPUT XXXVIII.

De materia ſub cranio contenta.

QVotieſcunque ſeſe oſtenderint ſigna materiæ ſub cranio contentæ quacunque in parte id fuerit, ſtatim opus eſt ad oſſis perforationem deuenire, vt quamprimum educatur materia, & abſtergatur membrana, ne ex contactu materiæ putreſcat, atque ſi vnico facto foramine, materia non inueniatur, alio in loco os perforetur, atque ſi nec ſic materia reperiatur, ſuſpicari poterimus, eandem ſub dura meninge contineri, quam quidem ſuſpicionem augebit membranæ tenſio, & quoniam caſus deſperatus eſt, cogitandum eſt de ſectione duræ meningis, qua facta, diuiſio illa ſpecillo, vel alio huiuſmodi amplior reddenda, vt tenuis meninx inſpici inſuper poſ-

poſſit. Non eſt autem temerè properandum ad hanc ſectionem, ſed cunctis prius diligenter prælibatis, vtpote an ex læſione in alio loco exiſtente poſſint prouenire ſymptomata: & an in parte, in qua ſecare membranam paramus, aliquid ſenſerit vulneratus, ex quo ſubeſſe materiam poſſimus ſuſpicari. Atque facta hac ſectione curandum deinceps erit vulnus, ac ſi cum læſione duræ meningis contigiſſet, & piæ quoque matris, ſi forte aliqua affectio fuerit in ipſa reperta.

Qua ratione conſulatur materiæ contentæ abſque oſſis exciſione, oſſe minime vitiato.

Si tamen os integrum, & ſanum foret, abſque oſſis exciſione ſperari poſſet collectæ materiæ reſolutio per ea, quæ digerendi, & euacuandi vim habent capiti appoſita, modò inflammationis generatio prohiberetur: & Galenum comperio non aliter hunc caſum tractaſſe, quam inflammationem arcentibus, & iis, quæ materiam collectam digerendi, & euocandi vim habent capiti applicatis, dicebat enim 2. de comp. med. per gen. 2. Contingit autem non parum ſæpe in caſu præſertim ex ſublimi facto, vt quædam citra cerebrum, aut membranas eius, partes abrumpantur: quod vbi contingit, etiam ampliùs capitis dolor inualeſcit, ipſáque affectio tota ægre curabilis redditur. Optimum itaque fuerit in his, niſi ætas prohibeat, & niſi vitalis facultas debilis appareat, à venæ ſectione curationis initium facere, & conuenientibus capitis irrigationibus ſubinde vti, ex lana nimirum oleo dulci imbuta, capiteque ex ea contecto. Quod ſi quidpiam horum, ſiue ætas, ſiue virium imbecillitas, aut etiam ambo ſimul ſanguinis detractionem fieri præpediant, aluum per clyſterem euacuabimus, tum vt ſuperflua in ipſo excrementa retrahamus, tum vt humores, qui ad affectas partes inde fieri conſueuerunt, reuellamus, atque inde auxiliis ad inflammationes commodis vtemur. Non enim exiſtimandum eſt, voluiſſe Gal. vt, oſſe fracto exiſtente, talis inſtitueretur curatio, quippe qui aliàs fracturarum, quæ in caluaria ſunt, manualem tractationem docuerat.

De digerentibus, & euocantibus materiam.

Et ſi autem fractum ſit os, tentanda tamen etiam eſt contentæ materiæ digeſtio, & ad externas partes euocatio. In quo quidem opere peragendo non eos ſectarer, qui lintea aqua ardenti imbuta parti apponunt, aut factitio balſamo caput totum, deraſis capillis, inungunt, hæc enim ob inſignem calefaciendi vim, qua prædita ſunt, promptè admodum phlegmonem concitant, ſed iis vterer, quæ digerendi quidem, & euocandi, ſed & repellendi vim haberent, iis additis quæ ad penitiores partes vim medicamentoſam deferant. Ob id conficere emplaſtrum conſueui ex camæmeli, meliloti, & roſarum rubearum floribus, anetho, fænugræco, ſeminis lini, betonica, ladano, gummi Elemi, ammoniaco, galbano, terebinthina, oleo roſ. comp. myrtino, farina hordeacea, & poſca acetoſa, aut vino rubro adſtringenti, ſed paucifero. Non minùs confert fotus ex vino rubro adſtringenti, ac paucifero, in quo bullierint flores camæmeli, roſarum rubearum, betonica, ſaluia, lauri folia, nuces cupreſſi, anethum, ſantali, calamus odoratus, & huiuſmodi alia, additis roſaceo, & liliorum, ſeu irino oleo. Omnibus tamen eiuſmodi cautè vtendum, & magis in tempore calido, & conſimili natura ob phlegmonis periculum. Intereà vtemur iis, quæ ad nares, aut fauces, & aures euocant, ſi fortè natura eò inclinauerit. Hinc vtemur gargariſmatibus ex decoctione hordei, capilli veneris, hyſſopi, origani, addito ſireo, melle roſaceo, & huiuſmodi. Errhina paramus ex aqua hordeacea, ſucco bliti, & amaraci, ac ſaccharo rubro, addimus interdum aquam cyclamini. Nares inungimus oleo amyg. dul. & butyro recenti, ac adipe gallinæ, eademque in aures inſtillamus.

CAPUT XXXIX.

De inſtrumentis, quibus vtimur ad oſſis detractionem, & qua ratione os ſit detrahendum.

QVoniam igitur pluribus de cauſis os perforare, atque eximere cogimur, nempe, vt os, vel quid aliud compri-

primens, vel pungens, vel aliter male afficiens duram meningem, aut etiam ſubiectas partes, auferatur, & vt materiæ ſub oſſe collectæ, aut cuius collectio impediri non poteſt, idoneus paretur exitus, ipſique membranæ male affectæ ſuccuratur, operatio autem hæc eſt maximi momenti, ſi quidem fit in finem neceſſarium, & in parte nobilisſima, quamuis enim in oſſe fiat ſenſus experte, inſtrumentis tamen perficitur, quæ vnà etiam ſubiectas osſi partes incidere, aut lacerare poſſunt, & totum etiam cerebrum commouere, ſi imprudenter fuerint tractata, vnde ſi committeretur erratum, interitum potius, quàm ſalutem afferret; idcirco vt ſuum finem tuto conſequatur, in primis idonea inſtrumenta, quibus opus noſtrum perficiamus, ſunt deligenda, dein diligenter conſiderandum, quo in loco ſit perforandum, & excidendum os, & quantum oſſis ſit extrahendum, quomodo ſit facienda operatio, & tandem quo tempore. Namque, ſi inſtrumenta fuerint ex iis, quæ ſecuritatis dicuntur, quorum videlicet vſus & tutus eſt, & manibus periti artificis tractentur, & conuenienti modo fiat operatio, nulla inferetur noxa, ſi verò in conuenienti loco fiat perforatio, & tantum oſſis detrahatur, quantum detrahi eſt neceſſarium, & quando, opus eſt, id fiat, proprio fine non fruſtrabitur. Innumerata propemodum ſunt inſtrumenta, quæ ab antiquis, & recentioribus in cranii fracturis proponuntur, ſed nos ea tantum ſeligemus, quæ magis fuerint ex vſu. *Animaduertenda in oſſis excisſione.*

Occurrunt igitur primo ſcalpri abraſorii dicti, qui os abradendo eximunt, & in duplici verſantur diſcrimine, alii ſiquidem dum circumvolvuntur, opus ſuum perficiunt, alii vero dum attrahuntur, & remittuntur, quibus etiam utimur ad rimas, quæ non penetrent, delendas, & hi proprie radulæ dicuntur, Gal. 6. Meth. 6. ſcalpellos anguſtos appellat, ſuntque diverſarum formarum, priores ad appellata trepana, ſeu trapana reducuntur, idcirco de ipſis inferius agemus. Radulæ igitur totum ad *De ſcalpris.*

mem-

membranam usque os eximunt, ſed longum eſt opus & medico, atque ægrotanti laborioſum, & idcirco rarus eſt ipſarum uſus ad oſſis perforationem.

Secundò ſe ſe efferunt ſcalpri exciſorii dicti, quorum alii recti ſunt, alii vero caui, & lunati, ac veluti ſemicirculares, & ob cycliſci appellantur. Et qui recti ſunt alii in extrema ſui parte, ſeu in ſummo aciem habent, alii vero in latere; ex his aliqui præterea habent in ſummo lenticulam ferream, quæ prohibet, ne ab acie ſeu mucrone ſcalpri offendatur membrana, & lenticulati ſcalpri dicuntur, aliqui vero veluti globulum, miliores ob id appellati. Recti ſcalpri aciem in ſummo habentes parum ſunt ex vſu; cum enim omnes ſcalpri exciſorii os detrahant, malleo quodam plumbeo percusſi, qui recti ſunt penitus in os ſe ſe inſinuant, quo fieri poteſt, vt plus iuſto ipſum diſſecent, quod non eſt de cycliſcis, nam diſſecando ſuperficiem oſſis apprehendunt, non toti in os adiguntur, & in modum canaliculi os excauant, & propterea maximus erat eorum vſus apud antiquos, & maximè à Galeno probantur 6. Method. 6. Sed quoniam dum malleo valde percutiuntur, concutitur immodice caput, quod eorum opus minus tutum reddit, idcirco eorum vſum Gal. tunc tantùm approbat, quando oſſa fracta vehementer ſunt mota, hoc enim in caſu leui opus eſt percuſſione, at quando oſſa ſunt firma, ad terebram confugit, vnde dicebat: Mihi igitur hic quoque placet, ſi magnæ ſint fracturæ, & oſſa, quæ fracta ſunt, vehementer mota, cycliſcis vti. Sin firma plurimum oſſa ſint, foranda terebella ſunt. Idem facit Auic. vt videre eſt 5. 4. tract. 3. cap. 1. Hiſce ſcalpris aliquando ſum vſus in magnis fracturis, in quibus multum osſis erat excidendum, vt opus breuiori tempore abſolueretur, & fœlici quidem cum ſucceſſu. Sed tamen animaduerti poſtea eorum vſum neſcio quid horroris præſeferre, & male apud plebem auditurum, ſi forte vulnerato eſſet intereundum, cum oſſa capitis videantur tractari, ſicuti à lapicidis lapides, & à

De ſcalpris exciſoriis.

& à lignariis fabris ligna, neque omnem penitus capitis concuſſionem poſſe euitari, & ideo in poſterum ab eorum vſu abſtinere decreui, niſi, quando aliter fieri nequeat, quamuis citra mallei opem manu ipſa poſſent impelli, ſed opus longum nimis, & laborioſum euaderet. Lenticulatis ſcalpris os integrum non perforamus, ſed ſolùm foramen præexiſtens magis amplum reddimus, & ſpicula, atque aſperitates omnes tollimus.

De terebris.

Occurrunt tertio terebræ, quarum varia eſt forma ſed eas omittemus, quæ illis ſunt ſimiles, quibus lignarii fabri ad ligna perforanda vtuntur, & iis, quibus vtuntur ollarum reparatores ad ollas fractas perforandas, vt per foramina filum ferreum immittant, quo ollæ fractæ partes connectantur, tanquam nimis rudes, & periculi plenas, etiamſi antiquitas eorum vſum non renuerit. Eſt igitur vnum terebrarum genus, quæ dum circumducuntur, os abradendo vſque ad membranam excidunt, earum aliquæ mucronem habent, & myrti foliis aſſimilantur, ſed aliæ ſunt curuæ, & plicatæ, ad oppoſitas tamen partes, vt referant literam S aliæ verò mucrone ſunt deſtitutæ, & ex his aliæ in ſummitate ſunt ad acutum nonnihil vergentes, aliæ vero obtortæ, & veluti circulares, ſeu ad vnguis ſimilitudinem; primò enim vtuntur iis, quæ mucronem habent, vt in os poſſint infigi, & vbi veluti fouea in oſſe facta eſt, in qua immitti posſint, quæ mucrone ſunt deſtitutæ, & circumduci, præterquam quod elabantur, ad ſecundas deueniunt, quæ ad acutum declinant, quibus tertiis parant aditum, quæ videlicet ſunt lunatæ, & his proſtremis opus complent. His ſæpius felicisſimè ſum vſus, & earum vſus eſt ſecurisſimus & maxime approbandus. Illud tamen ipſis obiici poſſet, quod exiguum relinquunt foramen in poſtrema oſſis parte, ſed facili negotio, ſi opus ſit, magis amplum reddi poteſt, namque relinquunt etiam os tenuisſimum circa foramen, vt vel eleuatorio in-

ſtrumento diſrumpi haud ægre queat, vel lenticulato ſcalpro excidi. Sunt aliæ terebræ, quæ ſerratæ dicuntur, ſunt enim veluti circulares quædam ſerræ, atque dum circumducuntur ſerratis dentibus erodendo os eximunt, chænicides Græcè dicuntur, Latinè modioli, eò quòd formam chænicis, ſeu modioli, quo metiri conſueuimus, referant, ex his aliæ in ſui medio habent infixum clauum cuſpide triangulari, vel quadrangulari præditum, & parum ſupra dentes ſerræ prominentem, tanquam polum ad firmandam ſerram, donec in os ſe ſe inſeruerit, vnde Celſus lib. 8. cap. 3. Modiolus ferramentum concauum teres eſt imis oris ſerratum, per quod medium clauus ipſe quoque interiore orbe cinctus demittitur, aliæ verò clauo hoc medio ſunt deſtitutæ, & proinde fœminæ ſolent appellari, quibus vtuntur, cum ad meditullium prioribus fuerit peruentum, ſi enim his vlterius progrederemur, prominente clauo membranam vulneraremus, antequam ſerratis dentibus totum os eſſet exciſum. Sunt tamen aliquæ ex his, quarum clauus ad libitum vi cochleæ retrahitur, vt vnico inſtrumento totum opus abſoluatur.

Animaduertendum tamen eas, quæ nudæ ſunt, hoc eſt, quæ non habent quidpiam, quod impediat, ne profundius mergantur, cum os exciſum fuerit, & membranæ occurrunt, valde periculoſas eſſe, oculatisſimoque Medico egere. Idcirco prudentiores terebras abaptiſtas, hoc eſt inemergibiles excogitarunt. Pluribus autem rationibus inemergibiles redduntur, vna quidem, ſi parum ſupra dentes ſupercilium apponatur, & ipſum ſerratum, cum ab hoc ſupercilio, & tanquam altera ſerra os adhuc ſit erodendum, quando modiolus totam oſſis crasſitiem fuerit prætergreſſus. Altera verò, ſi ſupercilium apponatur minimè ſerratum, ſed quod attolli posſit iuxta oſſis crasſitiem, ne cogamur varias terebras paratas habere pro varia oſſis crasſitie, quod etſi antiquis placuit, vanum eſt, & præterea fallax, eò quòd non posſimus vſquequaque

D. inſtrumentis ſecuritatis appellatis.

que

que eſſe certi, quanta ſit osſis crasſities. Vt autem ſupercilium ſtet immotum, quando in os incubuerit, aut beneficio cochleæ attolli debet, aut circulus addatur, quod vi cochleæ deſcendens priori incumbat, & immotum contineat. Hac etiam terebra ſæpe feliciter ſum vſus, prior tamen mihi ſemper magis arriſit, eius enim vſu magis expedita eſt operatio, cum ex poſteriori ſæpè cogamur ab opere deſiſtere, vt modiolum ad osſis crasſitiem aptemus. Tertiò impeditur immerſio, ſi terebræ apponantur duæ, vel tres, vel quatuor, veluti alæ aciem habentes, vt posſint excidere, quæ tamen ab inferiori parte, qua ſerræ dentes attingunt, ſint mucronatæ, & ſenſim ſurſum verſus latitudine excreſcant, conſtat enim ab alis iſtis terebram ſuſpendi, ne oſſe penitus exciſo, in membranam feratur. Huius quoque tutisſimus eſt vſus, neque vlla noxa membranæ poteſt contingere, niſi nimis imprudens, & ineptus fuerit operator. Aliis quoque modis prohiberi poſſet immerſio, ſed ſatis eſſe poſſunt iam poſiti, & vnuſquiſque proprio Marte alios excogitare poterit.

Sunt & terebræ non ſerratæ, quibus tutisſimè os perforamus, circomponuntur enim fiſtulæ ferreæ, vel in ipſa fiſtula inſculpuntur circumcirca crebræ veluti alæ inferius anguſtæ, latiores vero in ſuperiori parte, ita, vt ſenſim latitudo earum fiat maior, maxime acutæ, vt facili negotio excidant. In inferiori tamen parte non ſunt cuſpide præditæ, ſed flexæ, & planæ, vt ea parte ea ſolummodo abradere, nequaquam pungere valeant. In medio pariter fiſtulæ eſt clauus, qui ad libitum detrahi, vel attolli poteſt. Et his fere ſemper nunc vtor. Aliæ dantur terebræ, quæ non ſunt excauatæ, & os abradendo, perforant, non aliter, ac mox deſcriptæ. Sed priores mucronem habent, vt posſint in os infigi, & quaſi piramidalis formæ, ſecundæ mucrone ſunt deſtitutæ, & quaſi ouatæ, poſtremæ planæ ſunt, & non aliter, ac lima, deradunt, vnde & iſtæ ſunt ſecurisſimæ. Sed nimis, & ci-

De terebris non ſerratis

tra vllam vtilitatem eſſem longior, ſi vellem omnes terebrarum ſortes deſcribere. Satis eſt, quæ magis ex vſu, & fortaſſe magis accommodatæ ſunt, apponere. His addere poſſumus inciſorias forcipes, quibus oſſa comminuantur, & ad reddendum magis amplum foramen faciunt, nec non & ſerras rectas, quæ bandirolæ vulgo appellantur, vt quæ referant vexilli figuram, & recto ductu os erodendo ſecant, & in magnis fracturis, ſeu magnis oſſis denudationibus poſſunt eſſe ex vſu, ſatis enim tutus eſt earum vſus. Sed oportet, vt dentes ſint parui, & crebri, aliter immodice quatiunt caput. Hæc ſunt inſtrumenta, quibus os abſque periculo, modò conuenienter tractentur, licebit excidere: & vnuſquiſque ea deligere poterit, quæ ſibi magis arridebunt, & fracturæ propoſitæ magis videbuntur accommodata.

Quæ ſunt obſeruanda priuſquam ad oſſis exciſionem deueniamus.

Sed antequam ad opus deueniamus, neceſſarium eſt deligenter perpendere, quantum oſſis ſit excidendum, & num in vno loco tantum ſit perforandum, an pluribus in locis, quod etiam non parum conducit ad electionem inſtrumenti, hoc autem habebimus ex fine, cuius gratia os excidimus, tantum enim oſſis eſt excidendum, & tot in locis perforandum, quantum, & quot ſatis eſt, vt finem propoſitum conſequamur. Etenim ſi os perforamus, vt materiæ contentæ detur exitus, tantum oſſis eſt excidendum, quantum contenta materia requirit pro ſui expurgatione. Si vt pungens auferamus, tantum oſſis demere oportet, quantum requiritur, vt id quod pungit, auferatur. Si vt telum infixum extrahamus, quantum ſatis eſt, vt telum abſque noxa posſit extrahi, & ſic de reliquis. Verùm regula hæc adeo vniuerſalis non omnibus ſatisfaciet, & propterea in tironum gratiam ad magis particularia deſcendamus. Si os excidimus, quia per rimam cæcam in oſſe exiſtentem, aut per ſedem teli anguſtam materia purulenta ad ſubiectam membranam eſt fluxura, os circa totam fracturam demere oportet, vt reddatur ampla, & ita materia habeat exitum, modò tamen

men tota rima ſit detecta: quandoque enim rimæ longius ſub cute excurrunt, & longiſſimis ſectionibus opus eſſet, ſi totæ deberent reddi conſpicuæ, & in hoc caſu ſatis erit ſufficientem rimæ quantitatem detegere, atque amplam reddere, cum enim cutis ad reliquam rimam ſit integra, non poterit effatu digna materiæ quantitas ad membranam deſcendere, & ſi quà deſcendet, ad exciſionem factam à robuſta facultate expelletur, vnde Gal. 6. Meth. 6. Si verò fragmenta quædam longius excurrant, quemadmodum aliquando cernitur accidere, hæc proſequi ad finem non expedit: illud perſuaſum habentibus, minimè futurum, vt ex eo noxa ſequatur vlla, modò reliqua omnia ritè ſint peracta. Et paulo inferius hanc curandi rationem ſe fuiſſe ſequutum teſtatur: Nouimus, dicebat, aliquando ſincipitis os fractum: quod autem os huic protinus ſuccedit, temporis os vocatur, in quo ipſas ſquamatim compactas commiſſuras eſſe accidit In eo luculenta fractura longiſſime pertinebat. Quam ipſe equidem minime contingens, ſed tantum ſincipitis os excindens, hominem ſanaui ſic, vt nunc quoque multos iam annos viuat. Quod enim Gal. intelligat de fractura tecta, manifeſtum eſt, cum dicat, quod longiſſime pertinebat in os temporum, & eam contingere noluit, quoniam videlicet tecta erat, & oportebat muſculum temporalem ſecare. Eandem medendi rationem ſecutus ſum & ipſe ac ſemper fœlici cum ſucceſſu. Opus hoc perficere poſſumus & abraſoriis ſcalpris, & cycliſcis, & lenticulatis ſcalpris, & terebris. Abraſorii ſcalpri totum opus perficient, at cycliſci nequaquam, hi enim ſolummodo parabunt lenticulatis ſcalpris aditum, quibus poſtea operi finem imponemus At ſi abraſoriis ſcalpris ampla reddenda ſi fractura, latioribus primò vtendum, ſecundo loco anguſtioribus, & ſic deinceps, vt in ſecunda lamina iis, qui anguſtiſſimi ſint, vtamur, veluti Gal. docuit 6. Method. 6. & Auic. loco toties citato.

Si rimæ longius excurrant non ſunt detegendæ totæ.

Rectus vſus inſtrumentorum.

Quot in locis perforandum ſitos, aut quantum oſſis ſit exciden- dum.

At ſi terebris, agendum ſit, plures perforationes ad ipſam fracturam facere opus erit, & ita eas diſponere, vt vna alteram comprehendat. Tranſuerſi quoque paulo minus digiti ſpacium inter vnum, & alrerum foramen relinqui poterit, ſed eorum ſepta poſtea lenticulatis ſcalpris malleolo adactis excidenda. Amplum non minus reddet oſſis fracturam ipſa recta ſerrula, ſi multum oſſis fuerit detectum. Neque tamen ſemper eſt neceſſarium totum os ad fracturam excidere, etenim ſi plura foramina inter ſe circiter digiti ſpacio diſtantia parentur, reliquum fracturæ callum contrahent, quando os viuum fuerit, quod ſi quid ex eo ſit demortuum, à natura ſeparabitur, & hoc in dies experientia comprobat, & millies mihi feliciter ſucceſſit. Si quiſpiam non ſatis hac ratione curandi ſe tutum exiſtimet, os totum vſque ad meditullium eximat, inde foramina iam dicta moliatur. Ex quibus patere poteſt, quantum oſſis in propoſito caſu ſit detrahendum, quod enim de vna rima, & vna teli ſede dictum eſt, de pluribus, ſi plures fuerint, intelligi debet; namque omnes eadem ratione ſunt tractandæ, & ſi una quæpiam deſpiciatur, cum per eam ad ſubiectas partes poſſit ſanies deſcendere, ſemper cauſa mortis relinquitur. Si integrum os fuerit, & ſub eo uel ſanguis concretus, uel purulenta materia contineatur, quod de rima, & ſede dictum eſt hic proportione quadam locum habet: namque eò plus oſſis, uel pluribus in locis eſt excidendum, quò ampliorem locum ipſa materia occupauerit. Si os excidatur, ut infixum telum poſſit extrahi, totum fere, quod eſt circa infixum telum, eſt auferendum. Ad quod quidem præſtandum ferè uideo neceſſarium uſum cycliſci. Si ut membranæ denigratæ, aut corruptæ curam habeamus (nam & hac ratione os excidendum, ut inferius patebit) totum illud, niſi nimis amplum fuerit, quod denigratam membranam tegit, detrahendum. Si, vt quod eſt præter naturam, auferamus, totum illud, quod

quod eſt contuſum, & vehementer confractum, auferendum, vnde Gal. 6. Metho. 6. Sin cum contuſione aliqua, quod contuſum eſt, excidi debebit, & inferius. Quod vehementer eſt confractum, id totum eſt auferendum, hoc tamen intelligendum eſt, niſi nimis magna fuerit quantitas oſſis contuſi, vel confracti, non enim conuenit multam membranæ quantitatem ſimul, & ſemel denudare, & ambientis iniuriis exponere. Satis eſt, ſi nihil relinquatur, quod ſubiectis partibus moleſtiam afferat, & materia exitum habeat liberum, & membranæ procuratio haberi poſſit. Si quid enim relictum fuerit, natura tandem abſque vllo periculo ſeparabit, & ideo Celſus lib. 8. cap. 4. Cum tria illa propoſuiſſet, quæ nos cogunt ad os excidendum, detegendamque membranam, videlicet materiam contentam, os membranam, vel ſubiectas etiam partes comprimens, & eandem velut aculeis pungentibus vrgens ad quæ reduci poſſunt peregrina corpora, ſubiungit: His ita ſuccurrendum eſt, vt tamen quam minimum ex oſſe dematur. Et inferius cum propoſuiſſet rationem oſſis excidendi, ſubiungebat: Hoc genus curationis efficit, vt, qua parte fracta oſſa iam hæreant, ſolidentur, qua parte abrupta ſunt, ſine vllo tormento ſub medicamenti tempore excidant, ſpaciumque inter hæc ſatis illi magnum ad extrahendam ſaniem relinquatur, pluſque in oſſe propugnaculi cerebrum habeat, quam habiturum fuit eo exciſo. Sicuti autem non eſt neceſſarium, imo neque vtile totum os denudatum, etiamſi vehementer ſit contuſum, aut confractum, quando nimis magna fuerit oſſis portio, extimere, ita nec, ſi magna quantitas oſſis fracti ſub cute lateat, & etiam dimoueatur, tota illa cutis eſt ſecanda, & os ad exciſionem nudandum, ſed nobis ſatisfaciat vulnus ſufficienter amplum, & idonea foramina præparaſſe pro materiæ expurgatione in detecto oſſe, ad quæ materiam noxiam à proximis partibus tranſmittere non erit naturæ difficile propugnaculo illo naturalis tegumenti minime deſtitutæ, & hoc eſt, quod

Non ſemper detrahendum totum os vitiatum.

quod dicebat Galenus ſexto Method. ſexto. Quod vehementer eſt confractum, id totum eſt auferendum. Si verò ab eo fragmenta quædam longius excurrant, hæc perſequi ad finem non expedit (inquit, non expedit, non autem; non eſt neceſſarium) illud perſuaſum habentibus, minime futurum, vt ex eo noxa ſequatur vlla, modò reliqua omnia rite ſint peracta, nos enim non ſemel, aut bis, ſed planè perſæpe ſic facientes voti compotes fuimus.

De oſſis excisione in magna eius contuſione.

Si ergo magna quædam oſſis portio fuerit ſolummodo contuſa, & in contuſi oſſis medio, & circumcirca ſiant foramina, vt omni ex parte materia habeat exitum. Et ſi effatu dignum interuallum inter foramina relinquatur, lenticulatis ſcalpris excidendum ſeptum, quod eſt inter foramen in medio exiſtens, & ea, quæ in circuitu ſunt. At ſi vehementer confractum ſit os, & in magna quantitate, vel eleuatorio inſtrumento, vel lenticulatis ſcalpris portiones plures confracti oſſis detrahantur, & eæ præſertim, quæ magis à reliquo oſſe ſunt ſeparatæ, & in quali bet fracturæ parte. Et hæc de quantitate oſſis detrahendi.

Vbi fugienda ſit terebratio, & abraſio.

Sciendum tamen, non æque ſecuram eſſe oſſis detractionem in qualibet caluariæ parte, immo in aliquibus partibus omnino fugiendam eſſe cuiuslibet ſcalpri, vel terebræ admotionem, & quamlibet oſſis ablationem veluti in ſuturis, vt monebat Hipp. lib. de vuln. cap. namque vt antea dicebamus, feruntur per ſuturas ligamenta admodum ſenſibilia, & vaſa non contemnenda, vt in ferramentorum admotione non poſſit non excitari dolor, & ob propinquitatem membrana malè affici, & periculum inflammationis ſubire, & quandoque etiam moleſta ſanguinis effuſio ex ferramentorum vſu, quando præſertim effatu digna oſſis portio detrahatur, ſubſequitur. Quibus de cauſis ſemper abſtinui à manuali operatione in ſuturis, etiamſi os vehementer eſſet in illis confractum ſed ab vtroque ſuturæ latere paraui effluxus, de cætero ipſi naturæ onus relinquens id-

idque fœlici cum ſucceſſu, natura enim totum inutile, quod fuerat relictum, poſtea ſeparabat, & expellebat. Itaque conſulo, vt intacta ſutura, os hinc inde excidatur, non minus enim propoſitum ſcopum attingemus, & ab omni periculo operationem noſtram vindicabimus: & quamuis Iacobus Carpenſis aſſerat aperiri etiam poſſe ad ſuturas, & ſe quandoque os perforaſſe in illis partibus fœlici ſucceſſu, attamen cum id periculo non vacet, & citra periculum, quod ab apertione in ſuturis ſperare poſſumus, ex aperitione hinc inde facta conſequi valeamus, nulla nos neceſſitas cogere poterit, vt ferro ſuturas attingamus. In duriori quoque caluariæ parte ſuſpecta eſt operatio, quia periculum eſt, ne cerebrum nimis concutiatur, & propterea in partibus lateralibus, in quibus ſunt oſſa petroſa appellata, ſi fieri poſſit, fugienda eſt operatio. Neque hac ratione ſolùm verum etiam quia per eam partem ferantur nerui non contemnendi. Saltem magnæ exciſiones fugiantur, quoniam præter dicta aliud ſubeſſet periculum, ne videlicet cerebrum propter mollitiem in amplo illo foramine promineret. Hinc Galen. 6. Meth. 6. Ego verò in alia ſimiliter ſe habente fractura cogitaram ſupernum os dimittere, ac, quod à lateribus erat, quo ſanies deflueret, eximere: mox cum & craſſitudinem oſſis, & duritiem exiſtimaſſem, melius fore iudicaui ſupernum os potius eximere, quam ob defluxus ſolicitudinem cerebrum valenter concutere. Cogitaui præterea accedere poſſe, vt, ſi à latere magnum fieret in oſſibus foramen, promineret fortaſſis hac parte cerebrum. Eſt porrò & in lateribus non vno in loco etiam neruorum, horumque non leuis momenti quidam exortus, cum in ſupernis capitis ne minimus quidem vſquam oriatur neruus. His admonitus abſtinui ab eximendo oſſe quod in latere capitis eſſet. At callum ſemper duxit, modò ritè curaretur. Si vnicum tantùm foramen in oſſe ſit faciendum, locus decliuior eſt eligendus, ut ſanies promptius ad apertum locum effluat: niſi tamen multa

oſſis portio eſſet eximenda, ſi enim hoc in decliuiori fuerit loco, periculum immineret, ut ſuperius dicebamus, prolapſus ipſius cerebri.

Quid agendum, ſi denudari os nequeat vbi eſſet terebrandum.

Aliquando locus, in quo reperitur uulnus, & oſſis fractura ſectionem non admittit, ſine qua non poſſumus os ad operationem denudare, ueluti contingit in ea parte temporalis muſculi, per quam fertur arteria, & tunc neceſſarium eſt in proxima parte, extra locum uidelicet temporalis muſculi, cutem ſecare, ibique operationem moliri.

Tempus excidendi oſſis.

Quod uerò ad tempus agendi, communiter dici ſolet æſtate ante ſeptimam, hieme verò ante decimam quartam os eſſe perforandum. Auicen. æſtate ante ſeptimam os perforandum aſſerit, hieme ante decimam. Sed hoc gratis eſt dictum, nec alicui fundamento innititur hæc determinatio, etenim, ſi os, vel quid aliud membranam comprimat, aut pungat, & vſque ad ſeptimam differatur oſſis exciſio, nedum ad decimam quartam, procul dubio actum erit de vulnerato. Vnde neque generaliter verum eſt, quod alii dicunt, ſatis eſſe, ſi æſtate intra quartam, & hieme intra ſeptimam fiat operatio. Reſpiciendum eſt igitur ad id, quod nos cogit ad oſſis detractionem, ex eius enim conſideratione habebitur, quando hoc ſit agendum. Aut ergo præſens eſt id, quod oſſis exciſionem indicat, aut non, ſed mox acceſſurum. Si præſens eſt, conſtat, tempus quoque adeſſe operandi, tunc enim eſt agendum, quando adeſt indicans, & nihil prohibet. Sed non ſemper præſentia indicantis nos cogit, vt ſtatim ad auxilia nos conferamus, idcirco vis eius, quod oſſis detractionem indicat, conſideranda; ſi enim vrgeat, & mortem, vel ſaltem noxam inſignem breui ſit allaturum, quamprimum os detrahendum. Hinc, ſi os, aut quid aliud adeò membranam, & cerebrum comprimat, & pungat, vt deliria, ſopores, aphoniæ, epilepſiæ, conuulſiones, & huiuſmodi lethalia ſymptomata ſubſequantur, ſtatim os eximere oportet, & malorum ſymptomatum cauſam auferre.

Pari-

Pariter ſi tanta copia ſanguinis ſub oſſe fuerit collecta, vt ſopores, & vocis priuationes inducat, quamprimum os excidendum eſt, & expurganda membrana. Immo quotieſcunque apparuerint ſigna collectæ materiæ ſub oſſe, quamprimum operari conuenit, & omnino ante ſuppurationem, periculum eſt enim, ne ex ſuppuratione materiæ exitum non habentis contingat inflammatio. At ſi operationem indicans non adeò vrgeat, vel etiam ſymptomata non induxerit, non eſt neceſſarium, vt ſtatim os eximamus. Et ſi quò citius id, quod moleſtat, ſublatum fuerit, eò melius erit vulnerato conſultum. At, ſi indicans non fuerit præſens, vt quando os perforamus, vt colligendæ materiæ detur exitus, quoniam non ſtatim colligitur materia, ſicuti neque generatur, idcirco non eſt neceſſarium, vt ſtatim ad terebræ admotionem deueniamus, ſed ſatis erit, ſi materiæ paretur exitus, quando colligi cæperit. Hinc æſtate ſi intra quartam os aperiamus, hieme vero intra ſeptimam, ſatis opportuno tempore id factum fuerit, differri enim magis poteſt operatio in hieme, quoniam eo tempore tardius contingunt putredines, ac fluxiones, qua ratione etiam citius aperiendum in pueris, ac iuuenibus, & temperaturis calidioribus, & regionibus calidis quam frigidis. Attamen, quoniam non omnino perſpectum habere poſſumus ſtatum membranæ ſub oſſe fracto exiſtentis, optimum ſemper duxi quamprimum os aperire, & ideo Hippocr. lib de vulner. cap. text. 21. triduum non eſſe excedendum aſſerit, præſertim tempore calido, dicebat enim : Poſtquam ſcalpro os deraſeris, ſiquidem ad perforationem tendere oſſis ſauciatio videatur, perforare oportet, & citra perforationem triduum non excedere, ſed in hoc perforare tum alias, tum tempore calido, ſi ab initio curationem ſuſceperis. Quòd ſi à principio non fuit facta terebratio, & poſtea ſuperuenerint ſymptomata, quæ contentam materiam arguunt, vt febris, delirium, dolor capitis, vomitus & huiuſmodi, tunc ſtatim aperire oportet, vt, ſi quid

materiæ ſubſit, exitum habeat, vnde Hip. lib. de vuln. cap. tex. 28. Quapropter vbi intellexeris febrem inuadere hominem, & ex aliis ſignis aliquod ipſi accidere, non cunctari oportet, ſed os vſque ad membranam perforare, aut ſcalpro raſorio deradere. Quod enim ait Hip. & ex aliis ſignis aliquod ipſi accidere de ſignis contenti puris eſt intelligendum, non enim febris ſola id ſignificat, cum & propter eryſipelas in partibus exterioribus poſſit contingere, & propter apparatum morbificum, & propter corruptionem externarum partium, quibus in caſibus non eſt conueniens oſſis perforatio.

Vt terebrandum os ſit.

His igitur omnibus diligenter conſideratis, reliquum erit, vt ad opus deueniamus. Atque ne interim, dum rem peragimus, alterius mali fiat additio, quantum fieri poteſt, præcauenda ſunt vulneris labia, & os ipſum ab iniuriis ambientis; & propterea curandum in primis, vt vulnus ſit amplum, oſſis verò partem, cui ferramenta admouere nolumus, goſſipio, aut lana protegemus, vulneris labia tenui aliquo linteo oleo roſ. calente imbuto, dein expreſſo; Caput aptè accommodandum, ne in operatione dimoueatur. Quapropter ſupponatur puluinar, non ex plumis, quia nimis molle, & cederet, atque ita caput parum conſtans ſeruaret, ſed ex lana. Si huiuſmodi deſit puluinar ex plumis ſuperponendus pannus multipliciter plicatus, quo puluinar comprimetur. Duobus verò miniſtris præcipiatur, vt caput immotum contineant, & alii tenui linteo cutis angulos apprehendant, ne operi ſint impedimento. Inde opus aggrediemur paruifacientes, ſi aures apertæ maneant, & ſi Auicen. placuerit, vt obturentur, cum iis obturatis, non minus fragor percipiatur. Si ſcalpris abraſoriis agamus, haud violenter os excidendum, ne violenta impreſſione concutiatur cerebrum, aut vincula ſub cranio diſrumpantur. Quando verò exciſoriis ſcalpris vti oportuerit, eos leuiter malleolo plumbeo percutiemus, & ſi fractum os fuerit ad rimas eoſdem apponemus, vt facilior ſit diuiſio. Cum

verò

verò ad membranam fuerit peruentum, cautius erit agendum; atque ne à ferramentis, ſi vlterius os ſit excidendum, noxam aliquam contrahat, optimum erit per foramen factum, quam primum fieri poterit, immittere laminam quandam tenuem, ſimam, vt ſe membranæ conformet, ex plumbo, vel argento, aut auro, quæ prohibeat, ne ſcalprum membranam contingat. Et potisſimum erit neceſſaria, ſi angulatus fuerit ſcalper. Eam ob id ſolent appellare membranæ cuſtodem. Perfecto verò opere tollenda erit. Vnde Celſus libro 8. cap. 3. Factis foraminibus eodem modo media ſæpe, ſed multo circumſpectius excidenda ſunt, ne forte angulus ſcalpri eandem membranam violet, donec fiat aditus, per quem membranæ cuſtos immittatur, μυνιγγοφύλακα Græci vocant. Lamina ænea eſt, firma, paulum reſima, ab exteriori parte leuis, quæ demiſſa eſt, vt exterior pars eius cerebro propior ſit, ſubinde ei ſubiicitur, quod ſcalpro diſcutiendum eſt. Ac ſi excipit angulum, vltra tranſire non patitur, eoque & audacius, & tutius ſcalprum malleolo ſubinde ferit, donec exciſum vndique os lamina leuetur, tollique ſine vlla noxa cerebri poteſt. At ſi lenticulatis ſcalpris vſi fuerimus, abſque impoſitione laminæ opus tuto perficiemus.

De recto vſu terebrarum.

Si verò modioli vſum magis probauerimus, præter ea, quæ de electione terebræ ſunt dicta, nonnulla ſunt obſeruanda, vt operatio ſit tuta, atque iucunda, primò enim animaduertendum, vt æqualiter os terebretur. Quòd ſi dum inſtrumentum eleuas, videris terebram altius ſeſe in aliqua parte immerſiſſe, ex altera, & oppoſita parte, & omnino à parte non profunda inclinandum, niſi crasſius os fuerit in ea parte, in quam magis inclinauit terebra, vt ob id æqua ſit diſtantia ab interna osſis facie, immò data opera, in eam ſemper partem imprimere terebram oportet, in qua os eſt crasſius. Amplius vbi ad vitream fuerit peruentum, & hoc quouis inſtrumento vſi fuerimus, obſeruandum, quod cognoſcitur, quoniam ſoni-

nitus ab inſtrumento redditur quodammodo clarior, eò quòd exciſum os ſit ſiccius, & magis reſonans, cautius incedere oportet, & frequentius terebellum eximere, potiſſimum vbi non fuerit ex iis, quæ abaptiſta vocantur. & ſi modiolo vtamur, conſiderare, qua parte os craſſius ſit, vt ad eam partem magis inclinetur, &, vbi os dimoueri incipit, cautiſſimè incedendum, & frequentius eximendum terebellum, & ſpecillo etiam exploranda eius via, ne fortè ex vna parte magis adigatur, & citius os perforetur, quam ex alia; nam vulneraretur membrana, priuſquam altera ex parte eſſet exciſum, & frequenter os commouendum, &, vt ſeparetur, procurandum, ne cogamur cum aliquo periculo totum os terebra excidere. Pariter, quanta ſit oſſis durities, conſiderandum, nam & ex paruo affectu eſſe mollius poteſt, quod enim ſuppuratum eſt, & purulentum euaſit, eſt mollius. Præſto ſint etiam plures terebræ, vt dum vna ex motu, & confricatione incaluerit, altera ſubſtitui poſſit, calefacta enim mole os afficeret, & ideo ſæpe eximenda erit terebra, vt num incaluerit percipiatur. Quòd ſi terebrarum copia defuerit, quam habuerimus, ſæpiùs eximemus, & in frigidam aquam immergemus. Vnde Hippocrates libro de vulneribus cap. num. 29. Terebrantem autem frequenter eximere terebellum oportet caliditatis oſſis gratia, & in frigidiam aquam immergere, caleſcens enim ex circumductione terebellum etiam os excalefaciens, & reſiccans adurit, & maius os perforationem ambiens diſcedere facit, quam alias diſceſſurum fuiſſet: & inferiùs: Vbi quis voluerit perforare vſque ad membranam, ſubiungit, exempto ſæpe terebello ſpeculari oporteti tum alias, tum per admotum ſpecillum circumcirca ipſius terebelli viam, nam multo citius perforatur os, ſi ſuppuratum iam, ac tranſpuratum perforaueris: & ſæpe contingit, vt non profundum os ſit, tum alias, tum ſi ea capitis parte vulnus fuerit, qua tenuius magis, quam craſſum os ipſum exiſtat. Quare cauere oportet, vt terebri admotione ne falla-

Plures terebræ in promptu eſſe debent.

fallaris, verùm qua parte craſſiſſimum os eſſe viſum fuerit, in eam ſemper terebellum admotum adigito, ita, vt frequenter conſideres, ac commoueas os, & eiicere coneris. Quoniam verò terebrando ſæpius eximere terebellum neceſſarium eſt, idcirco parata habere oportet calefacta lintea, quibus interea cooperiatur vulnus, & ambientis iniuriæ præpediantur.

Non ſemper excidendum eſt os vſque ad membranam.

Non ignorandum etiam, quando non adſunt ſigna materiæ ſub oſſe contentæ, ſatius eſſe circulatis terebris vti, & cum parum abeſt, vt os ſit perforatum, & iam dimoueri incipit, deſiſtere à terebratione, ac ſinere, vt natura ſpontè ſeparet, & expellat os ſectum; duo enim maximi momenti ex hoc habemus, vnum eſt, quòd periculum vulnerandi membranam euitamus, quod imminet, dum penitus os volumus terebrare, alterum, quod non ſtatim membranam ambienti exponimus. Neque vllum imminet periculum ab oſſe relicto, ſiquidem adhuc materia non continetur, & breui os illud diſcedit opere naturæ; vnde Hippocrates loco citato: Si ab initio aſſumptam curationem adminiſtras, non opus eſt ſtatim os ad membranam perforare, ac excidere, non enim conducit membranam oſſe denudatam eſſe ad multum tempus male afflictam, ſed poſtremum, vbi madore corrumpi, ac putreſcere ipſam periculum eſt. Eſt & aliud periculum, ſi ſtatim oſſe ad membranam perforato, ipſum auferas, ne in ipſo opere membranam per terebellum vulneres. Verùm terebrantem oportet, vbi iam parum abeſt, vt os ſit perforatum, & os iam mouetur, à terebratione deſiſtere, ac ſinere, vt os ſua ſponte diſcedat, nam in oſſe perforato, & à perforatione relicto, nihil mali accidere poterit, tenue enim iam id, quod reſtat, fiat. Atqui, ſi materiæ ſub oſſe contentæ ſigna adſint, ſtatim oportet os ad membranam vſque perforare, & amouere, vt quamprimum detur materiæ exitus, & vitetur corruptionis membranæ periculum, vnde loco citato Hippocrates ſubiungebat: At ſi non ab initio curationem aſſumpſeris,

ſed

ſed ex alio traditam ſuſceperis, ita vt poſterior tardè ad curationem deuenias, terebello exculpto ſtatim os ad membranam perforare, & excidere oportet.

Verùm quoniam terebrandi ille modus ſub quo os exciſum non aufertur, etſi ab Hippocrate fuerit propoſitus, à poſterioribus tamen vel neglectus fuit, vel non animaduerſus, vel reprobatus, operæ pretium duxi in eo pauliſper inſiſtere. Equidem inter eos, qui de vulneribus capitis pertractarunt, duos tantùm inueni qui poſt Hippocratem huiuſmodi meminerint. Vnus quidem fuit Euſtachius Rudius in lib. ſuo de externis Affectibus; alter Carcanus quidam; ſed primus ſolummodo refert, quod in Hip. lib. de Vulner. cap. legit; quid verò obſeruari viderit, (nam ipſe vulnera non tractabat.) non recenſet; Carcanus verò reprehendit hunc modum.

Auferenda ſpicula vitrea, quæ remanſerunt poſt terebrationem.

Animaduertendum etiam, quando, dum os auferre volumus, frangitur vitrea, quod potiſſimum contingit, quando non fuit facta æqualis terebratio, remanentque fragmenta, & veluti aculei, quæ nouellam carnem pungerent, & dolorem inferrent; propterea vel ſcalpris lenticulatis auferendam eſſe portionem, quæ remanſit, vel vecte diſrumpendam, & auferendam, aut dentato ſcalpro, vel lima deradendam.

Sanguis erumpens à meditullio & opus interturbans poſca ſiſtendus.

Præterea nonnunquam accidit à meditullio ſanguinem erumpere non in parua copia, operationem interrubantem, vnde in hoc caſu oportebit poſcam infundere, vt ſiſtatur ſanguis, ſed poſtea, ne acies terebræ obtundatur, erit oleo inungenda.

CAPUT XL.

Soluuntur nonnullæ dubitationes circa oſſis exciſionem.

ETſi quod ſtatuimus de oſſis exciſione ſit antiquorum ſapientum placitis conſentiens, vt patuit, comperi tamen viros clariſſimos, & qui nunc etiam medicinam

nam faciunt, in aliquibus aliter ſentire, aliterque ſe gerere in praxi. Et proinde antequam vlterius procedatur, expendenda eſt eorum opinio, & omnis difficultas ſubmouenda, ne tironis animus in varias diſtrahatur partes.

Num ſatis ſit vnicum foramen in qualibet fractura, & materiæ collectione.

Diſſentit igitur in primis vir excellentiſſimus circa numerum perforationum oſſis, ſeu circa quantitatem excidendi oſſis. Diximus totam rimam, ſeu teli ſedem aperiendam, aut ſaltem pluribus in locis perforandam eſſe pro fracturæ quantitate, vt omni ex parte detur materiæ exitus. Contra, vnicum foramen ſatis eſſe in qualibet fractura contendit, aſſertque hanc rationem, quod membrana omni ex parte hæret oſſi, vnde fit, vt cum dilatatur membrana, vbique os percutiat, & contentam materiam neceſſariò ad paratum foramen exprimat. Quod ſi ita eſt, ſuperflua ſunt plura foramina, cum per vnicum propellatur materia.

Num futuris admouenda ſit terebra, & an in læſione ſuturarum ſatis ſit perforare altera ex parte.

Secundò non conuenit circa osſis exciſionem ad ſuturas; ſtatuimus læſione exiſtente in ipſis ſuturis, vt ob id opus ſit terebratione, non in ipſis ſuturis, ſed vtraque ex parte os eſſe perforandum, vt vtraque ex parte pateat materiæ exitus. At contra vult hic vir doctisſimus, vt altera tantùm ex parte os terebretur, eo quod poſſit materia in altera parte exiſtens ope dilatationis membranæ ad paratum foramen exprimi.

Qua ratione os ſit perforandum.

Alius demum, qui & plurimum ſibi aſſumit, immo & omnia ſcire profitetur, in excidendo oſſe auctoritate Hippocr. fretus, aliter incedit, ac à nobis fuerit determinatum, vult enim, vt in osſis perforatione triduum conſumamus, ita vt prima die e. g. primam laminam perforemus, altera meditullium, poſtrema vitream. Hanc fuiſſe Hippocratis ſententiam non dubitat, quod deducit ex contextu 21. lib. de vulneribus cap. vbi inquit Hippocrates: Poſtquam autem os ſcalpro raſeris, ſiquidem ad perforationem tendere osſis ſauciatio videatur, perforare oportet, & citra perforationem triduum

non excedere, ſed in hoc perforare, ita enim interpretatur hunc locum, vt velit Hippocrates triduum conſumendum eſſe in perforatione. Hanc interpretationem & publicis lectionibus attulit, & priuatis etiam ſermonibus. At nos diximus, ſi quidpiam vrgeat, os quamprimum amouendum eſſe, nec excedendum triduum, at ſi nihil vrgeat, poſſe paulo vlterius differri perforationem, & in hoc caſu non eſſe neceſſarium os terebratum penitus auferre, ſed vbi parum abeſt, vt ſit perforatum, poſſe committi eius ſeparationem ipſi naturæ. Non ſunt minimi momenti hæ dubitationes, cum agatur de hominis ſalute. Conſideremus igitur in primis, quæ primo loco propoſita eſt.

Non ſufficit vnicum foramen in qualibet fractura.

Sed vt verum fatear, nunquam percipere potui, quomodo vnicum foramen poſſit ſufficere ad materiæ expurgationem in omni fractura, & in omni materiæ collectione, ita enim aliquibus in locis connexa eſt membrana cum oſſe, vt ſi per ea tranſeundum ſit materiæ, quo ad foramen factum perueniat, id non poſſit contingere niſi poſt multos dies, & poſt ſeceſſum membranæ ab ipſo oſſe. Interea autem ſi materia fuerit in effatu digna quantitate membranam comprimet, praua qualitate afficiet, ac inflammabit. Amplius ſi fuerit concretus ſanguis ſub oſſe, & expurgandus ſit per foramen diſtans, cum expurgari nequeat niſi ſub puris ſpecie, nec totus ſimul, & ſemel in pus conuertatur, ſed ſenſim, qui adhuc concretus eſt, vt quid interpoſitum inter os, & duram meningem prohibebit, quo minus membrana in dilatatione os in ea parte contingat, & ita prohibebitur expreſſio, materiaque eodem in loco cum maximo periculo permanebit; natura enim dum rem moleſtantem expellere nititur, ſanguinem, & ſpiritus eo exprimit, & inflammationem concitat, quæ nouum eſt expreſſioni impedimentum, membrana enim inflammata ita oſſi terebrato hæret, vt nihil aliunde eo poſſit exprimi. Sæpè etiam oſſe exciſo membrana proprio tegumento deſtituta flati-

flatibus turget, impediturque expresſio. Omitto alias mortis cauſas latere poſſe in fractura, vbi os non eſt perforatum. Quocirca non ſemper ſatis eſſe poteſt vnicum foramen. Et, ſi afferendum eſt, quod in praxi fuit obſeruatum, cum aliquando vno in loco os perforaſſem, niſi poſtea alio in loco os excidiſſem, mors ineuitabiliter contigiſſet. Sed fortaſſe vir iſte paucas, & exigui momenti fracturas tractauit. His addere poſſumus, quòd Hippocrates calamitoſum caſum appellat, quando os frangitur in alia parte ab ea, in qua vlcus reperitur, & os eſt denudatum, propterea quod cum ignoremus fracturæ locum, neque opem aliquam afferre poſſumus: Frangitur os, dicebat text. decimo, alia capitis parte, quam vbi vlcus habet homo, & os carne denudatum eſt. Quintus hic modus eſt, hanc calamitatem, vbi facta eſt, nulla re iuuare queas, nam ſi paſſus eſt hoc malum, non eſt, quòd ex ipſo exquirere posſis, an paſſus ſit hoc malum, neque qua capitis parte. Quòd ſi vnicum foramen ſemper ſufficeret ad expurgandam materiam, nullus daretur calamitoſus caſus, nam vbi indicia ſeſe offerrent fracti oſſis, & ſi non appareret fractura in loco vulneris, ibi tamen poſſemus os terebare, & materia in remotiori parte exiſtens, licet nobis incognita, ad foramen ope dilatationis membranæ exprimeretur. Et Hippocr. igitur, & rationi repugnat hæc determinatio.

Terebrandum eſt vtraque ex parte ſutura.

Quod ad terebrationem in læſione ſuturarum, niſi ſutura hiaret, aut penitus diſrupta eſſent ligamenta, & vaſa, periculoſum admodum exiſtimarem altera tantum ex parte terebrare, namque ita alligatur in ſuturis membrana oſſi, vt nec ſpiritus ab vna ad alteram partem posſit expelli. Viam hanc, per quam posſit pertranſire materia ope dilatationis membranæ ab vna ad alteram partem, nondum mihi contemplari licuit. Et ſi enim aſſerant iſti, ligamenta, quæ à dura meninge feruntur per ſuturas ad pericranii exortum, non eſſe quidpiam continuum, ſed veluti plura filamenta, in ana-

tomicis tamen adminiſtrationibus palam oſtendi huiuſmodi interualla figmentum eſſe. Etſi adeſſent etiam hæc interualla adhuc materia ad alteram partem aditum non haberet, eo quod ob vim ligamentorum nimis hæret oſſi. Vt non ſine ratione omnes fere, qui de hac materia diſſeruerunt, terebrationem hanc vtraque ex parte factam laudauerint. Omnes enim in eo conueniunt, fugiendam eſſe terebrationem in ipſis ſuturis, qua ratione dicebat Hippocrates lib. de vulner. capitis text. 17. Verùm ipſas ſuturas perforare non oportet, ſed ſecedendo in propinquo oſſe perforationem facere, ſi perfores. Si tamen vi ictus diſrupta eſſent ligamenta illa, quemadmodum obſeruaui ego in praxi, interdum ob vehementem contuſionem contingere, pertranſiret materia ad foramen, & hoc non ſemel vidi, & ſeruati ſunt vulnerati: non ob id tamen, vt euitarem alterum foramen, diſrumperem ego ligamenta illa, & vaſa. Tutius igitur conſilium eſt vtraque ex parte os perforare.

Non eſt conſumendum triduum in oſſis perforatione.

Quod vero ad opinionem attinet præcellentis illius viri circa rationem excidendi oſſis, ſicut eam irriſione dignam ſemper exiſtimaui, & à prauo Hippocratis intellectu prouenire, ita & in ea explodenda non eſſe laborandum. Vt tamen iis ſatisfaciam, quibus ipſe perſuadere conatus eſt, eam eſſe Hippocratis mentem, oſtendam, quoniam Hippocratis verbis nititur; nunquam Hippocratem id cogitaſſe, obtorquerique ab ipſo Hippocratis verba, & in prauum ſenſum trahi, inquit enim Hippocrates cùm de abraſione facienda in rima, & ſede teli ſermonem habuiſſet: Poſtquam autem os ſcalpro raſeris, ſiquidem ad perforationem tendere oſſis ſauciato videatur, perforare oportet, & citra perforationem triduum non excedere, ſed in hoc perforare, tum aliàs, tum tempore calido, ſi ab initio curationem ſuſceperis. Quis non videt, velle Hippocratem, vt perforatio fiat intra triduum? Si vellet Hippocrates vt triduum conſumeremus in hoc opere, cur addidiſſet, tum tempore calido? cur magis

gis conſumendum eſt triduum in terebratione æſtate, quam hieme? nonne in æſtate ſemper citius perforandum eſt os, quoniam & citius fiunt putredines, & tamen inquit Hippocrates non excedendum eſſe triduum, ſed in hoc perforandum eſſe præſertim in æſtate, quaſi conſumendum ſit in opere triduum æſtatis tempore potisſimum, in reliquis autem temporibus citius ſit in opere faciendo laborandum? Quod quàm ſit Hippocrate indignum, quilibet intuetur. Sed Vidii verſio manifeſtisſime errorem detegit, ſic enim vertit Vidius: Poſtquam ſcalpro os deraſeris, ſi tibi exigere ſectionem videatur, ſecare debes, neque pati, vt res tertium diem excedat, priuſquam ſeces, ſed intra id ſpatium ſecabis, præſertim vbi tempus calidum fuerit, tu que à principio adhibearis. Quid clarius? Vnde & hunc locum interpretans, inquit: Quare nunc quoque imperat, vt poſtquam os deraſeris, ſi tibi ſecandum videatur, hoc eſt, ſi ſit aliquis ex fracturæ modis, qui ſupra dicti ſunt, ſectionem requirere, intra triduum ſeces, præſertim, inquit, ſi calidum tempus fuerit, & æger tibi ab initio tradatur. Æſtiuo tempore caro magis putreſcit, & os gangræna periclitatur ob ſaniem defluentem, & ideo quo celerius os ſecatur, & loquitur itaque Hippocrates de tempore excidendi osſis, non autem de agendi modo. Quod & ex Græco codice non minus clare deprehenditur, ſic enim habet Græcus codex; Ε'πειδὰν δὲ ξύσῃς τὸ ὀστέον τῷ ξυστῆρι, τὴ μὲν, δοκέῃ ἐς πρίσιν ἀφικεῖν ἡ τρῶσις τοῦ ὀστέου, πρίειν χρὴ, καὶ τὰς τρεῖς ἡμέρας μὴ ὑπόβαλλειν ἀπρίωτον, ἀλλ' ἐν ταύτῃσί πρίειν. Sed dimittamus verba, & Hippocratem cum Hippocrate interpretemur. Vltimus contextus eiuſdem libelli mentem Hippocratis aperit, ibi enim conſulit Hippocrates ſi ab initio curationem ſuſceperimus, ne ſtatim os ad membranam perforemus, ac excindamus, tum vt & euitemus periculum, ne membranam in opere per terebellum vulneremus, tum ne membrana longiori tempore maneat denudata, & in-

iniuriis ambientis expoſita, ſed cum parum abeſt, vt os ſit perforatum, & os iam mouetur, à terebratione deſiſtamus & ſinamus, vt os ſua ſponte decidat, hæc ſunt eius verba: Cæterum de perforationis, ac terebrationis vſu, vbi ea neceſſitas ingruat, vt neceſſe ſit hominem perforare, ſic ſtatuendum eſt, ſi ab initio aſſumptam curationem adminiſtras, non oportet ſtatim os ad membranam perforare, ac excindere, non enim conducit membranam oſſe denudatam eſſe ad multum tempus male afflictam. Sed poſtremum vbi madore corrumpi, ac putreſcere ipſam periculum eſt. Eſt & aliud periculum, ſi ſtatim oſſe ad membranam perforato, ipſam auferas, ne in ipſo opere membranam per terebellum vulneres. Verùm terebrantem oportet, vbi iam valde parum abeſt, vt os ſit perforatum, & os iam mouetur, à terebratione deſiſtere, & ſinere, vt os ſua ſponte decidat.

Tantum ergo abeſt, vt Hippocrates voluerit, triduum abſumendum eſſe in terebratione, vt potius crediderit melius eſſe, ſi terebra penitus non excidatur os, ſed ſeparationis onus naturæ permittatur, quando videlicet nihil eſt, quod membranam vrgeat. Dico autem, melius eſſe, quoniam nec omnino reprehendit Hippocrates, ſi quis ſtatim vellet ſe ab opere expedire, & propterea ſubiungit: Si verò etiam ſtatim volueris vſque ad membranam perforare, & poſtea os auferre, eodem modo frequenter, &c. vnde neque hic triduanam hanc operationem laudat, ſed ait ſtatim, hoc eſt primo, vel ſecundo apparatu, ſeu primo aggreſſu, per illud enim ſtatim ſignificari ab Hippocrate primum aggreſſum, ex eo licet colligere, quòd inferiùs ſubiungit de terebratione facienda, quando non ſumus ab initio vocari, cum enim quamprimum in hoc caſu terebrandum os ſit, vtitur hoc verbo ſtatim. At ſi non ab initio, dicebat, curationem aſſumpſeris, ſed ex alio traditam ſuſceperis, ita vt poſterior tarde ad curationem deuenias, terebello exculpto ſtatim os ad membranam perforare, ac excindere opor-

oportet, &c. Sed omiſſo Hippocrate videamus, quam vtilis ſit hæc doctrina, ſi os duram meningem comprimeret, aut pungeret, vel multa materiæ quantitas collecta eſſet ſub oſſe, quàm benè conſuleretur vulneratis, ſi tribus diebus os excideremus? Si Tirunculus reuerſus in patriam doctrinæ talis præceptoris nixus, hac via incederet, quanta fieret eius exiſtimationi additio.

CAPUT XLI.

Num cranii fracturæ curari poſſint abſque abraſione & perforatione.

CVrandas eſſe cranii fracturas manuali operatione, cum Hippocrate, & Galeno, & aliis clariſſimis viris, iam determinauimus: eas videlicet, quæ totam oſſis ſubſtantiam haud penetrant, oſſis abraſione, qua rima, aut ſedes teli deleatur, aut quod contuſum eſt auferatur: totam verò ſubſtantiam peruadentes, vbi materiæ non pateat exitus, oſſis exciſione, atque amotione, vt paretur effluxus. Similiter ſi os, aut quid aliud extraneum membranam, & proximas etiam partes comprimat, aut pungat, vel aliter male habeat, aut materia ſub oſſe contineatur, quamuis os non ſit fractum, modò ſimul adſit vulnus in carne, perforandum os diximus, vt quod moleſtiam inferebat, remoueatur, materiæque iam collectæ, aut colligendæ paretur exitus. Verùm non defuerunt, qui operationes haſce improbauerint, ac non eſſe perforandam caluariam ſtatuerint, niſi ad os auferendum, aut extraneum quidpiam vrgens ſubiectas partes, prauaque ſymptomata inuehens: quòd ſolis medicamentis curari poſſint, ob idque ſint curandæ reliquæ fracturæ. Inter hos quidem fuit Conciliator Differentia clxxxj. quo loco inquit: Laudabiliorem eſſe meditationem emplaſtris, vtar verbis ipſius, aut vnguentis factam quàm oſſis eleuatione. His verò curari poſſe fracturas caluariæ pluribus rationibus probare contendit, & experientia ipſa: hac

hac enim inquit conſtare abſque oſſis exciſionibus tempore ſuo tales fracturas curari. Vnde dicebat, cum rationem curandi Empyricorum propoſuiſſet, eſt etiam alius modus artificialior, atque vtilior, & communior iam factus Saracenis, vt poſt ſanguinis hæmorragiam tale deſuper applicetur vnguentum &c. Rationes vero, quibus non eſſe excidendum os probare nititur, hæ ſunt.

Rationes oſſis exciſionem reprobantes.

Prima quidem talis eſt, Quod prauiora infirmo adducit accidentia, non debet adminiſtrari, huiuſmodi eſt eleuatio cranii; ſequitur enim non parum dolor cerebri communis, concuſſio, ſpaſmus, & mors ſubita, vt teſtantur ſapientes præmiſſi, igitur.

Secunda ratio.

Secunda eſt, In percuſſione cranii primitus occurrit fractura, poſtea humoris decurſus, deinde mala complexio, quam in omni curatione primitus oportet remouere; hoc autem agit medicina appoſita, non autem oſſis eleuatio; immo hæc complexionem deteriorem amplius inducit, quare emplaſtris, & vnguentis eſt inſiſtendum abſque oſſis eleuatione.

Tertia ratio.

Tertia eſt, Naturæ forti nihil poteſt repugnare in expellendis. Gal. 7. Aph. 5. licet materia ſit craſſa, & viæ ſtrictæ: videmus, enim cum natura materiam apoſtematis aliquibus expellit locis, etiam oſſa tranſit, vnde Auic. 14. 3. Natura expellit pus, quod eſt in pectore ad concauum, & hæc penetratio non eſt mirabilior penetratione puris in oſſibus pectoris, ſed natura fortis eſt hic. Ergo.

Quarta ratio.

Quarta. Quod malam non permittit fieri complexionem, aut dum fit impedit, & humorem delapſum ad interius ſuper duram matrem, & antiquam ſaniem educit, vel ſaniantis dolorem mitigat, aerem impedit, ne ſuo introitu cerebrum alteret, partes circumſtantes oſſis elargat, & porificat, oportet tamquam laudabiliſſimum adminiſtrare in cranii fractura etiam capillari, ſed huiuſmodi repertum eſt ante dictum vnguentum agere etiam ab Idiotis, ergo.

Sed

Sed & ratio confirmat vnguentum illud poſſe dictos effectus præſtare; conſtat enim vnguentum illud ex. *Vnguentum Conciliatoris.*

Gummi Elemi vnc. iii.
Reſinæ puriſſimæ vnc. iv.
Ceræ vnc. vi.
Olei roſati vnc. iii. s.
Ammoniac. vnc. ii.
Terebinthinæ vnc. iii. & drach. s.
Ex arte commixtis.

Gummi ſiquidem Elemi ſufficienter eſt attractiuum, doloris mitigatiuum, malæ complexionis propter ipſius familiaritatem ad corpus noſtrum correctiuum, Reſina ſimiliter alterat malam complexionem, attrahit, & mundificat. Cera commixtionem præſtat: Ammoniacum etiam cum terebinthina ſecundùm tamen plus, & minus conuenit cum prædictis; & quoniam Ammoniacum minus eſt familiare, calidum enim eſt, & magis attractiuum, ideo minus de ipſo ponitur in confectione, oleum verò ros. prædicta commiſcet, & ſua temperata commenſurat qualitate, ſtipticitate quadam etiam partes confortando læſas, ita vt (concludit ex his) conſurgat quid æquale, virtuoſum omni læſioni contrarium; quod vero materia ſub cranio contenta vi medicamenti extra poſſit euocari, probat ex Haly per ſimilitudinem, ponitur medicina ſub vmbilico, & attrahit humores ex corpore; retinetur medicina in manu, & attrahit humores, ponitur ſub pede, & attrahit ex capite: Multo igitur melius emplaſtrum relatum vel vnguentum poterit, cum ei ſit via perſimilis, attrahere, igitur &c. Et ita concludit melius eſſe curare cum emplaſtris, & vnguentis, quam oſſis eleuatione. Quamuis non omnes velint vti hac curandi ratione, vel quia medicamen ignorent, vel quoniam verecundantur à conſueta ſecta ſecedere, volentes eam conſeruare illæſam, & elatam, vel quia timent hunc nouum ſibi mo-

modum, & inconſuetum imitari: Admonet tamen, ne huiuſmodi medicatione vtamur, quando iam ſymptomata inuaſere mortis præuia.

Quinta. Sed rationibus ipſius alias addere poſſumus, cuiuſmodi eſt hæc, Dantur medicinæ attractiuæ fortes, quæ non ſolum ſaniem poſſunt extrahere, verum, quod magis eſt, ſpinas, tela, & oſſa, vt teſtatur Gal. primo Nat. fac. 14. ergo tanto magis erunt, quæ contentam materiam ſub cranio attrahere poterunt vnde & Gal. 4. Meth 3. & 11. Meth. 15. ait Medicinam trahere ſicut cucurbitulam, & Dioſcorides aſſerit betonicam extrahere oſſa fracta, è capite ad emplaſtri formam redacta.

Sexta. Præterea in cura phrenitidis, & lethargi, cum medicinis procedimus, quibus diſcutitur materia in membranis, vel cerebro contenta cute integra exiſtente, igitur & medicinæ idem poterunt præſtare in vulneribus capitis, cum fractura cranei, vbi via eſt lata ad extra ducendam materiam, ergo vtendum medicinis, non autem os amouendum.

Lanfranci opinio. Conciliatoris ſententiam videtur ſequi Lanfrancus, qui duobus tantùm caſibus aperit, videlicet, vbi os comprimit, vel pungit ſubiectas partes, & in aliis caſibus medicamentis vtitur, quibus multo plures ſeruari aſſerit, quàam oſſis amotione.

Theodorici opinio. Theodoricus, & ipſe eiuſdem eſt ſententiæ, poſſe curari fracturas caluariæ penetrantes abſque oſſis perforatione, alia tamen ratione procedit. quam Conciliator; quam ſibi à quodam Hugone traditam ſcribit, qui nullum eam docebat, neque proprios filios abſque iuramento. In primis igitur vniunt vulnus, atque talem deligationem moliuntur, qua impediatur tum euaporatio naturalis caloris, tum aeris externi ingreſſus, deinde *Potio Theodorici.* quendam puluerem parant ex,

Cinnamomi vnc. i.
Zengiberis albi vnc. ſ.

Moli-

Moligetæ drach. i.
Galangæ.
Cardamomi domeſtici, & boni ſaporis.
Piperis longi ana drach i.
Gariophillorum elect. gr. xii.
Piperis communis gr. xv.

Accipiunt & libras quinque optimi vini albi, curantque vt eius modicum bulliat cum lib. 1. mellis, & cum bullierit, ab igne tollunt, & de puluere dicto miſcent in tanta quantitate, quæ potionem nimis acrem non reddat, ſed boni, & delectabilis ſaporis, poſtea totum reſiduum vinum cum ſpeciebus, & melle adiiciunt, & plurimum agitant, demum clarificant, per colatorium deſtillando, & ex eo parant nouem puriſſimos cyathos, & vnicuique ter permiſcent, quantum tribus digitis capere quis poſſet, de puluere quodam parato ex æqualibus partibus pimpinellæ cariophillatæ, gentianæ, & valerianæ, ita tamen, vt de omnibus accipiantur folia, & radices, præterquam de gentiana, cuius accipiuntur ſolummodo radices, additur præterea ex piloſella ad pondus omnium, cum foliis tamen, & radicibus, dum autem puluis ſpargitur digitis ſupra pigmentum, volunt, vt id fiat in modum crucis, dicendo In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, In nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, dextra Domini fecit virtutem, dextera domini exaltauit me, non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini. Caſtigans caſtigauit me, & morti non tradidit me, non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini, ſimul fundendam ad Deum orationem, inquiunt, vt per eam potionem liberet infirmum, tribuſque diebus nouem illos cyathos vulnerato exhibent, ita vt primus cyathus altera à vulnerationis die in prandio cum bibere voluerit cum ſigno crucis, & reliquis orationibus exhibeatur: Inter prandium, & cœnam ſecundus ciathus eodem modo, tertius vero in cœna, ſicuti factum fuit in prandio, & ita

duobus ſubſequentibus diebus; quod ſi in hiſce diebus infirmus vomitu puluerem non reiiciat, ſperandum inquiunt de ſalute, maxime, quando accidentia non ſuperuenerint; ſi verò vomitu reiiciat, ſoluunt vulnus, & ad Chirurgiam confugiunt, mortem timentes, & ſimiliter, ſi accidentia ſuperuenerint. In hac curandi ratione valde intereſſe ait Theodoricus, num vulnus ab aere fuerit alteratum, & turundæ impoſitæ fuerint ad ipſius ampliationem, & ideo niſi prima, vel ſecunda vulnerationis die fueris vocatus, antequam infirmus comedat, conſulit, vt hac curandi ratione nequaquam vtaris, teſtatur tamen ſe nullum vidiſſe, qui non conualuerit breui, cui puluerem illam dederit, modò vomitu ipſum non reiecerit, & ex eis quoque, qui ab illo Hugone fuere curati. Hanc curandi rationem, vel ſimilem ſaltem etiam nunc ſequuntur Germani Chirurgi vt plurimum: exiſtimant enim, qui huiuſmodi ſunt ſectæ huiuſmodi potiones adſtringere, digerere, exſiccare, atque omnem denique humiditatem ſuperfluam abſumere, quæ naturæ opus impedire poteſt, & mortem afferre.

Secta Rationalis. At qui Hippocrates, vt ſuperius patuit, os perforandum aſſerit in huiuſmodi fracturis, quando ſcilicet fractura non eſt ita patens, vt materia poſſet habere exitum, & ideo etiam 5. Eph. num. 14. refert Autonomum in Omilo ex capitis vulnere mortuum die decima ſexta in media æſtate ictum lapide ex manu in ſuturas in medio ſincipite. Cauſam autem mortis ſubiungens dicebat: Quare non animaduerti ipſum ſecari opus habere; deceperunt enim me ſuturæ habentes in ſeipſis iaculi læſionem; poſtea enim id conſpicuum fiebat, primum quidem ad clauiculam, poſtea ad latus dolor fortis valde, & euulſio ad ambas manus venit, in medio enim capitis, ac ſincipitis vlcus habebat. Sectus autem eſt dicta decima quinta, & pus prodiit non multum, membrana verò cerebri imputrefacta apparebat. Ibidem etiam alium caſum ſubiungit de famula in Omilo duodecim annos nata

nata, quæ mortua eſt in media æſtate decima quarta die ex capitis vulnere, vnde mortis cauſam referens dicebat: Ianuam quidem ipſi impigerat & os contuderat, ac ruperat, ſuturæ verò in vlcere erant: Quare cognitum eſt ſectione opus habere, ſecta autem eſt, non velut oportebat, ſed quantum relictum eſt, pus in ipſo factum eſt, octaua rigor, & febris inuaſit, habebat autem, non velut oportebat, ſed quantum etiam prioribus diequs, quando febris non tenebat, nona verò die reliquum reſectum eſt, & valde modicum pus cum ſanguine ſubtus apparuit, & membrana cerebri pura erat, & ſommus quidem occupabat, febris autem non dimittebat. Conuulſio verò manum ſiniſtram inuadebat nam in dextra magis vlcus habebat.

Cur oſſis exciſione curandæ ſint fracturæ caluariæ.

Terebrationis quoque clarè meminit lib. de vulneribus cap. In eadem ſententia eſt Galen. vnde 6 Meth. 6. huius cauſam referens, dicebat. Indicatio agendorum hic quoque ex natura ipſarum partium affectarum ſubminiſtrata eſt, nam deligaturam, quam in aliis fracturis phlegmonas arcentem ratio inuenit capitis adaptare non poſſes, itaque neque quod affluit reprimere, nec quod in ægris partibus continetur exprimere queas, ſine quibus præſidiis nec reliquorum oſſium vllum ſeruari ſanum poteſt &c. Et ne quis medicamentis defectum hunc ſupplere poſſe obiiceret, paulo poſt ſubiungit: Nec medicamen eſt vllum, quod vel in aliis quidem partibus citra deligaturam os fractum, quatenus nunc dictum eſt ſiccum, atque ſuperuacuis purum reddere valeat. Quare concludit: Neceſſarium igitur eſt nobis primum fracturæ aliquid nudare, quo ſcilicet detergere, & abluere ſaniem à membrana liceat, poſt verò cum phlegmonis tempus præteriit, omniaque ſicca ad vnguem ſunt, carnem producere, & cicatrice locum inducere; quod ſi nulla ex læſis partibus ſanies intro confluerct, ſuperfluum eſſet os excidere. Hippocratem, & Galen. ſequuntur Auic. Paulus, Haly, Albucaſis, Auenzoar, Auerroes, & omnium

Medi-

Medicorum præclariſsimi dogmaticæ ſectæ addicti. Et quamuis Gal. 6. Meth. 6. neceſſitatem apertionis referre tantùm videatur in materiam iam collectam, vel poſtmodum colligendam, nihilominus alios addunt caſus, in quibus non minus neceſſaria eſt apertio, quos ſupra tetigimus, vnus eſt, quando os vel aliud extraneum comprimit membranam, & cerebrum, vt praua ſymptomata inducat; alter quando osſis ſpiculum membranam pungit, in his enim caſibus neceſſè eſt os perforare, niſi adſit fractura patens, per quam intromitti poſſit inſtrumentum ad eleuationem osſis comprimentis, & ablationem pungentis, in quibus etiam caſibus, & qui apertionem horrent, ad eam confugiunt, cum nulla alia ſit ſalutis via. Ex apertione etiam id habemus, quod opportuna remedia egenti membranæ, & ſubiectis partibus egentibus applicari poſſunt. Celſus os aperit, ſed primò medicamentis agendum eſſe ait, etſi ſymptomata ſuperuenerint, ad perforationem confugiendum, vt idem cum Conciliatore ſentire videatur, vnde dicebat lib. 8. cap 4. In omni verò fiſſo, fractove oſſe protinus antiquiores Medici ad ferramenta veniebant, quibus id exciderent: Sed multò melius eſt ante emplaſtra experiri, quæ caluariæ cauſa imponuntur. Et inferiùs: Si verò ſub prima curatione febris intenditur breueſque ſomni, & iidem per ſo, mnia tumultuoſi ſunt, vlcus madet, neque alitur, & in ceruicibus glandulæ oriuntur, magni dolores ſunt, ibique ſuper hæc faſtidium increſcit; tum demum ad manum, ſcalprumque veniendum eſt.

Præmittuntur fundamenta pro ſoluenda difficultate.

Pro huius difficultatis ſolutione ſtatuere oportet, quod in vulneribus capitis cum rima in oſſe, vel ſede teli, prohibere non poſſumus: quin colligatur materia, & per fracturam ad ſubiectas partes deſcendat. Ad quod quidem probandum tanti facit ratio Gal. vt ſuperuacaneum videatur aliam quærere; ſi enim vt dicebat Galen. 7. Meth. 6. in brachio e. g. fractum ſit os vſque ad medullam, & nemo pro fracturæ legibus deligationem faciat, neceſſarium

um erit profectò ſaniem non ſolùm quæ foris ſub cute, & muſculis eſt collecta, ſed etiam quæ in medulla continetur, tum ipſam ac primum maximè corrumpere, tum cum ipſa os vniuerſum, quando etiam nunc omnibus rite peractis aliquando talia contingunt, ergo idem in capite accidere dicendum eſt, quod ſi in brachio adſit & vulnus in parte carnoſa, tanto minus deuitari poterit ſaniei collectio, & adhuc minus in capite, cum deligationem neceſſariam in fracturis ad prohibendum materiæ influxum, & contentæ iam expreſſionem non admittat, vnde ſi ad internam oſſis faciem penetret, & ad ſubiectam membranam percolabitur, ex cuius contactu membranam malè affici neceſſe eſt, ſiquidem ſupponendo fracturam non eſſe patentem, materia non habet exitum, & ideò manet concluſa in loco arcto minimeque difflari poteſt, nedum expurgari, ex quo malam qualitatem acquirit, atque tum propria, tum aſcititia qualitate membrana male habebit, eandemque mole diſtendet, deinde ob loci caliditatem, in quo continetur, vapores aſſidui eleuantur, qui cum exitum non habeant, neceſſariò etiam diſtendent ipſam membranam, & praua qualitate vitiabunt, qua de re fiet impotens ad rectam expulſionem offendentis materiæ, eoque magis, cum ſibi ſit neceſſarium ſurſum materiam expellere, & per anguſtam viam, potius ergo illam huc, & illuc tranſmittet, & ita extendetur affectio, & neceſſario tandem putredo, & inflammatio ſubſequentur, & mors denique præeuntibus prauis illis ſymptomatibus. At, ſi fractura minime patens totam oſſis ſubſtantiam non penetret, nihilominus purulenta materia, cuius generatio impediri non poteſt, ad penitiores oſſis partes percolans, & exitum non habens, os corrumpet, quod ita vitiatum membranæ moleſtum euadet, quam prius conſeruabat; & ideo natura, vt rem moleſtantem expellat, ſanguinem, & ſpiritus, prout conſueuit, ad eam partem tranſmittet, itaque inflammationem accendet, veluti etiam accidit, quando os contu-

tuſum eſt: addamus quod ab internis partibus, ad vulneris locum, materia confluit, quam non præpediret deligatio, etiam ſi, vt in artubus, poſſet in capite tracto adminiſtrari; pariter, ſi ex alicuius venulæ fractura, vel diſruptione ligamenti ſub oſſe collecta fuerit materia, neceſſariò putreſcet, malaque ſymptomata, & mors ipſa, erunt præ foribus; Itaque vt eripiamus vulneratum ab interitu, neceſſarium eſt hanc materiam auferre, poſteaquam non eſt in nobis, vt eius collectionem impediamus.

Reprobatur curatio per potiones.

Pro eius ablatione triplex proponitur modus, videlicet per potiones, per medicamenta extrinſecus appoſita, & per osſis apertionem, ſeu exciſionem: potiones vim hahabent inſignem calefaciendi, attenuandi, & digerendi, niſi enim eam inſignem haberent, cum pars longe ſita ſit à ventriculo, prius eorum vis deficeret, quam peruenirent ad vulneratam partem, hinc earum auctores conficiunt eaſdem ex optimo vino, pipere, gingibere, & huiuſmodi aliis rebus valde calefacientibus. Vel ergo volumus exhibere has potiones, antequam prætereat tempus inflammationis, vel poſtquam præterierit inflammationis terminus: ſi prima, contra methodum agimus, ſiquidem opus eſt potius, vt prohibeatur inflammatio, humores refrigerare, & incraſſare, vt eos ineptos ad motum reddamus, at huiuſmodi potiones eoſdem maximè calefaciunt, attenuant, & fluxiles admodum reddunt, & quod peius eſt, ad caput ipſum vehunt, maximum enim ad caput vehiculum ſunt aromata, & vinum, quare erunt iſtæ potiones maxima inflammationis occaſio. Si verò, poſtquam præterierit tempus inflammationis, qui communiter ſtatuitur decimus quartus dies, interim quid futurum ſit, de ipſo ægrotante ipſi videant. Sed hoc poſtremum, neque ipſi admittunt, ſiquidem volunt, vt altera à vulnerationis die incipiat vulneratus potionem aſſumere. Itaque omni ratione videntur potiones ablegandæ: Quod ſi quidpiam earum vſu viſi ſint conua-

luiſ-

luiſſe, id potius referendum eſt in ſaluberrimam eorum naturam, quam in potiones.

Ad externa medicamenta deueniamus, & conſideremus num poſſit quodpiam inueniri, quod valeat ſaniem à ſubiectis oſſi partibus per os ipſum euocare, negat Gal. 6. Meth. 6. dari tale medicamentum, dicebat enim: Nec medicamentum eſt vllum, quod vel in aliis quidem partibus citra deligationem os fractum, quatenus nunc dictum eſt, ſiccum, atque ab ſuperuacuis purum reddere valeat. Sed rationibus rem agamus. Hoc medicamentum aut attrahit qualitate manifeſta, aut occulta, quæ qualitate occulta attrahunt, ſeu à totius ſubſtantiæ proprietate, quæ etiam recenſuit Gal 5. de ſimp. med. fac. capit. 17. dicens: Aliud. eſt attrahentium genus, quod qualitatis familiaritate attrahit, id quod nil aliud eſt, quam totius eſſentiæ ſimilitudine, experientia tantùm innoteſcunt, atqui nondum experientia tale inuentum eſt medicamentum. Quæ verò à qualitate manifeſta attrahunt, id caliditate faciunt, & tenuitate partium, vnde Gal. 5. de ſimp. med. fac. Attrahentes medicinæ ſunt, quæ ex alto vehementius extrahunt, eſſentia illis eſt calida, & tenuium partium, quam quidem, vt ibidem dicebat Galenus alia ex ſui natura habent, alia verò ex putredine, vt ſimus columbinus, fermentum, & huiuſmodi, ſiue poſtea reuera per caliditatem attrahunt, ſiue potiùs qualitate illa tantum attenuetur materia, & euaporationi apta reddatur, parſque laxetur parum intereſt: Itaque ſi materiam ſub oſſe contentam euocare voluerimus, neceſſarium erit adhibere medicamenta calida, & tenuium partium, & eo magis, quoniam materia profunda, & per oſſis ſubſtantiam educi debet, ſi enim leuiora adhiberentur in itinere vis eorum deficeret, qua ratione Gal. lib. Ar. med. c. 89. Si igitur particulæ patienti admoueatur tale præſidium, tanto erit frigidius, atque humidius, quantum exigit partis affe-

Reprobatur curatio per topica.

affectæ indicatio: quod ſi particula affecta in penitioribus locis ſita ſit, machinari oportet inſuper tale inuenire remedium, cuius vis nequaquam in itinere ſoluatur. Si igitur calidius eſſe oportuerit eo, quod eſt moderatum, non ſolum tantam habeat caliditatem, quantam exigit morbus, ſed vltra eandem menſuram tantum adiiciatur, quantum ex ſitu, vt pertingere poſſit ad locum patientem, ſit neceſſarium.

Oportebit igitur ea medicamenta eſſe valde calida, atqui, ſi talia admouebuntur procul dubio erunt fluxionis, & inflammationis occaſio, cum & abſque attrahentium vſu, eiuſdem maxima ſit habenda ſuſpicio, quemadmodum in vniuerſalibus declarauimus, cuius ratione tantum abeſt, vt calefacientia, & attrahentia ſint adhibenda, vt potius refrigerare, & repellere conueniat, & omnia præſtemus, vt inflammatio præcaueatur, vtentes omni reuulſionis genere, euacuantes tenues, & calidos ſuccos, qui ad partem fluere facilè poſſint, & partem etiam refrigerantes, & incraſſantes: quod ſi hæc attrahentia parti adhiberemus, contrarium eius præſtarent, quod reuellentibus aſſequi ſtudemus: immo facilius erit à circumſtantibus partibus, ac toto humores ad vulneratam partem attrahere, quàm materiam ſub oſſe contentam euocare; hæc enim per os tranſeat, oportet, humores vero confluent per ipſa vaſa, nihil habentes, quod eos impediat. Sed demus nullam ex vſu attrahentium ſubſequuturam inflammationem, atque videamus quid boni ex ipſis ſit ſperandum: Profecto niſi à naturali noſtro calore ad actum medicamenta reducantur, parum, vel nihil vtilitatis afferre poſſe credendum eſt. Si ergo medicamenta vulneri applicata deberent aliquid opis afferre, oporteret, vt ad actum reducerentur à calore cutis, & ſubiectionis, atqui in talibus vulneribus os eſt detectum, cute priuatum, & ipſum præterea ab aere alteratum, & refrigeratum, non ergo ad actum reduci poterunt medicamenta, veluti requiritur, neque vis eorum oſſis ſub-

ſtan-

ſtantiam penetrare poterit. Quandocunque integra eſt cutis non mediocrem vtilitatem à medicamentis appoſitis ſperare poſſumus, quoniam ad actum reducuntur medicamenta, & os non eſt affectum, ſeruatque ſuam naturalem raritatem, & tamen neque id ſemper aſſequimur, ſed oportet quandoque ad ſectionem, & perforationem oſſis deuenire, quare fieri non poſſe videtur, vt oſſe detecto, & alterato ab aere, atque male affecto, poſſint medicamenta, quæ ſub eo continentur, attrahere; & dato etiam, quod aliquid poſſent attrahere, id neceſſario erit difficillimum, & longo temporis ſpatio indigebit, atqui non oportet materiam diutius contineri ſupra membranam concluſam; periculum enim maximum eſt in mora, ſiquidem male afficeretur membrana à concluſa materia; quod ſi medicamentorum ope materiæ drachma extraheretur, vncia, vt ita loquar à circumſtantibus partibus efflueret. Concludendum igitur eſt ea nullam eſſe potiorem viam curandi fracturas cranii, quam Diuinus ſenex nobis tradidit, quæ videlicet fit per oſſis exciſionem.

Verum tamen noto in Theodorico, ſi eo curandi modo quipiam ſeruati ſunt, id non potionis ratione factum eſſe, ſed quoniam labia vulneris ad mutuum contactum adducebat, & tecta ſeruabat, ex quo naturalis calor non multo poſt ad priſtinum ſtatum reuertebatur, ob idque nec effatu digna materiæ portio generabatur, nec in multa quantitate coaceruabatur, ſed propter natiui caloris robur generationem ſtatim ſubſequebatur expulſio, ac digeſtio; ſcimus enim quanto minor excrementorum portio tecto ſeruato vulnere generetur, & quanto fortius expellatur. Decipiebatur autem Theodoricus referens ſalutem in ſuam potionem, quæ potius debebat interficere. Et re vera, ſi daretur medicamen, quod materiam ſub cranio contentam poſſet attrahere, id profecto applicandum eſſet, adductis prius vulneris labiis, & ambientis iniuriæ penitus forent arcendæ, ſed huiuſmodi medicamentum nondum eſt inuentum, quamuis aliqui in

Notandum in Theodorico.

Chymicis oleis talem vim ineſſe contendant, quæ verò ſuperius propoſita ſunt, ſæpiſſime fallunt. Neque omnino probandum eſt Celſi conſilium, vt videlicet, differamus operationem, donec appareant ſymptomata, & prius experiamur, num quidpiam poſſimus medicamentis proficere, iam enim dictum eſt periculum eſſe in mora, & cum ſymptomata ſuperuenerint, forſan in ſubiectis oſſi partibus contracta erit incorrigibilis noxa, hinc perpaucos ſeruari eorum videmus, quibus poſt ſeptimam diem ſuperueniunt; Supereſt vt ad contraria argumenta reſpondeamus.

Solutio argumentorum. *Ad primum.* Ad primum igitur Conciliatoris argumentum dicimus, quamuis operatio in oſſe ſit aliqua occaſio fluxionis, cum fieri non poſſit, quin & vulnus refrigeretur, & caput concutiatur, & dolor etiam inferatur, eoque magis cum ſit neceſſarium vulnus amplum reddere impoſitis penicillis, aut cutis etiam ſectione, vt poſſit fieri operatio, nihilominus ex duobus malis minus eſt eligendum, & cui etiam poſſumus occurrere; minus autem malum eſt aliquam occaſionem fluxioni præſtare, cui multis aliis remediis occurrere poſſumus, quam de materiæ effluxu parum eſſe ſolicitos, ex cuius retentione praua ſymptomata, & tandem mors contingat; quod ſi materiæ paremus exitum, à morte ægrum eruimus: vnde licet operatio dolorem inferat, & concuſſionem, à morte tamen eripit, non autem eſt cauſa conuulſionis, & mortis, vt ipſe dicit: Contra applicatio medicamentorum citra exciſionem vel apertionem, neque dolores infert, neque cerebrum concutit, ſed tamen praua tandem inuehit ſymptomata, & mortem, quoniam non ſatis conſulit contentæ materiæ.

Ad ſecundum. Ad ſecundum dicimus, reducendam quidem eſſe vulneratam partem ad proprium temperamentum ſi curandum ſit vulnus, at in fractura caluariæ, immo in omni vulnere primùm remouenda quæ impedimento ſunt, quo minus pars ad proprium temperamentum reducatur; in ca-

capitis autem vulneribus materia contenta ſub cranio, eſt in cauſa, ne pars ad proprium temperamentum reuerti poſſit, immo vt in dies peius afficiatur; oportet igitur vt per oſſis amotionem ipſi detur exitus, & quamuis hoc fieri non poſſit, ita vt partis temperamentum diſpendium aliquod non patiatur, id tamen poſtea corrigitur, quod ſi hæc non haberetur materiæ ratio longe maius, & cui minus poſſet conſuli, periculum immineret: Quid enim poſſint medicamenta, iam ſuperius dictum eſt: Quod ſi daretur aliquod medicamentum ad eius eductionem potens, eodem vti longè melius eſſet, quam ægrotantem ſectionibus, exciſionibus, perforationibus, & aliis manualibus operationibus torquere, neque tamen vitium eſt in Medicina morbum morbo curare, ſed hoc ſæpiſſimè cogimur experiri ad euitandum maius malum.

Ad tertium dicimus naturæ forti nihil repugnare in expellendis, modò viæ non deſint, per quas poſſit expellere: atqui dum materia continetur ſub oſſe concluſa, ſtatim malè afficit membranam, vt debilis reddatur ad expellendum; prætereà expellit materiam per oſſa quidem, ſed non quando ab aere ſunt alterata. Amplius non momento expellit, ſed multoties ſinit copiam materiæ coaceruari, antequam expulſionem aggrediatur; at hic periculum eſt in mora. Amplius non ſemper natura inſurgit ad expellendam materiam, vt in febribus videre eſt: Non ergo cum tanto periculo eſt expectanda naturæ actio. *Ad tertium.*

Ad quartum negamus, medicamenta extrinſecus applicita eam vim habere, quam ei tribuit argumentum, ita ſcilicet vt poſſint eam præſtare in dictis fracturis, vt ſuperius explicatum eſt. Vnde licet vnguentum, quod à Conciliatore proponitur, forſitan habeat locum in fracturis caluariæ integra cute, nullum tamen fructum afferet, vbi detectum eſt os, quod ſi vim medicaminum attrahentium vellemus adaugere, id eſſet *Ad quartum.*

certam inflammationem concitare, cum nec mitiorum tutus ſit vſus, quamdiu periculum imminet inflammationis.

Ad argumentum ex Haly. Ad id verò, quod ſubiungitur ex Haly, ponimus medicinam ſub vmbilico, & attrahit humores, ponimus ſub pedibus, & attrahit ex capite, quo magis poterit attrahi materia ſub oſſe contenta vi medicaminis? Dicimus illam attractionem fieri à proprietate totius ſubſtantiæ, non habemus autem medicinam, quæ à proprietate totius ſubſtantiæ materiam attrahat ſub oſſe contentam: & ſi haberemus, nemo eſſet tam inſipiens, qui libentius ea non vteretur.

Ad quintum. Ad quintum quid dicendum, ex dictis patet; dantur enim medicinæ attractiuæ fortes, ſed non materiæ ſub oſſe refrigerato contentæ. Prætereà medicinæ attrahunt, ſed longo tempore, at hic periculum eſt in mora.

Ad poſtremum. Ad vltimum decimus lethargicos, & phreniticos paucos liberari, vnde ex ipſis non eſt ſtatuenda regula. Præterea os, & cutis non ſunt malè affecta, & ideò cranium ſuam habet naturalem raritatem, & vis medicamentorum poteſt ad ſubiectas oſſi partes peruenire, & materia ipſa euocari. Henrici curatio præterquam quod fallax eſt, ac nulla ratione nititur, cum inſuper ſit ſuperſtitioſa, & à Chriſtiana Religione abhorreat, penitus ablegenda.

CAPUT XLII.

Quid agendum poſt perforationem, detectaque membrana.

SI à principio membrana detegatur, vel quia aliquid ſub oſſe contineatur, vel, quia quis ab opere primo apparatu ſe velit expedire, quamuis reliquum vulnus ſit curandum, ſicuti reliqua vulnera, vnde & Hippoc. in fine lib. de Vulner. capit. dicebat: Poſtquam autem os abſtuleris, reliqua, velut vlceri conferre viſum

ſum fuerit, curatio, attamen habenda eſt aliqua ratio membranæ proprio tegumento, ac propugnaculo deſtitutæ. De qua quidem re variæ ſunt, & antiquorum, & recentiorum ſententiæ, & variè ſe gerunt recentiores in procuratione membranæ detectæ, alii ſiquidem ſiccandam eſſe membranam quamprimum dicunt, ne corrumpatur, & huius ſententiæ fuiſſe videtur Celſus, & Hip. ipſe lib. enim de Vuln. cap. num. 24. ſtatim oſſe perforato, & exſecto, dicebat, ac de membrana detracto, ipſam denudatam membranam puram quam citiſſimè, ac ſiccam facere oportet, vt ne, vbi ad multum tempus humida ſit, computreſcat, ac in tumorem attollatur; his enim ita contingentibus, periculum eſt ipſam putrefieri. Celſus quoque aceto vtitur, & emplaſtro Iſidis, & emplaſtro Iudæ. Alii verò vtuntur lenientibus, puta oleo roſaceo, ſanguine columbæ, oleo vitellorum ouorum, & huiuſmodi, vt inflammationem prohibeant. Galen. vtramque Methodum laudat, ideo 6. Meth. 6. dicebat; Denudata membrana, tum blandiſſima curatio inſtitui poteſt. Tum huic aduerſa: vnde refert Megetem, & Eudemum ſolitos ſupra denudatam membranám oxymel infundere, & emplaſtrum Iſidis apponere, & plurimos refert hac ratione curandi fuiſſe ſanatos, neque præter rationem, cum membrana dura pati poſſit talia medicamenta, citra diſpendium, vt quotidie experimur in meatu auditorio: E conuerſo cum Romæ morabatur refert apud Chirurgos vrbis inualuiſſe lenientem curationem, qua etiam ſanabantur, immo 10. de ſimp. med. fac. cap. de columbæ ſanguine, melius inuenire nihil poſſis, dicebat, in capite perforato, quam vt roſaceo probò vtare.

De procuratione membranæ variæ ſententiæ.

Curatio exſiccans.

Curatio blanda, ſeu leniens.

Itaque Galen. experientia duce vtramque Methodum comprobauit: Quocirca ſi vtraque hæc adeo Galen. placuit, & à nobis recipi poterit. Diſtinguendum tamen cenſeo membranæ ſtatum, namque vel ſana omninò eſt, & abſque labe, vel prauam aliquam affectionem contraxit, puta inflammationem, corruptionem, & huiuſmodi: abſur-

Non eſt ſemper eodem modo tractanda membrana.

abſurdumque eſt exiſtimare tractandam eſſe eodem prorſus modo dum ſana eſt, atque cum malè eſt affecta, cum & variæ ſint indicationes: prius ergo videamus, quæ procuratio membranæ ſit habenda, quando nondum labem contraxit. Vtique talis exiſtens conſeruari poſtulat; ſicuti omnia naturaliter ſe habentia, qua ratione verò ſit conſeruanda: ex iis quæ ipſi poſſunt officere, erit perſpicuum, ex cognitione ſiquidem nocentis, & quod confert, percipitur, vnde Gal. lib. de opt. ſect. indicatio dicebat eſt comprehenſio iuuantis, ſimul cum comprehenſione nocentis; profecto non indiget conſeruatione membrana, niſi quia periclitatur: niſi hoc eſſet non indigeret conſeruari, permanens enim eſſet eius ſtatus. Quæ ipſi poſſunt obeſſe duo ſunt, purulenta materia, quæ neceſſariò à ſuprapoſitis partibus ad ipſam deſcendit, & interdum in ipſa quoque generationem habet; & proprii ac naturalis tegumenti defectus, tegitur enim ab oſſe, quod non ſolùm eam ab iniuriis externis, præcipuè verò ambientis, defendit, verùm, & moderato quodam calore eandem fouet; huius igitur tegumenti defectu, iniuriis ambientis, cuius contactum nunquam antea percepit, natiuus illius calor non leue detrimentum experitur, tum eius ſubſtantia defectu tegumenti in auras diſſipata, tum eius qualitate occurſu ambientis, qui æſtiuo etiam tempore ipſo crebro eſt longe frigidior, vt animaduertit Galen. 8. de vſu part. re fracta, hinc corruptionis, & inflammationis periculum: Neceſſe eſt itaque purulentæ materiæ idoneum parare effluxum, & ab eadem membranam protegere, ac naturali calori ſubuenire, & fluxionem prohibere: Effluxum parabimus appoſitis ſectionibus, & congrua partis figuratione: calori naturali ſubueniemus artificiali tegumento vulnus fouentes, ac ab iniuriis ambientis protegentes, medicamentoque amico membranam conſolantes, atque fluxionem prohibebimus repercutientes, promptè enim pars non recipiet, dicebat Galen. ſi fluxiones repercutiantur, & ipſa ad temperiei mediocritatem redigatur.

Indicationes quando membrana nihil paſſa eſt.

Quare

Quare oſſe exciſo, detectaque membrana, in ipſam inſtillandum eſt idoneum medicamentum, huiuſmodi mea quidem ſententia eſt oleum roſaceum actu calidum, præſertim, quod ex oliuis immaturis conficitur, omphacinum dictum, iure à Galen. probatum, namque actuali ſuo calore membranæ calorem fouet adſtringenti verò facultate repellit, & roborat, nihilque habet mordacitatis, ſed potiùs quid anodyni, ſed & moderata eius potentialis frigiditas, nonnihil ad repercuſſionem facit: Reſina terebinthina, atque abietina lotæ, & ipſe moderato ſuo calore natiuum membranæ calorem fouent, moderataque adſtrictione repellunt, & roborant, mordacitatiſque ſunt expertes, immo ſi maluarum aqua eleuantur, non parum habebunt anodyni, quocirca ſi oleo roſaceo permiſceantur efficaciſſimum erit medicamentum. Sanguis columbæ à multis probatur, & oleum uitellorum ouorum, & reuera ſunt anodyna, uerùm cum membrana ſit omnis prauæ affectionis expers, quem locum habeant, non uideo, cur adeò relaxanda eſt membrana citra neceſſitatem? idem dixerim de melle roſaceo oxymelite, aceto, vnguento Iſidis, aqua ardente, & aliis ſtillatitiis aquis, & aliis inſignem uim calefaciendi, & exſiccandi habentibus, cum nihil adſit, quod abſtergeri deſideret, neque ſuperflua reperiatur humiditas, quæ fortia exſiccantia poſtulet, neque frigiditas, quæ calefacientibus adeo ualidis ſit expellenda.

Medicamen membranæ detectæ ſed ſanæ conueniens.

Sed circa rationem exſiccantem obiiciet quiſpiam quomodo ergo ſaneſcunt tam curatione leniente adhibita, quam exſiccante? Non quidem alia de cauſa, niſi quia ſana eſt, & ab impoſitis medicamentis detrimentum non recipit, ſed ea vbi ſibi nociua ſunt expelli; quamuis neque ſemper conualeſcant. Ratio enim, quam Fallopius affert de lenienti ratione, parum ad rem facere iudicanda; ſupponere ſiquidem uidetur membranæ læſionem, unde exemplo inflammationis teſtium, quæ aliquando ualidiſſimis ſiccantibus ſanatur breui, puta emplaſtro ex ſter-

Obiectio.

Solutio.

ſtercore bouino, cum ruta, & foliis lauri, atque butyro, aliquando etiam lenientibus, ut pane ex lacte cocto, atque oleo roſaceo, infert utramque curationem, & cerebri membranæ conuenire. Quod ſi de membrana ſana exiſtente intelligeret, ad rem (palam eſt) adductum exemplum non faceret. Quod ſi Hippoc. lib.° de vulner. cap. oſſe perforato, & exſecto, ſiccandam iubeat non de ſana membrana id intelligit, ſed malè affecta, & ideò dicebat ipſam denudatam membranam puram, quàm citiſſimè, ac ſiccam facere oportet, vt ne, ubi ad multum tempus humida ſit, computreſcat, & in tumorem attollatur, en eam humidam ſupponit, & ex humiditate ipſius putredinis periculum: Vel per membranæ exſiccationem faciendam non intelligit eam, quæ medicamentis fit, ſed quæ abſtergendo ex goſſipio, aut lana, quaſi uellet Hippocrat. antequam medicamentum apponatur vulneri, vt membrana goſſipio, vel alia re ſimili, quam optimè abſtergatur, & exſiccetur, quo loquendi modo vſus eſt etiam Hip. lib. de vlcer. nu. quarto dum dicebat. At vbi deligare uoles pharmaca non prius imponere oportet, quam ubi ſiccum feceris ulcus. At quando ſana non eſt, alia eſt ratio, ſed de hoc ſuo loco.

Rectus vſus medicamentorum.

Vt ergo in unum colligamus rationem curandi talia vulnera, facta oſſis perforatione, atque exciſo oſſe, ſi quid ſanguinis ex abraſione oſſis percolauerit ad duram meningem, protinus goſſipio leuiter detergatur membrana, poſtea inſtilletur, una vel altera gutta lotæ terebinthinæ, uel abietinæ lachrymæ calentis, uel roſacei olei, aut reſinæ cum oleo mixtæ, dein labiis uulneris illiniatur medicamentum, quo foueri poſſit natiuus calor partis uulneratæ citra humiditatis putreſcibilis concitationem, cuiuſmodi eſt terebinthina, vel aliquod aliud medicamentum, quod à proprietate ſubſtantiæ vim addat naturali calori, cuius cenſus eſt vnguentum noſtrum, deſuperque appoſito linteo eodem medicamento illito, & ſuper ipſum alio linteo, quod magnam etiam partem

partis

partis ſanæ comprehendat oleo roſaceo calente imbutum, & aliis ſiccis linteis, quæ præſtent idoneum tegumentum vulneratæ parti, & detectæ membranæ tectum relinquatur vulnus, donec omnis inflammationis periculum pertranſierit, ſic enim ambientes partes naturali tegumento deſtitutas haud offendet, & natiuus roborabitur calor, & ex conſequenti citiores, & meliores promouebuntur ſuppurationes, quod eſt in cauſa, vt minime inflammetur pars, & citius expurgetur. & ideo Hipp. lib. de vuln. cap. num. 23. Quare ſuppuratum quidem, quam celerrime vlcus facere oportet, ſic enim ambientes vlcus partes quam minimum inflammabuntur, & vlcus citiſſimè purum erit. Curandum autem erit, vt vulnus expurgari decenter poſſit, & ideo etiam aptus ſitus deligendus, vt videlicet vulnus, ſi fieri poſſit, deorſum ſpectet, aliquamdiu ſaltem, ne nos, & ſubiecta membrana, ex concluſo pure aliquid mali contrahat, poſſet enim os ſuppurari, & inflammari, & membrana ipſa putrefieri, & ideo Hipp. loco citato num 21. Cauere autem oportet, vt ne aliquid mali os contrahat ex carne, ſi male curetur, nam & perforato oſſe, & aliàs denudato, ſed ſano, & ſi læſionem aliquam ex telo habeat, & tamen ſanum eſſe putetur, periculum magis imminet, vt ſuppuratum fiat, etiam ſi aliàs futurum non eſſet, & nu. 22. ſubiungit: Si & caro os ambiens male curetur, vt inflammetur, & conſtringatur (ecce quomodo inter malas curationes reponit conſtrictionem, videlicet puris) igneſcit enim, & multa flamma impletur, & ſane os ex ambientibus carnibus in ſeipſum calorem, & flammam, & quæcumque mala in ſeipſa habet caro, trahit, & ex his ita ſuppuratum fit.

Reprobantur linamenta in vulneribus capitis.

Sed & mala curatio carnis eſt, quando quis linamentis vtens replendo vulnus labia diſtendit. Peccant enim hi triplici ratione, & quoniam linamentis vtuntur, quæ reprobat Hipp. Neque linamentis curationem facere oportet dicebat lib. de vuln. cap. text. 18. & quod ex-

tenſionem faciunt, vnde male afficiunt carnem, & occaſionem præbent fluxioni, & quod pus concluſum continet, vnde malam concipit qualitatem, & prauos mittit halitus, & os male afficit, atque ego in multis hanc ſolam mortis cauſam obſeruaui, cum alioqui vulnera non eſſent lethalia, & tamen in ſua cæcitate perſiſtentes recurrunt poſteà ad ſecretas cauſas, vt notam, quam meruerunt, effugiant. Si materiæ conueniens effluxus parari nequeat, in intermedio tempore conferet ſemel, aut bis vulnus ſoluere, ac membranam, vt decet, procurare, quia improbandum non erit ſi tenuiſſimum linteum, quod ſimile medicamentum habeat, ad membranam apponatur, quod & eam à pure ex vulnere percolante proteget, & vicem geret operculi, communiter accipiunt ſericinum linteum ex chermes tinctum ſed neque diſplicet goſſipii floccus, aut filamenta arida tenuiſſima roſaceo imbuta: in robuſtis tamen nec vitioſis ſuccis refertis, & in aere benigno, ac vulneratis capite amico, vna vel altera terebinthinæ inſtillatio, ac vulneris procuratio citra immiſſionem lintei ſolet ſufficere, verum in imbecillioribus ſeu natura, ſeu aſcititia cauſa, & vitioſis ſuccis refertis, atque aere parum amico, id nunquam tentarem, nam principia fluxionis ſunt valida, virtuſque expultrix eſt imbecillior, quam vt poſſit collectam materiam extra foramen oſſis expellere. Quamobrem donec videam expultricem robuſtiorem euaſiſſe ſæpius vulnus ſoluo: ac procuro.

Nec ſemper in roſaceo perſiſtendum, ſed madoris tempore melle roſaceo, aut roſaceo ſyrupo vtendum, vt ſordes abſtergantur. Laudatur etiam terebinthina, vel ſola, aut cum melle roſaceo permixta. Si fortiora abſtergentia requirantur, oxymel ſaccharinum erit opportunum. Sed de membranæ labe mox diſſeremus.

CAP. XLIII.

CAPUT XLIII.

Quæ ratio habenda ſit detectæ membranæ, ſi labem aliquam contraxerit.

DEtecta membrana labem aliquam contraxiſſe non rarò deprehenditur, interdum enim inter ipſam, & cranium concretus ſanguis, aut purulenta materia reperitur, ex quibus relaxatur, humida redditur, & ſordibus inquinatur. Nonnunquam verò denigrata conſpicitur, hocque duplici ratione contingere ſolet, nigrities enim contrahi in ipſa poteſt, vel ob corruptionem, cuius ſignum eſt fœtor, & non rarò purulentia reperta, vel ob extinctionem natiui caloris, quæ eſt citra fœtorem, & non rarò citra materiæ præſentiam, vt plurimum enim fit à compreſſione, & contuſione, vel frigidi aeris occurſu.

Quandoque inflammatione torquetur, idque ex tumore, vt aliquando ipſum egrediatur, rubore, vaſorum tenſione, atque pulſationis defectu licet coniicere: ſemperque adſunt praua ſymptomata, ſicuti & quando denigrata eſt membrana, aliquando colligitur excrementum quoddam craſſum, & viſcidum, quod admodum hæret ipſi membranæ, pallidique coloris, vt dura meninx quaſi craſſa quadam, & denſa membrana obtecta videatur, ortum habens ab excremento craſſo ipſius membranæ, id verò præſertim obſeruatur in ſenibus.

Quando igitur oſſe ablato materia reperitur concluſa, *De materia contenta ſub oſſe.* quoniam fieri non poteſt, quin labem aliquam membrana contraxerit, lana, vel goſſipio leuiter detergenda eſt, & ſi qui adſint grumi, penitùs tollendi, niſi eidem nimis hæſerint, quo in caſu eorum ſuppuratio eſſet expectanda, etſi qua fortaſſe materiæ portio in proximis fuerit partibus, vt expellatur, clauſo ore, & naribus, ſpiritus ad nares impellendus, tumefiet enim membrana, & ſi qua materia ſubſit, exprimetur ad orificium: dein ab-

ſtergenda membrana, atque medicamentum, quod moderatè ſiccet, atque detergat, imponendum, & hoc eſt, quod volebat Hippocrates lib. de vuln. cap. n. 24. dum dicebat: Statim oſſe perforato, & exſecto, ac de membrana detracto, ipſam denudatam membranam puram quam citiſſimè (reſpiciendo etiam deterſionem manualem) & ſiccam facere oportet, vt ne vbi ad multum tempus humida ſit, computreſcat, & in tumorem attollatur, eiuſmodi eſt terebinthina, vel abietina lachryma, cui præſertim aliqua portio mellis roſacei fuerit adiuncta, vel mellis roſacei ſaccharini, vel ſyrupi roſacei recentis: moderatè autem calida ſunt applicanda, frigidis enim minimè eſt aſſueta, vt quæ in calido loco ſemper manſit, qua etiam ratione, vbi detecta eſt membrana, quamprimum ab opere expedire nos oportet, ne ambientis ratione malè afficiatur: quantumuis enim aer ſit calidus, facta ad ipſam, cerebrumque collatione, ſicuti dicebat Galen. frigidus cenſendus eſt. Linteum quoque tenuiſſimum eodem medicamento refertum ad membranam apponatur. Exinde curandum eſt vulnus, veluti ſi ſine hac affectione contigiſſet. Aliqui ad exſiccandam membranam, & auferendam omnem ſordem, quam ex purulenta materia potuit contrahere, aqua ardenti vtuntur, verum huiuſmodi medicamenta calidiora, quam par ſit, ſemper iudicaui, ob idque valde ſuſpecta, perſiſtente adhuc inflammationis metu. Si à vulneris principio fuerit exciſum, totuſque affectus locus fuerit detectus, vna, vel altera medicamenti impoſitione corrigi ſolet omnis membranæ affectio, & ideò non erit neceſſe crebro vulnus ſoluere, antequam præterierit tempus inflammationis, vt membrana procuretur. At ſi proceſſu temporis denudata fuerit membrana, & concluſum pus compertum, periculum eſt, ne maior ſit affectio membranæ, quam vt vnica medicamenti impoſitione tolli poſſit, idcirco tertio quoque die, vel quotidie, etiam ſi materiam in maxima copia concluſa reperiatur, & affectio intenſior extiterit, ſol-

ſoluere vulnus conueniet, donec membrana materiæ dominetur: nec ſolum, vt medicamentum imponatur, verum etiam vt ſordes à membrana detergantur, & purulentæ materiæ egreſſus procuretur: cum propter intemperantiam, & quia à materiæ copia ſit oppreſſa, non adeò ſit valida expultrix facultas, vt nocentia validè poſſit propellere; & adſint etiam ſordes, quarum deterſio non naturæ, ſed medicamentorum eſt opus, illius memores erimus, non eſſe hanc curationem vulneris, ſed coniuncti affectus.

Aliquando diſruptis venis inter os, & membranam tanta colligitur copia ſanguinis, denique tanta puris copia generatur, vt actum eſſet de vulnerato, niſi quotidie vulnus ſolueretur, & egreſſus materiæ procuraretur, quem procuramus, iubentes, vt vulneratus clauſo ore, ac naribus ſpiritum vt quadam ad nares impellat, intumeſcit enim ex hoc membrana, atque ad foramen materia exprimitur, atque expreſſæ materiæ interdum aditum tum præbemus decuſſatorio appellato inſtrumento, membranam leuiter comprimentes, quæ tumens nimis hæret oſſi, & egreſſum materiæ prohibet.

Abſterſa verò membrana, aliquod abſtergens, & exſiccans inſtillandum, cuiuſmodi eſt ſyr. roſ. recens, mel. roſ. & quod fortius eſt, oxymel ſaccharinum. His addo nonnunquam tranſacto inflammationis periculo, vt maior fiat exſiccatio, aquam ardentem, & eam præſertim, in qua prius infuſa fuerint thus album, thuris cortex, radix ariſtolochiæ rotundæ, iridis, coccus inſectorius, betonica ſtœchas, centaurium minus, myrrha, aloes, roſæ rubeæ ſiccæ, & huiuſmodi alia. Lotionibus, ſeu iniectionibus ex vino Maluatico, in quo prædicta bullierint, quibus fœlici cum ſucceſſu ſe aliquando vſum eſſe teſtatur Carpenſis, nondum auſus ſum vti, ne maius onus membranæ committerem, quæ ſatis, ſuperque in pure expellendo laborat, in magnis tamen ſordibus eas non abhorrerem. Galenus ad

pus

pus eliciendum laudat vſum pyiulci, ſed huiuſce inſtrumenti natura nunc ignoratur.

Si ſanguis concretus oſſe exciſo ſeſe offerat, & quidem in modica quantitate, abſtergatur, at ſi nimis hæreat membranæ, procuranda eius ſuppuratio, itaque inſtillabitur vtiliter roſaceum oleum, aut ſolum, aut cum terebinthina lota, vel oleo vitellorum ouorum permixtum. Linteum quoque, ſeu fila euulſa tenuia digeſtiuo loto appellato illita, aut ex terebinthina lota, cera, & oleo vitellorum ouorum parato membranæ apponentur: Abſtergentia parum ſolent proficere, quæ tamen ex vſu erunt facta ſuppuratione. Vbi verò ſublata fuerit affectio, ad curam vulneris redeundum. Quandoque tanta ſanguinis copia collecta eſt vt expectare ſuppurationem non liceat, ſed omni ratione tollendus, ſaltem ex parte, vt deoneretur membrana, ad quod quidem opus vtor argenteis ſtylis, & vncis, inter os etiam, & membranam immiſſis, ſi ibi quoque contineatur, quibus grumos diſrumpo, & à meninge ſeparo, reſidui poſtea ſuppurationem adiuuo. Rariſſimi ſunt huiuſmodi caſus, ſed tamen occurrunt. Hac incedens via memini me grauiſſimas febres tollere.

Si denigrata fuerit membrana, & quidem ob corruptionem, conari oportebit eam tollere detergentibus, cuiuſmodi eſt mel roſaceum, vel per ſe, vel cum modica terebinthina. Quod ſi non proſit, ad oxymel deueniatur, & acetum ipſum, & ad aquam ardentem melle roſaceo, vel oxymelite permixtum, opportunum eſt etiam vnguentum Iſidis admixto præſertim melle roſ. immo in vehementi corruptione ad præcipitatum, lotum tamen aqua roſacea, atque roſaceo vnguento permixtum licebit deuenire. Atque in hoc caſu quotidie imponendum medicamentum per tres dies, quibus ſi corruptio non emendetur, exigua eſt ſpes ſalutis.

Quod

Quod ſi ex refrigeratione denigrata fuerit membrana, quòd potiſſimum contingit, quando fuerit diutiùs ambienti expoſita, valdè calefacientia erunt inſtillanda, cuiuſmodi eſt oleum de terebinthina ſtillatitium, oleum ſtillatitium ex abietina lachryma artefactum, aqua ardens, aqua, ſeu mater balſami, & id quotidie, ita tamen, vt quam minimum detecta maneat. Extrinſecus quoque imponendum medicamentum, quod vim efficacem habeat fouendi natiuum calorem, cuiuſmodi eſt balſamum artificiale reſinæ terebinthinæ, aut abietinæ permixtum, ceratum de betonica Ioannis de Vigo, vnguentum de gummi elemi, ceratum Conciliatoris, ceratum humanum Carpenſis, ceratum noſtrum, cuius deſcriptionem inferius trademus. In iſtis caſibus vti ratione lenienti omninò videtur à ratione alienum, vbi enim labes adſit ex concluſa materia, non corrigeretur affectio ex lenientibus, immo corruptionis ipſius membranæ maius ſubeſſet periculum, tanto minus tolli poterit denigratio à corruptione. Ad denigrationem autem propter caloris extinctionem factam, quam vim lenientia, & modicè refrigerantia habere poſſint, nemo eſt, qui ignoret. Vbi verò inflammari cæperit membrana, tunc lenienti ratione vti oportet, ita vt ea applicentur, quæ vim habeant modicè refrigerandi, & expellendi, atque dolorem leniendi; adeſt ſiquidem calor immoderatus vnde refrigerandum, adeſt dolor, vnde dolorem ſedantibus vti oportet, adeſt etiam fluxio materiæ, repellendum igitur citra tamen adſtrictionem effatu dignam, ne prohibeatur materiæ difflatio, & dolor augeatur. Itaque oleum roſaceum, & illud quidem omphacinum à principio aqua roſacea curioſè lotum optimum erit. Vnde & Celſus lib. 8. cap. 4. Quod ſi membrana per inflammationem intumuerit infundenda erit oleum roſ. tepido. Immitti autem poterit. tum ſolum, tum ſanguine columbæ permixtum, vel quod magis probo, oleo vitellorum ouorum. Oleum quoque violaceum probatur, omnia tepida ſunt imponenda. Pa-

De membranæ nigredine ob refrigerationem.

rabitur quoque vtiliter fotus ex decocto hordei, maluarum, violariæ, roſarum rubearum, plantaginis, femin. lini, fœnugræci, pſyllii, altheæ, præſertim quando membrana adeo intumuerit, vt oras diſſecti cranii ſuperet: quo etiam in caſu magis amplum reddendum erit oſſis foramen, ne ab oris oſſis exciſi tumens membrana nimis comprimatur, aut etiam laceretur: atque inſuper, vt materiæ, atque halitibus ſub cranio contentis liberior pateat egreſſus. Poſt fotum igitur in membranam inſtillabitur roſaceum oleum cum Celſo, vel violaceum, aut ſolum, aut oleo vitellorum ouorum permixtum, aut ceratum roſaceum tenuiſſimo linteolo illitum eidem applicabitur. Cui maximo cum fructu permiſcebitur oleum vitellorum ouorum; laudantur quoque à Celſo lenticula trita, & folia vitis contrita, & cum recenti, vel butyro, vel adipe anſerino, mixta, omnia tepida, uel moderatè calida ſunt adhibenda. Abradendi quoque erunt capilli, ut roſaceo, uel oxyrhodino irrigari caput poſſit. Cætera inflammationum auxilia nunc prætermitto, cum de ipſis in uniuerſalibus fuſius fuerit pertractatum.

Si in abſceſſum tranſeat inflammatio, quid agendum

Si uerò in abſceſſum terminetur inflammatio, ſecanda erit membrana, ut materiæ detur exitus. Non ignoro quanti momenti ſit craſſæ meningis ſectio, ſed cura omninò coacta eſt, nec aliter educi poteſt materia inter utramque meningem contenta. Satius eſt anceps experiri remedium, quàm nullum. Excrementum illud craſſum vſu terebinthinæ fœliciter tollitur. Permiſcetur tamen interdum maioris deterſionis gratia mel roſaceum: olea detergentia parum poſſunt, & minus, quo fortiora fuerint. Coactus ſum quandoque illud tollere oxymelitis vſu, & eo tanquam maximo detergente ſperabam ſcopum citius aſſecuturum, ſed nihil proficiebam. Animaduerti poſtea, & hinc etiam ſuppuratione eſſe opus. Nunquam autem prætermittatur, malè affecta membrana, appoſitio tenuiſſimi, & molliſſimi lintei ex lino, vel ſerico, congruo medicamento imbuti ad ipſam membranam,

nam, donec affectio ceſſerit. Fila euulſa tenuiſſima, & xyli floccus lintei vice accipi poterunt.

CAPUT XLIV.

De receſſu membranæ à proprio loco.

SEparari quidem poſſe membranam ab oſſe, & vi ictus & ob materiam contentam, aut membranæ inflammationem corruptis ligamentis, & in praxi obſeruaueram, & apud moltos auctores legeram, at poſſe à proprio loco recedere, ſicuti reuera poteſt, nec apud quemquam inueneram, nec experientia mihi conſtabat. Galenus quidem admonet caute admouendam eſſe terebram laterali parti capitis, ne cerebrum procidat, verùm docuit me praxis alium recedendi modum. Quidam Sigiſmundus Nigriſolius Ferrarienſis receſſus cuiuſdam meminit ex ligamentorum diſruptione. Quod ſi membrana, inquit, diſruptis ligamentis naturalem locum non ſeruauerit, hic opus, hic labor eſt, neceſſariò hæc infeſta erit, nec prius poterimus patientem curare, ſi cura poſſibilis fuerit; quod rariſſimè contingit, quia ligamenta diſrupta niſi tranſacto ſatis longo temporis ſpatio recuperari non poſſunt, & interim dura piam, & ambæ cerebrum compriment, & ex hoc peſſima inſurgent ſymptomata, &c. at receſſum talem à proprio loco obſeruaſſe, qualem nos vidimus, vix crederem, quia diſtinctius hac de re locutus eſſet. Semper diſruptis, aut corruptis ligamentis, cum non amplius hæreat oſſi, vt antea, à proprio loco recedit, at non vt in ſequenti hiſtoria patebit, eam enim ſubiicere volui, vt ne lateret praua hæc meningis affectio, poſteaquam in hunc ſermonem incidimus, atque ne huiuſmodi caſu oblato alii hæſitent, ſicuti ego cum aliis viris clariſſimis diu hæſitaui.

Media hieme ligno ſatis craſſo, & ponderoſo, erat quidem lecti columma nondum arte expolita, à lethali ho- *Hiſtoria.*

ſte percuſſus eſt iuuenis annum agens circiter trigeſimum ad latus dextrum paulò ſupra temporalem muſculum, & iuxtà coronalem ſuturam, ex qua percuſſione veluti mortuus in terram cecidit, itaque omnibus viribus deſtitutus permanſit ferè per horæ ſpatium. Sanguis ex ore, & naribus copioſus affluxit, altera die vocatus, cum Chirurgus primò accerſitus os, vt oportebat, non denudaſſet, cutem diſſecui, oſque vt oportebat, denudaui. Apparuit inſignis oſſis introceſſio cum rimis non obſcuris, ſed tamen neque patentibus, nec erat ſine febre. Veſperè os terebraui, oſſe exciſo occurrit vice membranæ concretus ſanguis, qui ictu oculi aſcendit veluti pulſus, ad regionem meditullii exciſi oſſis, euidentiſſimum argumentum compreſſionis membranæ; conatus ipſum tollere manuali abſterſione ex goſſipio ſtylo obuoluto, nihil profeci, erat enim admodum durus, & exſiccatus, & membranæ tenaciter hærebat, quo circa ſuppuratione ſcopum aſſecuturum exiſtimans, vt antea pluries feliciter ſucceſſerat, eleuato oſſe vulnus procuraui. Aſſiduè autem ex ore, & naribus ſanguis ichoroſus, & purulentus copioſus emanabat. Quinta ad veſperas febris vehementer aucta eſt, & capitis grauitas facta eſt maior, nec ueſtigium puris in oſſis foramine conſpiciebatur, ſolus ichor ſanguineus excernebatur. Vt labenti ſubuenirem, cogitaui alium concreti ſanguinis auferendi modum. Itaque interpoſito digiti ſpatio, aliud foramen paro verſus ſinciput, ſeptumque lenticula excido. Os purulentum inueni, & maximè fætens. Vbi occurrit ſanguis concretus, quem ſpecillo argenteo, atque unco cæpi diſrumpere, ut membranam detegerem, multamque huiuſce concreti ſanguinis hoc modo extraxi copiam, neque ſolum à membrana oſſe denudata, ſed & oſſe tecta, inter os enim, & membranam ſpecillum imponebam, & congretum ſanguinem quodammodo deradebam, educebamque ueluti laceras lintei portiones, nec tamen membranam detegere potui, adeo ipſi hærebat, tunc cognoui maximum eſſe in-

interuallum inter duram meningem, & os ipſum, quod me maxime deterruit, iuſſi tamen, vt clauſo ore, ac naribus ſpiritum vehementer impelleret, intumuit membrana, multuſque ichor ſanguineus expreſſus eſt. Variæ erant opiniones de cauſis huiuſce interualli, exiſtimabat Phyſicus clariſſimus ita fuiſſe à natura conſtitutum virum illum, ſed hoc erat naturæ leges peruertere, ſcimus enim per anatomicam inſpectionem membranam vndique oſſi alligari. Semper autem in hac ſententia perſtiti, id eſſe præter naturæ leges, proueniſſeque, tum ex diſruptione ligamentorum vi ictus, tum ex interpoſitione copioſi ſanguinis concreti inter os, & membranam, non poterat enim non deprimi membrana. Subſequenti die febris minor apparuit, grauitaſque capitis leuata eſt. Decima quarta omnino recesſit febris, & uſque ad id temporis copioſisſimus ichor ſanguineus, & liuidus, dum ore clauſo, ac naribus ſpiritum impellebat, ad osſis foramen expellebatur. Poſt ſeptimam tamen ex ore, & naribus nihil excernebatur. Ad decimam quartam cœpit materiæ hæc puris formam recipere, & aliquid boni polliceri. Membrana quoque apparuit boni coloris. Certum autem erat. materiam illam non à proximis tantùm partibus prouenire, verùm etiam à remotis, & à fronte ipſa, ac temporibus, non ſolùm enim grauitas in illis partibus id oſtendebat, ſed & illud, quod poſt ſpiritus impulſum non ſtatim expellebatur, ſed neceſſarium erat, vt per aliquod temporis ſpatium ſpiritum expelleret, antequam materia ad foramen perueniret. Quare & in remotis partibus recesſiſſe membranam à proprio loco non erat dubitandum. Sed & quantitas materiæ id oſtendere poterat, quotidie enim pluſquam cyathus iſtius materiæ educebatur. Etſi autem, & puris qualitas, & color membranæ, ac febris diſceſſus aliquid boni pollicerentur, quomodo tamen curandum eſſet. aut ſanari poſſet à natura hoc vulnus, erat valde ambiguum, longe diſtabat membrana ab oſſe, interuallum enim illud digiti latitudinem ſuperabat,

rabat, non poterat à membrana ſuboriri tanta carnis quantitas, quæ ſpatium illud repleret, non exigua oſsis portio ſecundùm totam ſubſtantiam abſcedere debebat, erat quippe demortuum penitùs, ac purulentum, nec os ſuppeditare tantam carnem poterat, quæ vacuum illud repleret: accedebat alia difficultas à tanta puris copia, ne os in aliis partibus inficeret. Sigiſmundus ille Nigriſolius caſum hunc conſiderans, pro deplorato habet, cura enim, dicebat, ſi poſſibilis ſit, ſed vt ingenue fatear, non benè video ingenium, quo opitulari patienti poſſimus, non enim ipſi auxiliari poſſumus, niſi quæ diſrupta ſunt, integra fiant, & ea cito integra fieri impoſſibile eſt, cum primò neceſſe ſit, quod os cui ligamenta annexa à natura fuere, & à medico fuit exciſum, reſtauretur, vel loco ipſius parua generetur ſarcoides, & hoc etiam à vi forti niſi in longo tempore fieri non poteſt, quantò magis in debili tantis, ac talibus ſymptomatibus aggrauata dixerat? (ſuperiùs & ex hinc peſſima inſurgent ſymptomata, nam cerebrum ſentiens nocumentum contrahit, & corrugat ſe, & ex hinc apoplexia, ſpaſmus, & tandem mors citius aduenient quam ligamenta diſrupta regenerari poſſint, & membranæ ad locum naturalem redire) vnde apertè concludimus, quod nos legem habemus, & ſecundum legem noſtram debet mori, & vbi deſperata eſt ſalus, vanum eſt detrahi ab idiotis. Sed verè, vt omnia, & illud ab Hippoc. dictum eſt: Naturas eſſe morborum medicatrices. Circa quadrageſimam cœpit os circumcirca foramen ad meditullium ſub ramentorum ſpeciei ſecedere, vbi ad ſanum meditullium peruentum eſt, cœpit caro pullulare, circa ſexageſimam vitrea verſus occiput ſeceſsit, circa octuageſimam quæ ſinciput reſpiciebat, & ſuperior lamina, quæ occiput. Paucis interpoſitis diebus ſeceſsit lamina ſuperior verſus ſinciput. Ad centeſimam vitrea, quæ frontem ſpectabat, æquabat autem hæc latitudinem duorum digitorum, reliquæ vix latitudinem vnius digiti excedebant.

Vbi

Vbi vitrea recedebat, attollebat ſeſe membrana, & quædam veluti filamenta carnis ſurſum emittebat ad carnem, quæ ex meditullio eruperat, itaque cum oſſe colligabatur lamina ſuperior quarto menſe exacto receſſit. Vſque ad ſexageſimum ſemper maxima puris quantitas, dum ſpiritum impelleret, exprimebatur, vt neceſſarium fuerit exhiberi vulnerariam potionem, inde cæpit imminui. Poſt receſſum totius infirmæ partis oſſis, pauca admodum puris quantitas emanabat, ſed tamen per interpolatas vices effatu digna quantitas ſponte detrudebatur; tandem ſecundante Deo conatus noſtros poſt ſemeſtre ſpatium penitùs ſanatus eſt, quem omnes pro deplorato habebant. Cicatrix tamen valdè caua remanſit.

Hoc eſt aliud membranæ vitium, in quo quidem corrigendo ſatis eſt fluxionem prohibere, membranam abſtergere, atque protegere, quod reliquum eſt, natura perficiet. Illud eſt animaduertendum in huiuſmodi caſu, cauendum eſſe ab impoſitione illa ſericini lintei, facili enim negotio laberetur ad remotas partes, cum membrana oſſi non hæreat. Goſſipii floccus congruo medicamento imbutus erit conueniens. Hic verò patet locum non eſſe curationi, quæ debetur vulneribus, ſed dirigendos oculos ad abſceſſum. Qua ratione fotus diſcutientes etiam ſunt ex vſu, vtpote ex vino, in quo efferbuerint flores camæmeli, roſarum rubearum, anethum, betonica, roſmarinus, ſtœchas, calamintha, ſaluia, & huiuſmodi, tranſacto tamen inflammationis periculo.

Quomodo corrigendus membranæ receſſus à proprio loco.

CAPUT XLV.

De membranæ vitiis, quæ poſt terebrationem ſuperueniunt.

PLeraque ex dictis vitiis etiam membranæ adueniunt poſt terebrationem, nam inflammatur, nigredinem contrahit, atque putreſcit, ſordidaque euadit.

Et

De fungo.

Et eodem prorſus modo procuranda eſt, ac ſi à principio facta fuiſſent hæc mala. Progrediente tamen tempore ſuperuenit interdum affectus quidam cui à principio non eſt obnoxia, ab ea enim exoritur raro quædam fungoſa, quæ oras executi cranii ſuperat, & interdum etiam totius vulneris, cuius cauſa eſt copia ſanguinis, ſed praui, & membranæ intemperies, agente enim male diſpoſito, & oblata materia minus bona, non eſt expectanda inculpata actio.

Qua ratione tollendus ſit fungus.

Appellatur affectio hæc à ſimilitudine, quam cum fungo habet, fungus, eiuſque meminit Galen. 1. loc. af. tollenda igitur erit ſuperfluens hæc caro fortiter exſiccantibus. Cortices mirobalonorum citrinorum in tenuiſſimum pollinem redacti præclaram operam præſtant, & ſabinæ puluis, quibus fortiores ſunt hermodactyli. Si hæc parum profecerint, ad catæretica deueniendum, itaque primo alumen combuſtum imponemus, aut Iſidis vnguentum, deinde etiam præcipitatum ſolum. At ſi ad eam magnitudinem ſit euectus, vt oras vlceris excedat, parum medicamentis proficiemus, & propterea ad eius radices ſericino filo deligandus eſt, & paulatim conſtringendus, ſic enim breui decidet.

CAPUT XLVI.

De craſſa, tenuique meninge, ac cerebro ſauciato curando.

Medicamenta congrua.

SI vulnerata fuerit, vel dilacerata craſſa membrana, inſtillandum aliquid erit, quod natiuum eius calorem foueat, atque putredinem prohibeat, grumoſque ſanguinis, ſi qui ſunt, diſſoluat, idcirco vſus terebinthinæ, & abietinæ lachrymæ maximè probatur, cum quibus etiam permiſceri poterit, vel oleum hyperici, vel artefactum balſamum, vel aqua ardens, lenientem ſiquidem rationem omninò cauere oportet, ne putredinem contrahat tum ipſa dura membrana, tum huic

huic ſubiecta tenuis, atque cerebrum. Ab ambiente quoque ipſam quam maximè tutari conueniet, eoque magis, cum poſſit aer habere etiam ingreſſum ad tenuem, & ſubiectum cerebrum. Eadem prorſus ratione curanda erit tenuis membrana vulnerata, & ipſum cerebrum, niſi quod ſicciora, atque calidiora etiam poſſunt conuenire. Idcircò terebinthinæ, vel abietinæ lachrymæ addendum erit balſamum artefactum in maiori quantitate. Inſuper inſtillari etiam poterit per ſe artefactum balſamum, oleum ſtillatitium terebinthinæ, vel abietinæ lachrymæ, nec non & aqua ardens, & aqua, vel mater balſami; vnctuoſa verò omnia, vt quæ putredinis ſunt in cauſa, arcenda ſunt. In primis autem obſeruandi ſunt effluxus. Occurſus aeris quam maximè erit vitandus, vt toties dictum eſt. *Remedia tenuis membranæ, ac cerebri vulnerati.*

Verùm ſi à ſolo contundente oſſe nimis diffracto cerebrum amplam læſionem contraxerit, quoniam fieri hoc non poteſt citra inſignem naturalis caloris iacturam, ex qua tum concoctrix, tum expultrix redduntur valde imbecillæ, idcircò primis diebus valdè calefacientibus, & naturali calori amicis labenti naturæ ſuccurrendum, vt alternis diebus inſtillentur accommodata medicamenta, cuiuſmodi ſunt iam proximè enarrata, quin vbi os deficit, immittendum tenue linteum, aut filamenta euulſa, aut goſſipii floccus iiſdem medicamentis imbutus. Extrinſecus verò apponendum ceratum, aut Conciliatoris, aut Ioannis Vigonii, aut noſtrum. Repellentia verò circumſitis partibus admoueantur. Cæterum cum maxima cautione detegendum erit vulnus.

Quanti hoc referat, ex eo colligas, quòd miles enſe punctim vulneratus ſub dextro oculo, vt eo intacto ferrum ad cerebrum pertigerit, & neruum opticum diſſecuerit, & ſimul alterum ex neruis ſecundi paris, quod ad oculorum muſculos tranſmittitur motus gratia, vnde ſtatim amiſit viſum, & oculi motum, totaque oppoſita pars fuit reſoluta, nihilominus breui ſanatus eſt, *Hiſtoria.*

 ceden-

cedente ceruicis conuulſione, quæ quarta ſuperuenerat, & deliriò, in quod etiam a principio inciderat, magnaque capitis grauitate, ac dolore, neque alia de cauſa, niſi quia vulnus ab iniuriis ambientis erat valdè remotum.

Facilè exaſperantur huiuſmodi vulnera duriuſculè tractata, concitaturque lethalis fluxio; proindè in iis detergendis mites valdè nos exhibere debemus, quamdiu inflammationis adeſt periculum; Ita cauendum ne linamentis incongruis vulneratas haſce partes opprimamus, nam & hoc fluxiones, ac phlegmonem ciet.

CAPUT XLVII.

De ſanguinis fluxu ex membranis.

QVamuis diffusè in vniuerſalibus actum ſit de compeſcendi ſanguinis profluuii ratione in vulneribus, attamen de eo ſanguinis fluxu, qui eſt à cerebri membranis, peculiariter agere decreui, quoniam non raró vidi hæſitare Medicos, dum in vulneribus capitis vident ſanguinem ex membranis, vel cerebro erumpentem, neque immerito, propter nobilitatem enim, & naturam partium non videtur omni prorſus materia vti nos debere, quæ ſanguinem compeſcat, neque eandem ſiſtendi rationem, quam in aliis conſueuimus, obſeruare; cerebro enim, aut membranis ſi applicentur pulueres, linamenta, & huiuſmodi alia, non aliud eſſe videtur, quam non ferendum pondus illis apponere. Addamus, quod non raró ſub oſſe vas delitеſcit, ex quo ſanguis profluit, vt ipſi applicari nequeat medicamentum, & tamen niſi ſiſtatur fluxus, mors ineuitabiliter accidit.

Quocirca omni ratione agere oportet, vt compeſcatur fluxus, quia eſt vrgens, & ab ipſo maximum impendet vulnerato periculum; dandum tamen, quod tutum eſt,

eſt, naturæ, & nobilitati partis, & propterea ab omnibus cruſtificis medicamentis abſtinendum, ſed emplaſticis, & adſtringentibus vtendum, & ex iis etiam deligenda, quæ cerebro nequaquam ſint inimica, vnde fœtida omnia, & quæ aliquo inſigni odore ſunt prædita, cauenda ſunt: deligenda verò, quæ nullam inſignem obtinent qualitatem; præterea id agere oportebit, vt applicentur tantùm loco, ex quo ſanguis emanat, ne pondus inutile ponatur, & ideò etiam cauenda ſunt, quæ ſua natura ſunt nimis ponderoſa, vt gypſum. Quòd ſi locus ſub oſſe deliteſcat, os quamprimum eximendum, quodcunque ſit illud, vt ſub conſpectum cadat vas, à quo ſanguis profluit. *A quibus cauendum in fluxu ſanguinis à membranis.*

Inter medicamenta autem ſanguinem ſiſtentia, quæ in hiſce caſibus ſunt ex vſu, principem locum, ſibi vendicat illud Galen. medicamentum ex thure, aloe, piliſque leporinis, & oui albo conſtans, quibus etiam addi poterit lachryma ſanguinis draconis. Goſſipium aduſtum etiam probatur, quamuis ex aduſtione aliquid acredinis contraxerit; aranea tela oui albo excepta, additis inſuper thure, & lachryma ſanguinis draconis optima eſt. Aqua ſtillatitia noſtra optima eſt cum oui albumine ſubacto permixta, & pulueribus additis, ac pilis leporinis minutim inciſis, confecto videlicet medicamento ad mellis conſiſtentiam. Si eadem diſſoluatur tragacantha, & dein addantur pulueres, miri vſus erit medicamentum. Dioſcorides puluerem ſtibii laudat, ſed in pauca quantitate propter eius grauitatem applicandus. Cætera, quæ ad vniuerſalem prouidentiam attinent, exequi conuenit, veluti in vniuerſalibus dictum eſt. *Medicamenta conuenientia.*

CAPUT XLVIII.

Quomodo ſit conſeruandum os.

INter ea, quæ nouo huic modo obiici poſſunt, vnum, atque præcipuum eſt, quod per capitis vulnera, quan-

do detectum eſt os, nullam habemus viam ad præſeruandum os à corruptione, cum nec os abſtergamus, neque cephalicos pulueres, quibus paſſim vtuntur, ſuper os detectum ſpargamus. Conficiunt enim pulueres exſiccantes ex myrrha, thure, aloe, radicibus iridis, ariſtolochiæ, erui farina, cortice radicis panacis, & huiuſmodi, quibus oſſi impoſitis ſeruari aiunt oſſis ſubſtantiam, cum enim ſui natura ſiccum ſit, ſiccis tanquam ſimilibus conſeruandum eſt. Quod & Galen. iuſſit 6. Method. 6. Cum igitur in hoc noſtro curandi modo hanc non adhibeamus diligentiam pro oſſis conſeruatione, non videtur poſſe à corruptione ſeruari, cum aſſiduè à purulenta materia alluatur. Neque etiam videtur, quomodo poſſit caro coaleſcere, & circumhærere omni oſſis parti, cum ſemper ſit ſordibus madidum, & oleoſa quadam materia, carnis autem illa productio exigit, vt locus ſit ſiccus. Qua ratione dicebat Gal. 6. Meth. 6. Vt autem, quæ procreuit, caro coaleſcat, circumhæreatque omni oſſis parti, id inde maximè eueniet, ſi neque ſordes ſuper eo ſit, nec oleoſa quæpiam pinguedo. Id igitur eſt, quod ægris Medici ad carnis productionem præſtant, vt totus locus ſiccus ſit, tum quælibet vitiati oſſis pars planè pura.

Num puluere cephalici conueniant. Hæc me quoque ſolicitabant, priuſquam oculis cernerem abſque accurata hac diligentia capitis vulnera fœliciſſimè ſanari, & cum modum enarrarent, irridebam. Sed quoniam fida experientia id atteſtatur, potius inueſtiganda erat cauſa, quomodo id contingeret, eoque magis cum ſemper in hac curandi ratione multo minor oſſis portio diſcedat, quam ſi quotidie inſpergerentur pulueres, & etiam os non diſcedat, quod ſi pulueres de more communi inſpergerentur, procul dubio, vt ſæpè experientia comprobatum eſt, diſcederet. Non ergo neceſſaria illa puluerum appoſitio, immo ſuperflua iudicanda, & potiùs aliquod damnum oſſi inferens, ſi ſit ſanum, cum enim os ſit ſui natura ſiccum, & pauca natiua humiditate præditum, iſti pulueres quotidie impoſiti magis abſu-

mun

munt humiditatem natiuam ipſius oſſis, vt tandem calori naturali oſſis deficiat ſubiectum, & ex conſequenti os illud emoriatur, & diſcedat, quod pulueres exſiccarunt. Non igitur oſſe ſano exiſtente, ex vſu eſt illa puluerum impoſitio. At ſi mortuum os ſit, quid proderunt hi pulueres? Illud perſpicuum eſt, medicamenta, quicquid ſunt, eſſe potentia, non actu, vtque de potentia ad actum traducantur à natiuo calore, neceſſe eſſe, ſi quid agere debeant. Et mortuo oſſe, quid medicamenta ad actum rediget? nihil igitur efficient. Quod ſi nullam opem ſint allatura, neque ſanum conſilium eſt, peregrina corpora, quorum in expulſione naturæ ſit laborandum, in vulnus immittere.

Sed quomodo ſeruandum os natura ſiccum, ne corrumpatur. Vtique in oſſe exiguus eſt naturalis calor, & exigua humiditas natiua, vtpotè exangui, & maximè terreſtri; ſi ergo calor ipſius naturalis ſeruetur, atque modica eiuſdem natiua humiditas, & oſſis ſubſtantia ſalubris conſeruabitur, & nulla meliori via hæc aſſequemur, quam ſi prætermiſſa illa exſiccantium impoſitione, prohibeamus, ne ab aere afficiatur, aeris enim actio ipſius naturalem calorem interimit, & eo magis, quo frigidior fuerit aer, impoſitio verò exſiccantium puluerum natiuam eius humiditatem exhaurit. Hoc omnes, credo libenter faterentur, ſed timent à pure à vulnere emanante, atque os alluente. *Quomodo conſeruandum os.*

Sed nihil ob id timendum, modo non ſit euerſum partis temperamentum, pus enim oſſa corrumpit, atque putrefacit, quando concluſum in aliquo loco manet, tunc enim prauam qualitatem adipiſcitur, & prauos mittit halitus; quibus & propria etiam ſubſtantia ſe in oſſis ſubſtantiam inſinuando os ipſum alterat, inficit, atque corrumpit, immò nonnunquam exedit, & cariem inducit, vbi acredinem, & excedentem quandam qualitatem fuerit adeptum. At in capitis vulneribus in quibus liberum habet effluxum, & non concluſum eſt, ſed quam optimè *Pus oſſa inficit quando concluſum eſt.*

vaporibus, quo mittit, patet via, ſupponimus paratas fuiſſe congruas effluxiones, non eſt cur ſubſtantiam oſſis poſſit inficere. Quod ſi videatur relinqui humiditas quædam ſanioſa in oſſe, hæc non eſt talis, aut tanta, vt impediat, quominus generetur caro, & coaleſcat vulnus, namque à natiuo calore exſiccatur paulatim, prout ſufficit ad generationem carnis. Et præterea nos etiam quandoque vulnus abſtergimus: quamuis plurima ſanentur, etiamſi os nunquam abſtergatur, & ſi oſſis abſceſſus futurus eſt, citius contingit hoc pacto curato vulnere, vt & experientia ipſa compertum eſt, ſemper enim os eo citius diſcedit, quo citiores fiunt ſuppurationes, & expurgationes, vulneris enim citius caro generatur, & oſſi ſano adnaſcens, quod demortuum eſt ex eo pellit. Vnde Hip. lib. de vuln. cap. text. 25. Sic verò quam citiſſimè, & caro ſubnaſci, ac germinare poterit, & oſſa emerſerint, ſi quis vlcus quam citiſſimè ſuppuratum redditum purum faciat, & lib. de fract. n. 36. In totum igitur oſſa citiſſimè his diſcedunt, quibus citiſſimè fiunt ſuppurationes, & citisſimæ ac optimæ carnis productiones, ſubnaſcentes enim iuxtà læſam partem carnes plerumque oſſa ipſa eleuant.

Citius os recedit, quo citiores fiunt ſuppurationes.

Cum hæc ſcriberem die vigeſima quinta fælicisſimè diſceſſerunt oſſa ſecundùm totam osſis crasſitiem in ſene ſexageſimum quintum annum agente, cuius os die quinta quatuor in locis terebra perfoderamus, quoniam ex caſu ab alto in ſaxa multum eius grauiter contuſum introceſſerat. Tempuſque erat hibernum: ſæpisſimè obſeruaui vigeſima octaua os abſcedere: Qui trigeſimam exceſſerit, nullum ferè osſis abſceſſum vidi. Qui pulueribus vtuntur, quouſque differatur ſub tali curatione osſis diſceſſus, optimè norunt.

CAP. XLIX.

CAPUT XLIX.

De oſſe denigrato, aut aliter vitiato.

SI os nigrum fiat in principio, oſſe minimè perforato, & omninò longè à tempore diſceſſus osſis, timendum eſt ſemper, & eo magis, ſi nigredo intimam ſubſtantiam corripuerit, id enim contingit, vel ob inflammationem, vel quia ſub cranio contineatur ſanies, vel quia contuſum ſit os abſque rima ſaltem manifeſta, ex qua contuſione diſrumpatur aliqua venula ex iis, quæ in cranii poroſitatibus reperiuntur, vt fiat ſanguinis effuſio, & veluti echimoma, vnde ſanguis effuſus corrumpitur, & os corrumpit, & ſic fit nigrum. Si fuerit ex materia contenta, adſunt praua ſymptomata primis diebus, verùm ſi propter venulas in meditullio fractas, nullum adeſt prauum ſymptoma primis diebus, ſed tamen poſtea ſubſequuntur, corruptum enim os tandem membranam ſubiectam afficit, & corrumpit, vnde ſæua ſymptomata oriuntur, in principio tamen cognoſcitur, an ex contuſione id contigerit, tum conſiderata ictus vi, & teli qualitate, tum quoniam ex abraſione non tollitur nigredo illa, & videtur nigredo illa ortum habere à meditullio, vnde à principio extima ſuperficies uidetur alba, ſubeſſe tamen aliquod nigri, uel obſcuri coloris uidetur, quaſi albo linteo, ſed raro, ſuppoſueris aliud nigri coloris. Aliquando etiam fit nigrum ex frigiditate ambientis, quod notum fit ex qualitate aeris, & quoniam nimis detectum manſit uulnus.

Signa cauſarum.

Si ex materia contenta ſub oſſe nigredo ortum habuerit, iam apparuit, quid agendum, quærendus eſt enim materiæ exitus, & os corruptum auferendum. Si aliis de cauſis, non ſunt expectanda ſæua accidentia, ſed aperire oportet, & quod denigratum eſt, totum auferre, niſi fuerit nimia quantitas. Quod ſi dubitaueris de nigredinis ratione,

Quid agendum oſſe denigrato propter materiam contentam.

ratione, totum os denigratum abrade, & couſque abradendo proſequere, quoad os uiuum inuenias, & ſtillas ſanguinis emittens. Quod ſi ad meditullium perueniens, etemortuum os comperias, neque ſanguinem emittens, etiamſi ſit album, ne fidas, quia ſæpè primò ſit nigrum, dein album, ut dicebat Hip. lib. de uuln. cap. text. 27. neque cuncteris, ſed ad aperitionem deuenias, & corruptum os totum auferas, ut dictum eſt, aut pluribus in locis perfores, ſi multum ipſius fuerit denigratum. Requiritur Medicus admodum uerſatus, ut oſsis uitium primo intuitu deprehendat, cum tamen hoc ſit ualdè neceſſarium. Denigratio quidem cuilibet nota eſt, at quando albedinem præternaturalem contrahit, aut paruum quendam liuorem, non ita cuiuſque eſt prauam oſsis diſpoſitionem cognoſcere. Quapropter Medicus ſit ualdè oculatus, & oſsis colorem à principio diligenter animaduertat, ne, ſi progrediente tempore nonnihil immutetur, ipſum lateat. Atque ſibi perſuadeat, ſub oſſe uitiato non poſſe eſſe ſanas partes, & timendam valdè eſſe omnem coloris oſsis immutationem, quando non præceſſerit terebratio; terebratum enim os etiam ſi liuorem, aut nigredinem contrahat, modò febris abſit, & quæ ad membranam attinent, bene ſe habeant, nullum habet periculum, quippe tale euadit, quia tanquam demortuum ſit abſceſſurum. Pariter oſſe poſt primos dies ſano exiſtente, quod arguimus ex viuido eius colore, & ſanguine à meditullio erumpente, ſeu exorta carne, non poteſt contineri ſub eo praua materia, & ſi ſuperueniant praua ſymptomata, alia quærenda cauſa eſt, ſi os tale perſeueret. Dixi autem poſt primos dies, quoniam à principio dum os telo contundente vulneratum perforatur, interdum ſanguis copioſus egreditur, verum peracta terebratione reperitur concretus ſanguis ſub oſſe: hoc etiam intelligendum eſt de oſſe non perforato, nam ſi facta ſit terebratio, antequam à contenta materia os inficiatur, ſub proximis oſſis partibus illæſis reperiri materia poterit.

Os terebratum quantumuis nigrum citra periculum reliquis benè ſe habentibus.

Illud

Illud quoque non eſt prætereundum, ſphacelari nonnunquam os capitis, & tanta corruptione vrgeri, vt neceſſaria ſit inuſtio; cautè tamen admouenda ſunt ignita ferramenta, ne vis ignea ſubiectam membranam malè afficiat.

CAPUT L.

De fractura oſſis abſque vulnere, & cerebri concuſſione.

NOſtrum quidem propoſitum erat de capitis vulneribus agere, ſed vulneribus adeo affines ſunt cranii fracturæ, integra exiſtente cute, & concuſſiones cerebri ob vehementes ictus, vel caſus ab alto ſæpè numero contingentes, vt conſecutione quadam de illis pertractandum videatur, à quibus capitis vulnerum curatio inſtituitur, & eò magis, cùm non raro cutem ſecare, & vulnus inferre oporteat.

Cognoſcitur autem fractum eſſe cranium, quamuis integra ſit cutis, ex ſymptomatibus, quæ oſſis fracturam conſequi ſolent, puta caſu in terram, vomitu, obcæcatione, ſtupore, comate, &c. ſed & tactu ipſo, & non raro adeſt cauitas in oſſe ob eius depreſſionem, quæ tactu optimè dignoſcitur. In huiuſmodi igitur caſu diligenter animaduertere oportet, num adſint ſigna oſtendentia os fractum aliquam inferre noxam membranæ, & cerebro, vel ſubeſſe ſanguinem concretum, vel non: ſigna autem hæc ſunt, vt ſuperiùs dicebamus, capitis grauitas, ſopor, ſtupor, delirium, punctura in loco ictus percepta, vel continuo, vel cum nares emungit, aut ore clauſo, naribuſque obturatis ſpiritum ad nares violenter impellit, egreſſus ſanguinis per aures, & nares, & huiuſmodi. *Signa.*

Vbi ergo aliqua ex his ſignis adfuerint, cunctari non oportet, ſed cutem ſecare, vbi ictus contigerit, & oſſe denudato fracturæ qualitatem inſpicere, & ea peragere, ac ſi vulnus etiam carnis adfuiſſet: niſi enim os aperia- *Quando denudandum ſit os.*

tur,

tur, & quod moleſtum eſt, remoueatur, ſiue oſſis ſpiculum ſit membranam pungens, ſiue os depreſſum membranam comprimens, & cerebrum, atque ſoporem, & ſtuporem excitans, ſiue inſignis ſanguinis grumoſi quantitas, procul dubio mors continget, natura enim defatigata non poterit hæc expellere.

Quando abſtinendum ſit a ſectione.

Si verò adſit quidem fractura, verùm neque adſint ſigna copioſæ materiæ ſub oſſe contentæ, neque compreſſionis cerebri, etiamſi os ſit depreſſum, neque quod membranæ pungantur, ſecare cutem non oportet, ſed ea omnia facere, quæ ad prohibendam inflammationem ualent, & reuulſionibus, atque euacuationibus uti, & conuenienti uictu, & aliis, quæ in uniuerſalibus propoſita ſunt.

Medicamenta opportuna.

Parti uerò applicanda primò, quæ dolorem leniant, repercutiant, dein quæ digerant, & exſiccent, ſi quæ materia ſub oſſe contineatur, pro cuius etiam euacuatione ſtudere oportebit, ut euocetur ad conſuetos capitis effluxus, uidelicet ad aures, nares, & palatum. Cum enim nihil ſit, quod membranas, & cerebrum malè afficiat, & os ſit proprio tegumento tectum, non ab aere alteratum, ſperari poteſt, materiam, quam in minori quantitate ueriſimile eſt contineri, poſſe opere naturæ, & medicamentorum, quorum uis per os non refrigeratum ad membranam poteſt peruenire, digeri, & os leuiter depreſſum ad priſtinum ſtatum reduci, & rima conglutinari pro illo ſarcoide, quo mediante ſolent reliqua oſſa uniri, & ex parte etiam per naturales capitis effluxus expurgari. Et uitantur pericula, quæ eueniunt in ſectione, & aperitione oſſis, ac denudatione membranæ.

Emplaſtra.

Statim igitur deraſo capite emplaſtrum applicandum eſt in loco ictus ex hordeacea farina, floribus roſarum rubearum, oleo roſaceo, ladano, puluere baccarum myrti, parietaria, poſcaque uel uino granatorum paratum, & hoc emplaſtrum quotidie permutandum, ab eo ſiquidem & materia influens repellitur, fouetur naturalis calor partis, & roboratur pars. Poſt quartam addentur

tur flores camæmeli, meliloti, betonica, anethum, & alia, quæ uim habeant ex alto euocandi, ac digerendi, cuiuſmodi ſunt ammoniacum, galbanum, & gummi elemi. Conſueui autem hoc pacto emplaſtrum parare.

℞. *Florum camæmeli.*
Roſarum rubearum ana vnc. i.
Meliloti.
Anethi.
Betonicæ ana m. i.
Sem. lini.
Fænugræci ana vnc. ſ.
Baccarum myrthi drach. ij.
Ammoniaci.
Galbani.
Gnmmi Elemi aua drach. vj.
Ladani drach. iij.
Olei roſati vnc. iii.
Farinæ hordei vnc. viii.
Poſcæ. vel vini granatorum, vel oxymelitidis.
q. s. Miſce, & f. emplaſtrum. ſ. a.

Ex ex hoc emplaſtro vidi mirabilia in fracturis cranii, & depreſſionibus integra cute. Non minus probatur emplaſtrum ex tenuiſſimo furfure, farina lentium, & hordei, roſis, foliis, & granis myrti, nucibus cupreſſi, floribus camæmeli, & meliloti, calamo aromatico, betonica, thure, maſtiche, ladano, oleo roſaceo, & camæmelino, ac cera. Alios vidi vtentes etiam à principio aqua ardenti, & quidem fœlici cum ſucceſſu, ſed ea nunquam auſus ſum vti, omninò enim videtur amethodus eius vſus propter inſignem caliditatem, qua non ſolùm digerit, verùm etiam attrahit.

Poſſunt parari fotus ex decoctione in poſca, vel vino rubro adſtringenti paucifero, florum camæmeli, roſarum, anethi. ſem. lini, fœnugræci, foliorum, & baccarum *Fotus.*

myrthi, nucum cupreſſi, oleoque roſaceo, ſpongia in hac mixtura modicè calida immiſſa, & expreſſa, loco ictus appoſita, & multoties repetita vel ex decoctione betonicæ, ſaluiæ, roſarum rubearum, radicum iridis, florum camemæli, ſtæchadis, nucum cupreſſi, uiolarum, myrtilorum, & huiuſmodi.

Ceratum noſtrum. Sed inter omnia præſtat artefactum balſamum, & ceratum noſtrum, cuius quidem deſcriptio hæc eſt.

℞. *Olei roſati completi.*
Roſati omphacini.
Hypericini noſtri.
Pinguedinis caſtrati.
vituli ana lib. ſ.
Lachrymæ abietinæ.
Terebinthinæ claræ.
Reſinæ pini ana vnc. viii.

Miſce, & liquefiant ad ignem, poſtea adde.

Betonicæ.
Pimpinellæ.
Matriſſiluæ.
Piloſellæ.
Millefolij recentium ana m. i.
Roriſmarini.
Saluiæ.
Herbæ Sanctæ Mariæ.
Herbæ Reginæ appellatæ ana p. i.

Contundantur herbæ, & cum reliquis curioſè miſceantur, & ſoli per octo dies, aut balneo calentis aquæ per tres dies exponantur. Sæpeque baculo ex iunipero fiat agitatio. Ne verò puluis, aut quid aliud extraneum intra vas decidat, obturetur fideliter os vaſis, aut cooperiatur. Poſtea addantur vini albi optimi, & potentis lib. ij. in quo quidem ſi prius eædem herbæ infunderentur, magis eſſet laudandum, & fiat ebullitio ad vini conſumptionem. factaque expreſſione, & colatura addantur·

Ammoniaci vnc. iii.
Galbani.
Ladani.
Maſtiches.
Gummi iuniperini.
Tacahamachæ ana vnc. ii.
Gummi Elemi vnc. vi.
Mumiæ vnc. iii.

Miſce, & fiat ceratum, quod in uas uitreum, ubi feruorem depoſuerit, illudque ſtricti orificii, proiiciatur, ſuper infundaturque.

Succi betonicæ lib. i.
Matriſſiluæ.
Pimpinellæ.
Tormentillæ.
Herbæ Sanctæ Mariæ.
Millefolii ana lib. s.
Vini albi odori, & potentis, in quo pluries infuſa fuerint matriſſiluæ, & tormentillæ folia, floreſque betonicæ, lib. i. s.

Et f. ebullitio duplici vaſe ad perfactam ſuccorum, & vini conſumptionem, tunc adde.

Balſami artificioſi vnc. iv.
Pulueris betonicæ vnc. s.
Centaurij minoris.
Matriſſiluæ.
Tormentillæ.
Baccarum lauri.
Rad. ariſtoloch. rot. ana drach. ij.
Thuris vnc. i. s.
Cocci infectorij drach. iij.
Ceræ vino maluatico lotæ. q. s.
Miſce, & f. ceratum.

 For-

Formentur autem magdaleones, qui diligenter charta Pergamenta oleo hyperici illita obuoluti ad vſum ſeruentur. Adeſt etiam vnguentum Conciliatoris de gummi elemi non contemnendum, ceratum de betonica Ioannis de Vigo.

Euocantia ad palatum, aures, & nares. Ad meatuum verò præparationem, vt per eos in parte poſſit euacuari materia ope expultricis cerebri, alia excogitare oportebit, idcircò vt ad palatum euocari poſſit materia, gargariſmata paranda erunt ex aqua hordeacea, & melle roſaceo, vel ſaccharo, vel ſyrupo de liquiritia, & hyſſopo, vel etiam oxymelite. Etſi apparuerit purulenta expuitio, in eadem aqua coqui poterit maſtix, hyſſopum, betonica, amaracus, & huiuſmodi. Auribus infundatur oleum amygdal. dulcium, adeps gallinæ. Nares internæ oleo amygdal. dulcium illinantur, immiſſa penna oleo illo intincta. Quòd ſi omnibus his decenter factis apparuerint procedente tempore mala ſymptomata, ad perforationem deuenit hæc calamitas.

De cerebri concuſſione. Eadem eſt curandi ratio in cerebri concuſſione, ſiue ex ictu contigerit, ſiue ex caſu, niſi, quod toti capiti deraſo applicanda ſunt medicamenta, totum enim cerebrum paſſum eſt. Neque locum habet in hac terebratio, quia non adeſt certus locus, in quo reperiatur materia. Similiter vbi in vna parte eſt ictus, & in altera frangitur caluaria, eadem curatio eſt inſtituenda.

CAPUT LI.

De deligandi ratione, & ſitu eligendo in vulneribus capitis.

DEligantes in vulneribus capitis nihil aliud intendimus, quam medicamentorum, & tegumenti retentionem, vt enim ſuperius dictum eſt, licet os capitis ſit fractum, propter figuram tamen capitis non poſſumus vti ea deligationis ſorte, qua in artubus vtimur, & ad continenda in propria ſede fracta oſſa iam reducta,

&

& ad exprimendam ſuperfluam materiam in parte contentam, & prohibendum nouæ influxum.

Cum ergo hæc commoda non poſſimus à deligatione ſperare, curandum, ne quid mali ex deligatione perperam facta contingat. Perperam ſiquidem fiet quando tum nimis laxa erit, tum nimis arcta, vt comprimat. Laxior enim effugit, & periculum eſt, ne tegumentis deſtitutum remaneat vulnus. Nimis verò arcta dolores concitat, & fluxiones, plerumque enim ſuperuenit aliquis tumor in parte vulnerata, præſertim ſi magnum fuerit vulnus iuxta illud Hippocratis 5. Aphor. 66. Si in uulneribus fortibus, & prauis tumor non appareat, ingens malum, eoque fiet, ut arctior reddatur deligatio, & pars magis dolens, unde maiores compreſſiones, & dolores, & una fluxiones. Prohibet etiam nimis arcta deligatio partis efflluxum, & difflationem, quæ res ſunt maximi momenti, ſi quid aliud, & tales, vt Hippocratem impulerint ad cauendam deligationem in capitis vulneribus omnibus, præterquam in fronte, hinc dicebat libro de vulner. cap. tex. 18. At in reliquo capite vlcus neque ligamentis, neque cataplaſmatis, neque deligatione curare oportet, ſi non & ſectione opus habeat. Vbi enim ſectione opus habet, vtitur Hippoorates deligatione, quia etiam cataplaſmate, & ideo ad cataplaſmatis retentionem. Deligationem autem fugit, quantum & compreſſionem, vnde eodem loco paulo ſuperiùs: Neque verò comprimere oportet vlcus in capite. Non enim exiſtimandum eſt omnem reiici deligationem ab Hippocrate, cum ad arcendas ambientis iniurias, præſertim hiberno tempore, atque ad protegendum partis proprio tegumento deſtitutæ calorem, neceſſarium ſit puluillos, ſeu plumaceolos apponi, ad eorumque retentionem deligationem adhiberi. Sed eam tantummodo deligationem abhorret, quæ vim habet comprimendi, quod iis verbis ſignificauit: Neque verò comprimere oportet vlcus in capite, ſi non in fronte fuerit, aut in loco pilis nudato, aut circa ſupercili-

Deligatio neque nimis laxa, neque nimis arcta eſſe debet.

Deligatio in capite cur reijciatur ab Hip.

cilium, & oculum. Et inferiùs : At in reliquo capite vlcus : Neque linamentis, neque cataplaſmatis, neque deligatione curare oportet; dum enim ait,neque comprimere oportet vlcus in capite, manifeſtum, eam deligationem reprobari, quæ vim habet exprimendi, & proinde comprimendi. Dum etiam inquit, vlcus in capite non eſſe deligatione curandum, innuit eam deligationem arcendam eſſe, quæ curat, ea autem eſt, quæ humores fluentes repellit, & contentos exprimit, at quæ ſolummodo ad retinendum adhibetur, neque comprimendi vim habet, neque curat, niſi per accidens. Deligationem autem quæ exprimat, & repellat in frontis vulnere tempore inflammationis admittit, vt inflammationem prohibeat, quæ facilius accidit in fronte, quam in aliis capitis partibus eò quòd frons à reliquo capite contineatur, hoc eſt, ſanguinem, & inflammationis materiam recipiat. Quamuis neque in omni frontis vulnera eam concederet, vt ſi detecta eſſet membrana. Immò oſſe oblæſo omnem, & in iis partibus compreſſionem euitaret. Quoniam autem raro vulneratos ſoluimus, idcircò curare oportet, vt deligatio diutius perdurare poſſit: hoc aſſequamur, ſi vel apponamus aliquid capiti, facta deligatione, quod eam conſeruet, vt eſt calantica dicta, vulgo ſcoffia, vel lata faſcia duas deligationes faciamus, faſciam ita ducentes, vt ad aures, vel tempora ſe interſecent ſpiræ, & vicem calanticæ gerat, aut aliqua alia ratione deligantes pro vulneris loco, vt voti ſimus compotes, animaduertentes ſemper, ne compreſſio fiat, aut fieri poſſit, ſi fortè ſuboriatur tumor. Quòd ſi in hoc ſit erratum, quod dignoſcitur ex moleſtia, & compreſſione ab ægrotante percepta, & puris ſuppresſione, aut ſoluatur faſcia, & denuò deligetur, aut forcipibus ſecetur faſcia pluribus in locis per tranſuerſum, non nimis tamen longis ſectionibus, & vtraque ex parte, ſed in eodem loco, ſic enim tam laxam efficiet quis deligationem, quantùm expetierit. In hoc tamen cauere etiam oportet, ne tales faciamus inciſiones, per quas aer poſſit ad vulnus habere ingreſſum. Si-

Deligatio cur permittatur ab Hippocr. in frontis vuln.

Situs porrò laborantis talis erit, vt in partem vulneratam decumbat, ſi fieri poſſit, quo facilius expurgetur vulnus, modo talis ſitus ei dolorem non inferat. Quòd ſi inferat, proximus erit eligendus, & aliquando etiam, licet rarius, ſupra ipſam vulneratam partem decumbat. Cauendus tamen erit decubitus ſupra vulneratam partem, quando vulnus eſt ad latera, & multum oſſis exciſum eſt, multaque membrana detecta, & eo magis, ſi ipſa membrana fuerit diſſecta, & laterata, ne cerebrum propter mollitiem extra proprium locum defluat. Vbi ergo talis caſus contigerit, non penitus ſupra vulneratam partem decumbat, ſed neque penitus ſupra oppoſitam, ſaltem longiori decubitu. *Situs eligendus.*

CAPUT LII.

De vulneris ſtatu cognoſcendo abſque detectione.

VVlneris ſtatus innoteſcit, etiamſi non detegatur, & ex affluente pure, qualitate ſcilicet, copia, odore, & tempore, quo incipit fluere, & doloris præſentia, vel abſentia, nec non & ſymptomatibus, quæ ſuperuenire ſolent vulneribus capitis. Prætereà, & expulſu, & vrina. Ex pure quidem, quoniam ſi primis diebus incipit fluere bonum in ſubſtantia, & qualitate, & odore, neque temporis progreſſu ſupprimitur, vulnus benè ſe habet, & raro, aut nunquam talia vulnera cernuntur cum prauis ſymptomatibus. *Signa ex pure.*

Similiter ſi paucus, vel nullus adſit dolor, & ſymptomata, quæ à principio fuere, vel per oſſis abraſionem, vel perforationem, & exciſionem fuere inducta, paulatim deficiant, & in diebus ſubſequentibus nullum ſuperueniat. Vbi verò mala ſymptomata ſuperuenire videris, & capitis dolorem, grauitatemque, vertiginem, cæcitatem, ſtuporem alicuius partis, ſoporem, febrem aſſiduam, dolorem ceruicis, linguæ ariditatem, puſtulas in

in eadem, puris exputitionem, inordinatos rigores, concuſſiones, & conuulſiuos motus, deliria, & huiuſmodi, malè ſe habet.

Vrina. Vrina quoque ſubiugalis, vel nimis tenuis, & decolor, prauum vulneris ſtatum, & inflammationem præſentem, vel futuram ſignificat. Et raro, aut nunquam eſt ſine febre, modo id ex alia cauſa non contigerit. Obſeruaui enim quoſdam ex propria natura in quibuſcumque affectionibus vrinas ſubiugales mingere.

Pulſus. Pulſus quoque malum vulneris ſtatum indicat, non ſolum quatenus febrem oſtendit, & facultatis ſtatum, ſed etiam quatenus duritiem habens, & veluti ſerrinus exiſtens inflammationem membranarum ſignificat. Et qui in re pulſuum verſatus eſt, ex vno ipſo quamcumque vulneris permutationem intelligit. Suppreſſio puris, aut nimis tarda eiuſdem effluxio, & parca malum vulneris ſtatum ſignificat. Item ſi prauæ ſit conſiſtentiæ, coloris, atque odoris.

CAPUT LIII.

De ratione victus inſtituenda in capitis vulneribus.

EA eſt quorumdam audacia, vt capite vulneratos pleno victu à principio ad finem vſque nutriant, oua, carnes, vinumque, & illud potens exhibendo. Et ex his etiam nonnulli non contenti ægros tali victu perdere, literis tradiderunt, & conſuluerunt hanc viuendi rationem in vulneribus capitis, quæ quàm ſit à ratione aliena, lippis, & tonſoribus notum eſt. Sed tamen, quoniam ex eius confutatione eluceſcit, qualis victus ſit inſtituendus ſi eam reprobauerimus, non omninò tempus conteremus.

Quæ ſint obſeruanda in cibo, & potu. Tria in cibis, & potibus timere debemus, vnum eſt: ne humores acres, & mordaces faciant, & fluxiles, & ad caput eos ducant, atque etiam cerebrum vaporibus repleant,

ant, vel malos ſuccos gignant; alterum eſt, ne ex his vberior ſanguis generetur, quo fiat, vt ad partem vulneratam demandetur in longè maiori copia, quam ipſa poſſit conficere, vnde neceſſario multa reſultent excrementa, quæ vulnus humidum reddant, quod maximè inimicum eſt vulnerum curationi, qua ratione Hip. lib. de vuln. cap. nu. 23. dicebat: Malum eſt etiam humidam eſſe carnem in vlcere, & putreſcentem, & ad multum tempus purgari: & natura intendens confectioni huius alimenti, diſtrahatur ab opere, quod requiritur pro ſanando vulnere: tertium eſt, ne vberiori ſanguine genito, detur materia fluxioni, & inflammationi, qua ratione permittere ſolemus, vt ſanguis à vulnere fluat, & neque hoc contenti, etiam ex cubito, vel alia parte detrahimus. Atqui victus prædictus omnes haſce habet notas, eſt enim in cauſa, vt copioſus ſanguis generetur, & fluxilis fiat, & in caput irruat. Vinum enim & præcipue potens caput ferit, vt norunt omnes. Omni igitur ratione prædictus victus ablegandus eſt, & talis inſtituendus, in quo nulla ſit qualitas, quæ humores fluxiles reddere poſſit, & ad caput ducere, ac cerebrum replere, immo potius in quo ſit contraria qualitas, quæ videlicet humores ſiſtat, & ineptos reddat ad motum, neque patiatur vaporibus cerebrum repleri. Præterea talis forma victus eſt inſtituenda, ex qua non gignatur copioſus ſanguis, immo potius ex qua natura reddatur auara, vt vnaquæque pars alimenti egens contineat quicquid in ipſa reperitur, neque aliò fluere permittat. Non enim timemus inflammationem partis ignobilis, ſed cerebri, quæ vbi facta fuerit, actum eſt de vulnerato. Itaque ſtatim à principio, vbi vulnus ſit tale, vt ex eo immineat inflammatio, quod eſt, quando os læſum eſt, aut ſubiectæ partes, vel temporalis muſculus, tenuiſſimus victus eſt iniungendus, & eo contentus ſit laborans, quamdiu inflammationis adeſt periculum. Communis autem inflammationis terminus ſtatuitur decimus quartus. Sed & ad vigeſimum non rarò

Victus craſſus reprobatur.

Qualis victus conueniat.

Victus tenuiſſ. quando iniungendus.

ſe extendit, vnde toto hoc tempore tenuiſſimo victu erit vtendum, præſertim ſi ſubiectæ cranio partes læſionem habuerint, aut os perforare oportuerit. Si tamen coniectemus ante hoc tempus ſublatum fuiſſe inflammationis periculum, valde enim differt natura à natura, & vulnus à vulnere, neque toto illo tempore tenuiter alendus eſſet vulneratus. Vbi os tantummodo fuerit oblæſum, neque perforatione opus fuerit, ſatis erit tenuem victum præſcribere vſque ad decimam quartam. Tranſacto inflammationis termino, paulatim incraſſandus erit victus, ne deficiat naturæ materia pro generanda carne. Dandum tamen aliquid eſt ætati, tempori, regioni, conſuetudini, & ægrotantis naturæ.

Quamdiu perſiſtendum in tenui victu.

A quibus cauendum; & quæ amplectenda.

Ne verò, quæ exhibentur, qualitate, aut ſubſtantia obſint, cauendum ab omnibus acribus, & mordacibus, & omnino calefacientibus, & ab iis, quæ prauum generant ſuccum, & multa excrementa. Immo ſtudendum erit, vt habeant qualitatem, quæ humores ſiſtat, & inceptos ad motum reddat. Hoc autem præſtabunt refrigerando, & quoquo pacto incraſſando: atque ea etiam exhibeantur, quæ vaporum aſcenſum prohibeant, vel quid aliud præſtent, quod in vulnerato ſit ex vſu.

Materia victus.

Itaque læſo oſſe vſque ad decimam quartam, ſi tandiu perdurauerit inflammationis periculum, exhibeantur fercula ex pane in iure diluto cum cremore ſeminum melonum: Quandoque etiam fercula ex blitis borragine, cichorio, lactuca, ſpinachiis, &c. ptiſana cum cremore ſeminum melonum eſt maxime ex vſu. Oriza non improbatur, præſertim cum cremore ſeminum melonum. Panis lotus optimus eſt. Et vbi maximum eſt inflammationis periculum, & febris adeſt, alterentur iuſcula oxalide, cucurbita, lactuca, endiuia, & huiuſmodi refrigerantibus. Poſt fercula in vltima menſa exhibeat conſerua cidoniorum, aut pirum ſub cineribus coctum, aut malum cidonium ſimiliter coctum, neque tamen voluptatis gratia, ſed vt compeſcat vapores à ventriculo ſurſum

ſum aſcendentes, vnde neque improbatur acidum limonum, & arantiorum, ac citri, neque ipſa granata. Et ideo confectio illa amygdalarum, quam martium panem vulgus appellat, improbatur, ſiquidem amygdalæ vaporoſæ ſunt, replentque caput. Prima menſa, ſi aluus fuerit ſtiptica, concedi poterunt paſſulæ lotæ, vel ex iure decoctæ. Potus ſit aqua hordeacea, aut aqua curiandorum, vel vinum granatorum multa aqua dilutum aut aqua ex ceraſis acidis, & huiuſmodi. Tranſacta decima quarta, ſi ſola fuerit cranii læſio, vel vigeſima, ſi etiam ſubiectæ cranio partes fuerint oblæſæ, concedantur oua ſorbilia, & iura conſumpta, & deinde ad carnem pullorum, vel vituli lactentis aut hœdi, vel perdicum, aut phaſianorum fiet tranſitus, quo tempore & ea exhiberi poterunt, quæ craſſiorem, & viſcidiorem ſanguinem gignunt, vt ſarcoides porus faciliùs generetur, cuiuſmodi ſunt extremitates vituli, hœdi, far, & huiuſmodi, & vbi conceduntur carnes, poterit etiam concedi vinum oligophorum, & dilutum.

Potus.

Quomodo incraſſandus victus.

Quòd ſi propter prauam aeris temperiem, vel conſtitutionem, aut prauam victus rationem periculum ſit corruptionis, & malignæ febris, vt contingit belli tempore, alteranda ſemper erunt cibaria, & potus iis, quæ putredini aduerſantur, & bezoarticis, cuiuſmodi ſunt acetoſa, cicerbita, acidum limonm, & arantiorum, margaritæ, coralli, cornu ceruinum, & alia, quæ in vniuerſalibus fuere propoſita. Quòd ſi vulnus fuerit citra oſſis detectionem, & læſionem, concedi poterunt à principio oua recentia ſorbilia, & carnes pullorum, ac vituli lactentis, & hœdi, & paruarum auium, in moderata tamen quantitate, neque enim ex vulnere facta eſt adeo imbecillis pars, neque ex operatione in oſſe, vnde neque adeò imminet inflammatio, vinum tamen nunquam concedatur, antequam pertranſierit inflammationis tempus, & in omnibus capitis vulneribus ſemper arceantur aromata, & acria, & odore ſuo caput replentia.

CAPUT LIV.

De aere.

DE aere poſſumus pertractare & quatenus vulnus afficit, aut afficere poteſt, & quatenus ambit totum corpus, & inſpiratur. Si primo modo aerem conſideramus, omnis aer quantumuis æſtiuus eſt capitis vulneribus inimicus, magis autem ſi os, vel etiam ſubiectæ oſſi partes læſionem habuerint, exponere enim partes aeri, quæ antea ipſum nunquam fuere expertæ, & quibus natura tegumentum parauit, ne afficerentur ab externis iniuriis, non poteſt fieri, niſi cum detrimento, repentinas enim mutationes non fert natura, vnde & infantes editi plorant tacti ab aere, à quo antea non fuere affecti. Et quamuis aer ſit calidus, calidius tamen eſt cerebrum, & membranæ, vt dicebat Gal. 8. de vſu par. ideoque offenditur eorum naturalis calor, quod eſt maximum detrimentum in parte adeo nobili, & quæ roborare, & vi naturalis caloris in naturalem habitum reducenda eſt. Os verò & ipſum maxime ab aere alteratur, & ex longiori eius contactu emoritur, eo quòd exiguo naturali calore ſit præditum. Denique aer naturali calori inimicus eſt, & ideo cum naturalis caloris ſit vulnera ad ſanitatem perducere, quo rarius fieri, poterit, exponendum erit vulnus aeri, & congruis tegumentis erit protegendum, vt aliàs dictum eſt, facta ſemper collatione ad aeris exceſſum & dum vulnus detegitur operationis cuiuſpiam, vel deterſionis gratia, & medicamentorum impoſitionis habeantur in promptu lintea duplicata, & triplicata actu calida, quibus dum manus à vulnere remouetur, cooperiatur vulnus. Animaduertere tamen oportet, ne volentes vulnus ab aere defendere, caput ipſum tegumentis nimis oneremus, aut nimis calefaciamus, vitantes enim Scyllam in Charibdim incideremus. Semper

per tamen vberius tegendum vulnus in aere tenuiori, & frigidiori, quam in craſſiori, & calidiori, frigidior enim aer pauca tegumenta frigefacit, & tandem vulnus: tenuior verò magis penetrat. Quæ ratio eſt, vt vulnera capitis in aliquibus locis difficulter ſaneſcant, vt Neapoli, Vicentiæ, Florentiæ. Huius tamen cauſa referenda eſt in ipſos Medicos, qui non ſunt cauti, vt oportet, in protegendo vulnere ab aere, ex qua negligentia cum multi intereant, refertur cauſa in qualitatem aeris à proprietate inimicam ipſis capitis vulneribus in ea regione. Aliquando etiam fiunt quædam conſtitutiones aeris tenuiſſimi, & frigidiſſimi, in quibus, niſi curans ſit prudens, plurimi occumbunt, referturque cauſa in aſtrorum conſpirationes, cum in imperitiam potius ſit referenda: æque enim Medici eſt iuuantia adhibere, & a nocentibus præcauere, neque Medici nomen meretur, qui in horum altero deficiat.

Omnes aeris acceſſus vulnerato inimicus.

Si verò de aere loquamur, prout ambit totum corpus, & inſpiratur, vterque exceſſus eſt vulnerato inimicus, frigidus enim aget in totum corpus & ex conſequenti etiam in ipſum caput, & dum inſpiratur, ad cerebrum peruenit. Calidus ſimiliter, & totum ambiens corpus, & inſpiratus calefaciendo humores attenuat, et fluxiles reddit, et inſuper occaſio eſt generationi calidorum ſuccorum. Hyeme igitur, et tempore frigido calefiant thalami, non igne tamen vaporoſo, cuiuſmodi eſt ignis ex ſuccenſis carbonibus, claudanturque ianuæ, et feneſtræ, et ſuperlectum iacentis ponatur tentorium, quo aeris frigidi ingreſſus prohibeatur, et omnis flatus arceatur. Aeſtate verò propter ventos, et aeris inæqualitates clauſæ ſint ianuæ, et feneſtræ. Non minus arceantur ea, quæ calidiorem reddere poſſunt aerem domicilii, vt hominum congreſſus, ignis, candelæ accenſæ, &c. temperatus enim aer eſt, qui probatur. Ideo ſi nimis ſit calidus, feneſtræ quandoque aperiantur, non tamen noctu, neque aere à ven-

ventis agitato. Conſideranda eſt quoque temperatura ægrotantis, ætas, conſuetudo, &c.

Vnum noto circa aerem, in quo frequenter errata committuntur, id autem eſt, quando ægri ſurgunt, vt aluum deonerent (plerique enim nudatis cruribus, ac pedibus ſurgunt, immò aliqui abſque veſte) aer frigidus partes neruoſas afficit, & in conſenſum ducitur caput, cum nerui originem à cerebro ducant. Admonendi ergo ſunt aſſiſtentes, vt in hac re ſint oculati, & maxime, ſi pharmacum vulneratus ſumpſerit.

CAPUT LV.

De reliquis rebus non naturalibus.

MOtus corporis & calefacit, & humores ad motum concitat, idcirco in omnimoda quiete ſunt continendi, præſertimque quieſcat caput, vnde & cauere debent à maſticatione duriorum, & à multa, & altiori locutione, replet enim cerebrum, neque tantum ſolida quieſcere oportet, ſed & impetum facientia, qua de re, quoniam nimis luminoſus aer ſpiritus animales agitat, claudantur feneſtræ, non penitus tamen, ſed quantum ſatis eſt ſolum vt obſcurum adſit lumen, non cæcæ penitus tenebræ, quæ ægros affligere ſolent. Quòd ſi penitùs claudantur feneſtræ, adſit lumen candelæ, quod tamen oculos vulnerati non feriat. Aluus quotidie excernatur, ſi non natura, ſaltem arte, impoſito videlicet conſuppoſitorio, vel immiſſo clyſtere. Cuius ratione conceduntur etiam pruna dulcia ex iure decocta, & cum ſaccharo in prima menſa ſumpta, vel paſſulæ. Debent autem excerni fæces quotidie, ne ex ipſis eleuentur halitus ad cerebrum.

Somnus ſit moderatus noctuque tantum dormiant, non interdiu, niſi nocte vigilauerint, vel æger delirarit, ſed hoc ſpectat ad correctionem ſymptomatum, ſicuti & eum ex-

excitare à ſomno, quando nimis in ipſum propenſus eſt; & ſomnum conciliare, vel balneis ad extrema ex aqua modicè calida, vel ex decocto lactucæ, violariæ, foliorum vitis, corticum papaueris albi, & huiuſmodi, aut exhibitione ferculi ex lactuca in vltima menſa, vel ſacchari violacei, quando vigiliæ vrgent. Etenim, & nimium ſomnum, & nimias vigilias cauere oportet; illud enim lethargicæ affectionis eſt præludium, aut cari, hoc verò inflammationis, & delirii, ac conuulſionis, & vt ſigna, & vt cauſæ, diuturnior enim ſomnus replet immodicè caput vaporibus, & humiditatibus, vigiliæ verò calefaciunt totum corpus, & cerebrum, ac ſpiritus agitant. Vitandus verò ſomnus ſtatim à cibo, ne copioſioribus vaporibus repleatur caput: qua ratione in poſtrema menſa exhibeantur aliqua, quæ vapores à cibo comprimant, vt ſunt granata, cidonia ſaccharo confecta, ſaccharum roſaceum vetus, & huiuſmodi. *Cur immoderatus ſomnus, & immoderatæ vigiliæ ſint cauendæ.*

Animi affectus immodicos omnes vitent, omnes enim humores, & ſpiritus agitant, præcipuè autem iram, & timorem, & quæ ad ipſa attinent. Ita enim feruet ſanguis, & repletur caput, timore verò, & moleſtia virtus deiicitur, calor ad interna ſe recipit, extremaſque partes deſerit, vnde quæ ad vulnera attinent, non corriguntur, uaporeſque eleuantur ad caput, ſpiritus exagitantes. Hinc non ex ira tantùm, ſed ex timore, & moleſtia uidemus febres ephemeras oriri, & propter alios etiam immodicos animi affectus: bona ſpe ſunt alendi, ita tamen, ne ſpes eos deducat ad committenda errata, idcircò promittatur ſalus certa cum conditione, videlicet, ſi omnia prout oportet, fuerint peracta, & æger nihil deliquerit. *De animi affectibus.*

Curandum etiam eſt, ut uulneratus benè ſentiat de Medico, ſi aliàs ei non fuerit cognitus, ſi enim dicebat Hippocr. 1. Præſag. cum ægrotus exiſtimat Medicum res ægrotantium optimè intelligere, ſeipſum magis illi committit, & confidentia illa plurimum ualet ad ſalutem, & ideo dicebat Ga- *Confidentia infirmi confert ad ſalutem.*

len. quod ille plures ad ſanitatem perducit, cui plures confidunt.

CAPUT LVI.

De quibuſdam annexis.

SVnt alia quædam, quæ quamuis neceſſario non occurrant, & idcircò inter res neceſſariò occurrentes non ſint connumeranda, facilè tamen euenire poſſunt, idcircò dicuntur annexa prædictis neceſſariis, eorumque habenda prouidentia, huiuſmodi autem ſunt, vt ſtrepitus, odores, coitus, lactis emunctio in mulieribus, & huiuſmodi. Strepitus igitur, & fragores uitandi ſunt, & eo magis, quo fuerint maiores, vt ex tormentis manuariis, maxime enim humores exagitant, & ſpiritus, Cerebroque officiunt. Odores caput replentes ſunt euitandi, cuiuſmodi ſunt odores calidi, vt moſchi, ambræ, aromatum, florum calidorum, & huiuſmodi, & nimis frigidi, vt opii, &c. In aliis quoque conſideranda ægroti peculiaris natura, ſunt n. quibus odorare roſas caput replet. Coitus, & ipſe uitandus eſttanquam cerebro, & neruis inimicus, & virtutem proſternens, nec non & humores ad motum concitans. Emunctio quoque lactis cauenda, quamdiu adeſt inflammationis periculum. euacuatis enim mammis, rurſus influit ſanguis, & à ſuperioribus, & inferioribus venis, vnde in hoc humorum motu timendum eſt, ne etiam in caput irruant.

CAPUT LVII.

De ſanguinis miſſione.

QVòd in omnibus vulneribus vt conſeruetur ſalubris ſubſtantia partis, fluxionem, & raptum humorum ad vulneratam partem inhibere oporteat, tum iis,

quæ

quæ materiam fluxionis atque inflammationis tollunt, tum iis, quæ motum humorum aliò vertunt, ac cohibent, & omnibus tandem, quæ contra humorum motum pugnant, in vniuerſalibus declaratum eſt. Quocirca ſi vulnus ſit in capite, præcipuè cum oſſis fractura, & adhuc magis cum ſubiectarum partium detectione, ac læſione, eo magis in id incumbendum eſt, quo pars affecta nobilior eſt, cui ſi inflammatio contigerit, pauci effugiunt. Inter omnia verò, quæ fluxionem prohibere poſſunt, principem locum ſibi vendicat omnium conſenſu venæ ſectio, vt in vniuerſalibus dictum eſt, hanc enim multis nominibus fluxiones ſiſtere oſtenſum eſt, primò quidem materiam fluxionis ſubtrahendo, deinde humorum motum compeſcendo, & ad contrarium reuellendo, tertiò ſanguineam maſſam refrigerando per accidens, qua ratione neque ſanguis redditur adeò pronus ad motum, neque tot vaporibus cerebrum replet. Eo magis inſuper neceſſaria videtur venæ ſectio in capitis vulneribus, quoniam plerumque nos ipſi fluxioni occaſionem præbemus, dum cogimur ſecare, abradere, terebrare. Neque valet, quod inflammatio non ſit præſens, & quod indicat præſidium, debeat eſſe præſens! non enim ſanguinem mittimus, vt ſolummodo inflammationem curemus, ſed vt ab inflammatione præſeruemus, & inflammationis cauſam tollamus, videlicet fluxionem, vt enim dicebat Gal. lib. de cur. ra. per venæ ſec. Quæcumque morbis præſentibus rectè peraguntur, aut incipientibus, aut imminentibus præuertenda, vnde ſubiungebat: Et ſanis mittere ſanguinem expedit, vbi magni alicuius morbi metus imminet. Sicuti enim, quando mali præſentes ſunt, eorum cauſas ſubmouemus, ita & quando imminent, licet remotiores. Non omittenda igitur venæ ſectio, ſi vires ferant, vt magni morbi futuri radices tollamus. Quod ſi vires non ferant, aut ætas puerilis, vel ſenilis prohibeat, aut hirudines brachio affigendæ, aut ſcarificatæ cucurbitulæ adhibendæ pro ratione virium. Et

Sanguinis miſſio maximè neceſſaria in vulneribus capitis.

ſi puer ſeptimum exceſſerit, non abſtineo à venæ ſectione, ſi fortis fuerit puer, & boni habitus, ac ſanguine repletus, & vulnus magnum, vt enim dicebat Gal. lib. de cur. ra. per ſang. miſ. non ætati ſolummodo hominum aduertere oportet, ſed & corporis habitui, ideoque & ſeptuagenariis venam ſecat. Vbi vero neque cranium, neque ſubiectæ partes læſionem habuerint, quoniam venæ ſectio eſt remedium magnum, non erit conueniens, niſi vulnus ſit magnum ratione propriæ eſſentiæ, ſed ex vſu erunt cucurbitulæ ſcarificatæ in inflammationis metu, aut hirudines, & potiſſimum, ſi alia reluctentur.

De tempore.

Quamprimum autem mittendus eſt ſanguis, quoniam ſtatim à vulnere imminet ſanguinis motus ad partem vulneratam. Quapropter ſtatim, niſi ventriculus adhuc fuerit cibis repletus, immiſſo enæmate, incidenda eſt vena, immo ſi vulnus fuerit inſigne, vt quando eſt cum læſione ſubiectarum oſſi partium, ne forte ex enæmatis immiſſione amittatur occaſio mittendi ſanguinis (non raro enim contingit ab immiſſo clyſtere ſanguinem ſecta vena non fluere, eo quod ad interiora ſe recipiat) primò ſecetur vena, & miſſo ſanguine ſtatim immittatur clyſter. Clyſteres autem lenientes tantùm ſint oportet,

Quid agendum ſi ventriculus fuerit repletus cibis.

Si verò ventriculus adhuc cibo fuerit repletus, expectanda eſt coctio, & ventriculi inanitio, niſi inſignis crapula præceſſerit, acrium copioſa comeſtio, copioſa vini potatio, & maximè potentis, vel ebrietas etiam adſit, quo in caſu non eſt expectanda coctio, ſed promouendus vomitus, quo auferantur ea, quæ caput immodicè replent. Quamuis enim vomitus cerebrum repleat, adhuc longè maius eſt detrimentum, quod exoritur à crapula, & copioſo vino, ſi digeri ſinantur, & longè magis replebitur caput ex copioſis vaporibus aſſiduò eleuatis, quam ex vomitu, cum præſertim huic incommodo aliis reuellentibus facilè ſuccurramus. Exinanito

nanito ventriculo, quieſcat parumper vulneratus, deinde ſecetur uena.

Similiter non eſt ad opus deueniendum, niſi ſedatis priùs magna ex parte animi perturbationibus. Mittendus autem erit ſanguis pro ratione virium, ætatis, anni temporis, naturæ uulnerati, & magnitudinis uulneris, & habito etiam reſpectu ad quantitatem ſanguinis qui ex uulnere fluxit, quò maior enim quantitas ſanguinis ex uulnere fluxerit, eò parcius detrahetur. Eo autem copioſiùs, quo uulnus maius extiterit, & quo magis abundauerit ſanguine, & robuſtior fuerit is, qui uulneratus eſt, & uerno tempore, &c. *Quantum ſanguinis extrahendum.*

Cæterum quoniam ſanguinem mittimus non euacuationis tantùm gratia, ſed etiam reuulſionis, idcirco non vnica uice extrahenda eſt tota ſanguinis quantitas, ſed interpolatis uicibus, vt maiorem habeat uim reuellendi, quemadmodum explicatum eſt in vniuerſalibus. Dictum enim eſt ex Galen. libro de cur. ra. per ſang. miſ. quod reuulſio, quæ ſecta uena, adhibetur, eo eſt efficacior, quanto in maiori numero particulares detractiones augentur. Eligenda autem erit uena cubiti, ut à capite auertatur humorum impetus; quæ enim ſurſum fluunt, deorſum reuellere oportet, & omnino reuulſio ad contraria facienda, ita tamen, vt ſeruetur neceſſaria longinquitas, vt in 1. lib. dictum eſt, nimis enim tarda fieret reuulſio, & obſcura, ſi in pede aperiretur uena. *Modus agendi*

Seruanda quoque eſt rectitudo, & communicantia uaſorum, ut in vniuerſalibus dictum eſt. Si plethoricum fuerit corpus, primò iecoraria erit ſecanda, dein communis, & poſtremum cephalica, aliàs primò tundenda erit communis, deinde cephalica. Sicuti ſi iecoraria lateret, eius loco communis eſſet accipienda. Secandam autem uenam diximus primò iecorariam, dein communem, uel communem primò, deinde cephalicam, quoniam vniuerſaliores euacuationes ſunt præmittendæ. Si in medio capitis eſſet uulnus, primò ſecanda eſſet uena *Quæ vena ſecanda.*

in dextro brachio, deinde in ſiniſtro. Si tamen propter uirium imbecillitatem ſecari non poſſent uenæ maiores, aperiendæ forent quæ ſunt in manibus, aut hæmorrhoidibus affigendæ hirudines. At ſi ratione inflammationis iam factæ mittendus ſit ſanguis, ut ſcilicet qui in affecta parte continetur nondum impactus, euacuetur, & omnino deriuationis gratia, & uenæ ſub lingua, & quæ in fronte eſt, ſecari poterunt. Naribus quoque, & uenis, quæ ſunt poſt aures, non inutiliter admouebuntur hirudines.

CAPUT LVIII.

De purgatione.

Vtilitates purgationis in vulneribus capitis.

SEcundum locum inter ea, quæ fluxionem inhibent, atque inflammationem prohibent, in vulneribus capitis, obtinere uidetur purgatio per inferiorem aluum, vt quæ & ipſa materiam fluxionis, & inflammationis ſubtrahat, deorſum humorum impetum auertat, & per accidens etiam refrigeret, atque materiam incraſſet, & ineptam reddat ad motum, humor enim bilioſus fluxionis vt plurimum eſt auctor, & ex eius permiſtione ſanguis redditur tenuior, & ad motum paratior, atque facilius feruet, vnde ſi bilis euacuetur, ſanguis craſſior remanet, & minus ad motum procliuis, neque tam facile ebullit. Bilis quoque ſurſum de facili effertur; quod ſi educatur, minus ſubeſt periculi. Si futura eſt inflammatio, oportet, vt ſurſum fluant humores, aut purgatio per aluum inferiorem deorſum eoſdem trahit. Quare multis nominibus videtur conuenire purgatio per inferiorem aluum ad prohibendam inflammationem in vulneribus capitis. Amplius ſi fuerit aliis prauis humoribus refertum corpus, quibus reddi poteſt inſalubris ſubſtantia partis uulneratæ, dum alimentum impurum, & vitiatum ad eam transfertur, aut à natura, vt totum expiet, quod lædit, tranſmittitur, purgatione per inferiorem aluum

eua-

euacuantur, & ſanguis expurgatur, atque corrigitur, & à cacochymia imminens periculum ſubmouetur.

Hæc rationes tanti ſunt momenti, vt etiamſi deeſſet grauiſſimorum virorum auctoritas, omnino ipſis acquieſcendum foret. Cum autem & eadem principes in re medica probauerint, quis niſi amens prorſus ipſam renuet? Hip. conſulamus, qui lib. de vlc. tex. 4. hæc habet: Depurgatio ventris deorſum plurimis vlceribus confert, & in vulneribus, quæ ſunt in capite, &c. quid clarius? vnde & lib. de vuln. cap. nu. 28. Cum vero in vulnere in capite hominis terebello perforato, aut non perforato, oſſe autem denudato, tumor rubicundus ignis ſacri ſpeciem referens acceſſerit in facie, &c. huius infernam aluum deorſum purgare oportet medicamento, quod bilem ducit, & vbi ſic purgatus fuerit, & febris dimittit, & tumor ſedatur, & ſanus euadit. Gal. adeamus, qui lib. 4. Meth. cap. 6. hæc habet: Omnibus vlceribus quoties præualida ſunt purgatio eſt vtilis, vnde inferius: Vbi tendines, nerui, & carne vacua, & oſſea loca ſunt, hic doloris, vigiliarum, conuulſionis, & delirii periculum inſtat: hæc igitur omnia & quæ ſuturis, vel deligatura indigent, alui purgationem deſiderant. At in capitis vulneribus cum oſſis, vel etiam ſubiectarum partium læſione quis non videt conuulſionis, & delirii periculum, & tandem mortis? Auic. quoque eiuſdem ſententiæ fuiſſe videtur, 1. namque 3. tract. 2. cap. 26 agens de ſoda ex percuſſione, aut caſu contingente, clyſteria acuta proponit, ſaltem cum pulpa colocynthidæ, niſi febris hominem prehenderit, tunc enim clyſteria æquanda præcipit, ſubiungitque quod ſi clyſter quidem non euacuat, oportet, vt euacuetur cum aliquo, quod ſit ſicut pilulæ nuncupatæ Cochiæ, ſi febrem non habuerit, quod ſi habuerit calorem, qui febre ſit minor, non prætermittas ipſarum portionem. Eadem ferè habet Rhaſis 1. lib. Continentis tract. 21. cap. 2. dicebat enim: Cum accidit capiti fortis percuſſio fiat in primis phlebotomia, ſecundario prouoce-

Auctores, qui purgationem neceſſariam indicant in vulneribus capitis.

uocetur fluxus cum clyſteribus validis, ſi non multum febricitat patiens, ſicut ex aqua decoctionis pulpæ colocyntidæ: & ſi febricitat, clyſterizetur cum rebus lenibus, & dentur pilulæ Cochiæ, ſi non febricitat, & debes ſcire, quòd prouocatio fluxus eſt valde neceſſaria in hoc morbo, & ſi fortè parum caleret, non noceret, quia purgatio reddit caput leue, & non permittit vulnus apoſtemari. Idem Gentilis in Auic. idem Nicolus. Ecce quomodo omnes hi, vt reliquos omittamus, ad prohibendam inflammationem in capitis ictibus purgationem per inferiorem aluum conſulunt.

Gentilis Nicolus.

Et quamuis hæc non fuiſſent neceſſaria, cum in vniuerſalibus oſtenderimus in omnibus vulneribus grauioribus purgandum eſſe per inferiorem aluum, voluimus tamen ea in medium adducere, quoniam non deſunt qui omnino eam refugiant in vulneribus capitis decepti ab antiquo corrupto codice Auic. ſed clyſteribus, & iis lenientibus totam rem agunt, aut lenientibus pharmacis, cuiuſmodi eſt caſſia, tamarindi, mirobalani, manna, & huiuſmodi. Auic. enim ſi neceſſarium fuerit, exhibendum ſoluens aſſerit, verum ſemel ſolùm, idque Hip. decreto, ſubiungit enim, nam & Hip. præcipit illud. Si ergo vult, vt exhibeatur ſoluens ſemel, ergo lenitiuum tantum, & quod fæces ſolas poſſit educere. Vnde interpretantur Hip. & Gal. loca, quibus purgationem conſulere videntur, non de purgatione, quæ fit ſeligente pharmaco, ſed leniente. Celſi quoque auctoritatem obiiciunt, qui nullam purgantis pharmaci mentionem facit.

Aliqui reprobant purgationem.

Rationem etiam adducunt, medicamenta ſi quidem ſelectiuè purgantia corpus calefaciunt, & humores exagitant, & ita ad fluxum paratos reddunt, ergo non vſurpanda, hinc Cauliacenſis Guido clyſteribus vtitur, & ſimiliter Ioannes de Vigo, & multi alii. Immò & ex iis, qui nunc etiam medicinam faciunt noui ego quoſdam magni nominis ab iſtis medicamentis, tanquam ſuſpectis, omnino abſtinere.

Rationibus reprobatur purgatio, quæ fit per ſelectiuè ducentia nec non & auctoritatibus.

Quòd

Quòd verò Gal. loca de lenientibus ſint intelligenda, probant Gal. auctoritate 2. de comp. med. cap. 1. vbi hæc habet Gal. quòd ſi per communionem membranæ caluam ambientis, quam ad duram cerebri membranam, circa ſuturas habet, etiam intra caluariam inflammatio ipſa diſtribuitur, non abſque periculo eiuſmodi capitis dolor exiſtit, contingit autem non parum ſæpè; in caſu præſertim ex ſublimi facto, vt quædam circa cerebrum, aut membranas eius, partes abrumpantur, quod vbi contingit etiam amplius capitis dolor inualeſcit, ipſaque affectio tota ægre curabilis redditur, & periculum ingens, ac præceps imminet. Optimum itaque fuerit in his, niſi ætas prohibeat, & niſi vitalis facultas debilis appareat, vt ſine noxa miſſionem ſanguinis toleret, ac nihil prohibeat eorum, quæ de ſecanda vena retulimus, ſicuti vel crudi humoris copia, vel puerilis ætas, vel anni tempus, vel regio, in qua ſit extremus calor, aut frigus, à venæ ſectione curationis initium facere, ac conuenientibus capitis irrigationibus vti. Quòd ſi quidpiam horum, ſiue ætas, ſiue virium imbecillitas, aut etiam ambo ſimul ſanguinis detractionem fieri præpedient, aluum per clyſterem euacuabimus, tum, vt ſuperflua in ipſo recrementa extrahamus, tum vt humores, qui ad affectas partes inde ferri conſueuerunt, reuellamus, atque inde auxiliis ad inflammationem commodis vtemur. Ecce quomodo Gal. nullam facit mentionem ſoluentis medicamenti, ſed clyſteribus tantùm vtitur, ex quo & Paulus, & Alexander, & Aetius, & Oribaſius, & inter Arabes Halyabbas, & Serapio agentes de dolore capitis ex ictu, aut vulnere capitis nullam faciunt exoluentis pharmaci mentionem, ſed clyſteribus vtuntur, & iis lenibus, ſi febris inſignis adſit, vel lenientia tantum exhibent ex ipſis aliqui, vt Halyabbas, Græci enim omnino ſolutionis ventris non meminerunt. Quod ſi præſente capitis dolore, & incipiente, vel facta iam inflammatione purgantia per aluum inferiorem non admittunt, quanto minus,

quando nondum materia fluit? magis tamen videtur conuenire, quando materia eſt in fluxu, vt quæ deorſum trahi indicet ſurſum fluens, ſed non conuenit per prædictos auctores, ergo neque conueniet quieſcente materia, quo tempore minus videtur conuenire, cum non adſit motus eiuſdem ad caput, cuius ratione trahenda ſit deorſum.

Præterea & ſic arguunt, quæ non conueniunt morbis præſentibus, neque conuenire videntur antequam ipſi morbi ingruant, ſicuti enim, quæ conueniunt morbis præſentibus teſte Gal. loco ſupra citato, eadem & imminentibus, aut incipientibus conuenire cenſendum eſt, pari ratione & quæ non, conueniunt morbis præſentibus, neque & antequam contingant, atqui præſente inflammatione cerebri, aut membranarum non conueniunt purgantia, ergo neque prius quam fiat. Quod verò non conueniat medicamentum purgans ex Hip. ipſo colligi poteſt, dicebat enim: Febricitanti caput ne purgato, ne furioſus fiat, ſi ergo medicamentum purgans eſt cauſa delirii in febribus, dum quis eo vult caput purgare, tanto magis præſente ipſa inflammatione erit in cauſa, vt ipſa augeatur, nihil aliud enim volumus exhibitione pharmaci, niſi vt caput purgetur. Sed & Gal. omnino purgationem abhorrere videtur in phrenitidie, 2. enim de ra. vic. in acutis com. 2. dicebat: Vbi igitur non ſolùm auctus fuerit morbus, cuiuſmodi eſt pleuritis, verùm & cum febre vehementiſſima, quemadmodum in cerebri quoque membranarumque inflammatione ſæpiſſimè aduenire contingit, multo magis vitanda eſt purgantis adminiſtratio, atque per ſectionem venæ vacuandum magis, &c. quis autem ignorat in inflammatione cerebri, aut membranarum vehementiſſimam eſſe adiunctam febrem. Hinc Trallianus, & Paulus nullam fecerunt mentionem purgationis, dum phrenitidis, & cerebri inflammationis curam pertractarunt. Et adeſt conſentiens ratio, vel enim euacuari volumus pharmacis leuibus, vel fortibus, & quorum vires ad caput pertingant; ſi primum

mum, nihil proficiemus, ſiquidem non euacuabitur humor peccans, neque ad contrarium conuertetur motus. Si ſecundum huiuſmodi calida ſunt, & valde exagitant, vnde magis commouebunt humores. Addamus, quod materia cruda pharmaco non cedit, & ab inflammata parte vanum eſt ſperare quidpiam concluſi ſucci pharmaco euacuare. Vnde Hip. 4 de ra. vic. in acu. text 22. Quicunque autem ea, quæ inflammantur, ſtatim morborum inter initia medicamento ſoluere conantur, ii non ſolùm ab intenſa, inflammataque parte nihil adimunt, cum non cedat obſequaturque, quæ adhuc cruda eſt, affectio, verum quoque & quæ morbo aduerſa, & ſana ſunt, abſumunt, contabefaciuntque, ductoque ad imbecillitatem corpore, morbus ſuperior euadit, qui vbi corpus vicerit, remedium non habet.

Quamuis nonnulli ſint, qui huiuſmodi rationibus perſuaſi omnino purgationem renuant, & ex iis etiam, qui hodie medicinam faciunt, & qui modum curandi vulnera capitis tradiderunt, neque vllam expurgantis pharmaci mentionem habeant, attamen prius allatæ rationes, & Hip. atque Gal. auctoritates adeo vrgent, vt liberè poſſimus hanc concluſionem proferre, videlicet, in capitis vulneribus ad prohibendum materiæ affluxum ad caput, & inflammationem, medicamentum purgans conuenire, neque tantum id, quod leniens appellatur, ſed ſelectiue ſoluens, & de hoc medicamento intelligendum eſſe tum Hip. tum Gal. Ratio deſumitur ex fine, exhibetur medicamentum purgans, vt materia fluens, vel fluxura auertatur, & deorſum trahatur; oportet ergo, vt medicamentum ei vim inferre valeat, quod non erit, niſi à proprietate totius ſubſtantiæ eam attraxerit, itaque erit electiue purgans, non leniens, cuius vis primam corporis regionem non tranſcendit, quo nulla poteſt oriri controuerſia, cum & prope mortem conſtitutis exhiberi poſſit. Præterea & ea ratione exhibetur, vt ſubtrahatur materia fluxioni, & quæ futura eſt inflammationis cauſa,

Competere medicamentum ſelectiue purgans in capitis vulneribus.

& potiſſimum vehiculum ſanguinis, videlicet humor bilioſus, & hæc materia ſecundùm plurimum eſt in venis, ergo oportet, vt medicamentum vim habeat attrahendi eam materiam à venis, itaque erit ſolutiuum, non leniens. Neque aliter intelligendus eſt Hip. atque Gal. cum in finem hoc medicamentum purgans conſuluerint. Neque conſueuit Hipp. nomine purgationis intelligere alui lenitionem, aut purgantis lenientia pharmaca, puta mannam, caſſiam, ſyr. roſ. ſol. quæ nec agnouit, ſed purgantia valida, quibus ipſe vti conſueuerat, qua ratione dicebat 4. Aph. 5. Sub cane, & ante canem moleſtæ ſunt purgationes. Et 1. Aph. 22. Concocta medicari, &c. & 2. Aph. 36. Qui ſalubritatem corporis habent, per medicamenta euacuati citò exoluuntur, & qui prauo vtuntur cibo. Quibus in locis, & aliis penè innumeris eiuſmodi conſtat, Hipp. non intellexiſſe de lenientibus, ſed validis medicamentis, idcirco & vbi conſulit in vulneribus purgationem, de ea, quæ fit per talia medicamenta, ipſum intelligere exiſtimandum eſt. Similiter & de Gal. dicendum eſt. Et his medicamentis non ſolùm vtendum, antequam materia fluat, ſed etiam cum fluere incipit, & caput replere, vnde Hip. lib. de vuln. cap. text. 28. Superueniente vulneri eryſipelate pergandam bilem admonet, quia cum ſit in fluxu, timendum eſt, ne non ſolum ad extimas partes capitis repat, ſed etiam ad intimas; idcirco & Auic. & Rhaſis pilulas cochias exhibebant, habet enim purgatio vim magnam reuellendi à capite, hinc Gal 13. Meth. 5. Sicuti vomitus pudibundis laborantibus in diuerſa reuellens auxilium eſt, eadem ratione in omnibus, quæ circa caput accidunt, purgatio ad contrarium auertit, atque ob eam rem Hipp. tum in reliquis omnibus operibus, tum in eo, quod de vlceribus prodidit, etiam morbi magnitudinem ad purgationis indicationem conſiderat, & vulnera in capite præcipuè recenſet, Purgatio, inquiens, per aluum pleriſque vlcerum prodeſt, prætereà vulneribus, quæ in capite ſunt accepta.

Vbi

Vbi tamen inflammatio facta eſt penitus, vanum omnino cenſendum eſt pharmacum purgans exhibere, iam enim factus eſt morbus, neque quidpiam medicamento ab inflammata parte euacuare poſſumus, quare pharmacum exhibitum ſui caliditate magis calefaciet, & vi attractoria exagitabit bilioſos ſuccos, atque ad motum validius concitabit, itaque facilè fluent ad cerebrum iam phlegmone obſceſſum, & maior euadet affectio, atque febris vehementior reddetur, præterea & vires ſine vtilitate deiicientur. Et ideò auctores non proponunt exoluentia pharmaca in phrenitide, intelligentes de phrenitide facta. Deinde locus ab auctoritate negatiuè non valet. *Facta inflammatione non competit purgatio.*

Ne autem exhibitione pharmaci ſequatur agitatio, & calefactio inſignis, cauere oportebit à validioribus exoluentibus, ſed iis contenti erimus, quæ blande ſoluunt, & antiquis erant incognita, quæ præter id, quod euacuant, etiam veſtigium corroborationis poſt euacuationem relinquunt: niſi iam fluere materia cæperit, & caput replere, doloreſque, & deliria concitare, cum enim tunc maiori vi ſit opus ad extrahendos ſuccos iam fluentes, & caput obſidentes, licet nondum penitus firmatos, validioribus etiam pharmacis erit opus, & quæ magis à remotis trahant, cum præmeditatione tamen, ad omnia reſpicientes, ad quæ reſpicere oportet, dum validius pharmacum exhibere volumus, cuiuſmodi ſunt ætas, conſuetudo, temperamentum, anni tempus, febris, uires, &c. ſiquidem oportet, ut maior ſit utilitas, quæ proficiſci debet à pharmaco. quàm iactura, poſteà quam citra omnem offenſam nequit exhiberi: Animaduertendum etiam, vbi humor iam in caput repit, cholagogo medicamento rem eſſe agendam, ex ſanguine enim bilioſo fit inflammatio, & bilis eſt ſanguinis vehiculum. At quando nondum manifeſtè mouentur humores, non ſolùm bilem ipſam reſpicere debemus, ſed in vniuerſum exuperantem ſuccum, ſiquidem cacochymia tollenda. Supereſt, vt quæ in contrarium adducta ſunt, diſſoluantur. *Conſilium.*

Soluuntur in contrarium adducta.

Quod attinet ad Auic. locus ille, vbi videtur admittere medicamentum ſemel ſoluens, quoniam id aſſerit Hip. decreto, ſubiungens: Nam Hip. præcipit illud, procul dubio intelligendus eſt ad mentem Hip. atqui, vt declaratum eſt, Hip. vult, vt vtamur medicamento ſelectiue ducente, ergo etiam eo pacto interpretari oportet Auicennam. Quapropter cum dicat medicamentum ſemel ſoluens, nam Hip. præcipit illud, quod conſonum eſt iis, quæ ab Hip. dicuntur lib. de vuln. cap. occaſione eryſipelatis in capite facti, aut expungendum eſt ly ſemel, vel loco ſemel legendum eſt, bilem, vt videlicet exhibeatur medicamentum ſoluens bilem, quod mihi magis arridet, vnde & Hip. loco citato dicebat: Huius infernam aluum deorſum purgare oportet medicamento, quod bilem ducat. Hinc alibi pilulas cochias proponit ipſemet Auic. Celſus verò topica tantum medicamenta recenſebat. Ad rationem allatam dicimus verum eſſe, medicamenta exagitare, & calefacere, cum hoc tamen iis vti oportet, quando maius eſt damnum, quod imminet iis omiſſis, quàm ex agitatione, & calefactione. Præterea exagitando ſuccos deorſum commouent. Amplius alia magis, alia minus exagitant, deligere autem poſſumus, quæ minus exagitant, & eorum caliditati refrigerantibus occurrere. Ad locum ex Gal. allatum, dicimus ibi loqui Gal. de inflammatione iam facta. Præterea non eſt Gal. propoſitum in eo libro interna præſidia afferre. Ad alios auctores iam apparuit, quid dicendum.

Ad rationem illam dialecticam dicimus, & conuenire reuulſionem, quando materia fluit, & quando etiam non fluit, verùm fluxura eſt: vnde quando nondum materia fluit, ſi ad contrarium conuertatur ei, ad quem locum fluxura eſt, non eſt vera reuulſio; hæc enim indicatur à motu ipſius materiæ, ſed eſt contrarius motus concitatus, qui quidem indicatur à materia, prout habet propenſionem ad motum verſus affectam partem,

qua

qua ratione eſt cauſa morbifica in potentia, & hoc intelligendum eſt de purgatione, quæ fit gratia reuulſionis tantùm, nam quæ fit gratia euacuatioonis, palam eſt indicari à qualitate humoris peccantis, ſeu ab humore qualitate peccante, ſi purgatio eſt euacuatio humoris qualitate peccantis. Ad vltimam rationem negatur minor, multa enim fiunt, antequam morbi inuadant, quæ non licet, vbi iam inuaſerit morbus, vt enim morborum generationem prohibeamus, vtimur exercitiis, laboribus, balneis, & huiuſmodi. At ſi febris inuaſerit, quietem eligimus, à balneis abſtinemus, ſi fuerit putrida, donec morbus concoquatur, & ſic de aliis. Arguendum ne ergo eſſet, non oportet præſente febre labores ſubire, ergo neque priuſquam febris accidat? Et quamuis, quæ præſentibus morbis fiunt, eadem ſint præuertenda ipſis incipientibus, aut imminentibus ex Gal. 5. de ſan. tu. cap. 11. licet neque hæc ſententia ſic, vt iacet, ſit intelligenda, non ob id tamen ſequitur, non eſſe facienda aliqua priuſqnam morbi inuadant, quæ non licet, vbi iam ipſi morbi inuaſerint, alia eſt ratio hic, & ibi. Quod ergo in capitis vulneribus purgandum ſit ſeligente pharmaco, manifeſtum. Nunc quibus pharmacis id præſtare oporteat, explicemus, & quando eadem ſint exhibenda, & quomodo.

Oſtenſum iam eſt, quando adhuc humores non fluunt, clementiora eligenda eſſe pharmaca, vt minima exagitatione corpus euacuent, atque reuellant, & minus arefaciant, fluentibus vero iam ad caput ſuccis, validiora conuenire, niſi quid prohibeat, vt vires, tempus æſtiuum, vehementia febris, natura laborantis, & huiuſmodi. Præterea, quod ſi corpus fuerit cacochymum vnà cum bile, quæ ſemper eſt euacuanda, alii quoque peccantes ſucci ſunt euacuandi, quando non adhuc repunt ad caput humores, ſicuti quando repunt, potiſſimum reuulſiones gratia purgamus, reſpicientes in primis bilem.

In-

Materiæ medicæ.

Inter clementiora ergo eſt rhabarbarum, & agaricus, quando etiam humorem pituitoſum voluerimus euacuare, ſicuti & folia ſenæ, atque polypodium, vbi humorem atrabilarem: hæc ergo permiſceri poterunt cum ſyr. roſ. ſol. viol. ſol. melle roſ. ſol. diacatholico, diaſebeſten lenitiuo, electuario lenitiuo in debilioribus corporibus, & pharmacis obedientibus, at in robuſtioribus addi poterit portio electuarii de ſucco roſarum, vel roſ. Meſue, vel diaphœnicon, ſi etiam pituitam voluerimus euacuare, vel confectionem Hamech, ſi humorem melancholicum. Mirobalani quoque permiſceri poterunt, vt relinquatur veſtigium corroborationis poſt euacuationem, quod tamen rhabarbarum eleganter facit, vnde & cum clementiſſimè bilem euacuet, & aliqua ex parte pituitam, principem locum iure merito obtinet inter pharmaca, quæ exhibentur in vulneribus capitis. Quoniam tamen ſunt aliqua corpora huiuſmodi clementioria aſpernantia, cogimur, vt dictum eſt, aliquid admiſcere de electuariis ſoluentibus. Vt verò minus calefaciant, præparanda erunt aliquo decocto refrigerante, vel ſuperbibendum aliquod refrigerans, vt decoctum cichorii, endiuiæ, oxalidis, tamarindorum, ſerum, & huiuſmodi. Præſtat autem ea exhibere in forma liquida, dum ad caput nondum repunt ſucci, quia à propinquioribus partibus facienda euacuatio, & minorem moram trahunt in uentriculo ipſa medicamenta, at vbi à capite, in forma ſolida, & ideo cum iam inuaſit dolor capitis, probantur pilulæ cochiæ, & aureæ, magis enim efficaciter agunt, & magis à remotis attrahunt diu in uentriculo immorantia, quibus tamen in robuſtioribus corporibus etiam à principio ſæpius fœliciſſime ſum vſus

Quod uerò maximè obſeruandum eſt in præſcribendis purgantibus, id eſt, vt iuxta naturam ægrotantis, & humorum copiam eligantur, non enim minus detrimenti imminet, ſi ſuperflua contingat purgatio, quàm ſi nulla; ex ſuperfluitate enim purgationis, vt in 1. lib. dictum eſt, priua-

priuatur pars proprio alimento, eiuſque naturalis calor languidus redditur, ex quo uulnus fit aridum, & non boni coloris, vt & corruptionis immineat periculum. Quocirca & quantitas pharmaci diligenter menſuranda. In tironum igitur gratiam aliquas formulas medicamentorum ſubiicere uolui. Pro imbecillioribus ſatis erit quod

℞. *Syr. ſolut. vnc. iij.*
Rhabarbari electi, ſ. p. drach. i.
Miſce & cum decoctione cichorij f. potus.

Vel ſi patiens fuerit pituitoſus.

℞. *Mel. roſ. ſolut. vnc. iij.*
Rhabarbari electi s. p. ſcr. i.
Agarici trochiſcati ſcr. ii.
Miſce, & cum decocto cichorii, & borraginis q. ſ. f. potus.

Si verò melancholicus.

℞. *Mel roſas. ſol. vnc. ii.*
Rhabarbari electi ſ. p. ſcr. i.
Diacathol.
Confect. Hamech ſine ſcammonio, & colocyntide ana drach. ii. s.
Miſce, & cum decoctione f. & f. q. ſ. f. potus

Si patiens fuerit robuſtior præſcribi poterit tale pharmacum

℞. *Syrup. roſ. ſol. vnc. iii.*
Rhabarbari electi ſ. p. ſcr. ii.
Elect. de ſucco roſarum drach ii.
Miſce, & cum decoctione cichorii, & tamarindorum f. potus.

Loco electuarii de ſucco roſarum ponatur diaphœnicon, ſi fuerit pituitoſus, & ſi melancholicus, confectio Hamech. ſi adhuc robuſtior, & valde cacochymus, poterunt accipi tres drachmæ dictorum electuariorum, vel etiam addi ſcrupulus agarici trociſcati, aut exhibebun-

tur pilulæ cochiæ, vel aureæ, aut ſine quibus, quibus valeuiores ſunt aggregatiuæ. Vbi verò febres malignæ vagantur, ſemper pharmacis permiſceatur ſemiuncia tripheræ perſicæ, auferendo aliquid de reliquis. Si dolor capitis cæperit, & patiens fuerit minus robuſtus, ex drachma vna pilularum cochiarum, vel aurearum, ſi magis bilioſus fuerit, formentur pilulæ tres, aut quinque cum ſyr. viol. & ſuperbibatur decocto cichorii, & endiuiæ, atque oxalidis, in robuſtioribus aſcendere poterimus vſque ad drach. 1. s. ſi opus erit, vt relinquatur maior adſtrictio poſt euacuationem, mirobalani citrini contuſi, dein oleo amygd. dul. perunčti decoctioni addi poterunt.

Tempus exhibendi pharmaci. Exhibenda autem ſunt pharmaca, veluti in 1. lib. oſtenſum eſt, dum periculum imminet fluxionis, & idcirco ante ſeptimam exhibendum eſt pharmacum, quia ipſa eſt primus terminus inflammationis, & quoniam decima quarta & ipſa eſt eiuſdem communis terminus, idcirco & ante ipſam iterum purgandum. Conſueui ego poſt venæ ſectionem, quæ vt vniuerſalius remedium præcedere debet, die ſubſequenti exhibere pharmacum, & quinta pariter, aut ſexta. Dein ſi adhuc videro periculum inflammationis ſubeſſe, tranſacta decima iterum pharmacum exhibeo. Tempus verò particulare, & reliqua ſpectantia ad rectum vſum purgantis pharmaci explicata ſunt in vniuerſalibus. Aduertendum etiam, ne exhibitione pharmaci vomitus contingat, quoniam maximè ſolet caput replere, idcirco intelligendum ab ægroto, num aliqua ſint, quæ ipſi vomitum proritent, ab eiſque penitus abſtinendum.

CAPUT LIX.

De reliquis reuulſionum generibus.

SVnt & alii reuulſionum modi, quorum vſus maximè opportunus eſt in capitis vulneribus, cuiuſmodi ſunt fri-

frictiones aſperæ, ligaturæ ad extrema, cucurbitulæ, tum ſcarificatæ, tum ſine ſcarificatione, clyſteres, glandes, ſinapiſmi, veſicantia, hirudines; lotiones extremorum ex aqua calente, inuſtiones plantæ pedum, & huiuſmodi. Frictionibus quotidie vti poſſumus, præſertim ad extrema, ſi tamen vulnus fuerit magnum. Ligaturis vtimur potiſſimum, quando iam materia incipit ad caput repere, & præſertim in ſomnolentis affectibus, ſicuti & frictionibus plantæ pedum fortibus ex aceto, & ſale. Cucurbitulis ſcarificatis quandoque vtimur loco venæ ſectionis, quandoque etiam vbi venam ſecamus, ſed volumus iterum ſanguinem mittere citra virium iacturam, & ita reuulſionem facere. Cucurbitulis non ſcarificatis vti vel quotidie poſſumus, ſi valde timeamus inflammationem. Clyſteres quotidie, vel alternis diebus ſunt immittendi ex decocto hordei, blitæ, maluarum, violariæ, mercurialis, & huiuſmodi, vel iure, addendo mel roſ. ſol. vel, ſi validiorem voluerimus, mel. roſ. ſol. vel florem caſſiæ, aut, ſi nonnihil acrem, diaphœnicon, vel electuarium de ſucco roſarum, & oleum commune, vel, ſi febris adfuerit, oleum viol. ex his enim habebimus non ſolùm fæcum excretionem, ſed & vaporum, & humorum diſtractionem vi vacui, vel medicamentorum attrahentium, ſi apponantur, quæ tamen cauenda ſunt febre valida exiſtente, exagitant enim, & parum ducunt. Glandes imbecilliores ſunt clyſteribus, niſi acutis conficiantur, quæ, vt dixi, ſunt cauenda, ſi febris ſit vehemens. Veſicantia maximè reuellunt, ſed quoniam vigilias inducunt tutius eſt ea applicare, vt excitetur facultas, quando adeſt propenſio in ſomnum, vel lethargica affectio, idem eſt de ſinapiſmis. Lotiones extremorum in vigiliis locum habebunt. Inuſtiones, vbi affectio fuerit ſomnolenta. Hirudines applicamus hæmorrhoidibus, vbi volumus euacuando reuellere citra virium diſpendium. Denique his, aut illis reuulſoriis præſidiis vti oportebit iuxta reuulſionis neceſſitatem, & virium robur.

Frictiones. *Ligaturæ.* *Cucurbitulæ.* *Clyſteres.* *Glandes.* *Veſicantia, & ſinapiſmi.* *Lotiones.* *Hirudines.*

CAPUT LX.

De alterantibus.

NOn ſatis eſt in magno inflammationis periculo propenſionem ad contrariam partem humoribus præbere, ſed, vt in vniuerſalibus dictum eſt, oportet in ſuper eos ineptos reddere ad motum iis, quæ tum refrigerant, tum modicè incraſſant, atque uias adſtringentibus anguſtiores reddere; dein, vbi tempus eſt generandæ carnis, ſanguinem exſiccare, ſi ſit humidior, expedit, vt euadat conueniens materia pro carnis generatione, proptereà in capitis uulneribus hæc eàdem ſunt animaduertenda: ex alterantibus tamen eligenda ſunt potiſſimum, quæ caput reſpiciunt, vt ſunt roſæ, violæ, & quæ ex ipſis præparantur medicamenta alterantia, vt aquæ ſtillatitiæ, ſyrupi, & huiuſmodi, quæ tamen cum aliis refrigerantibus erunt permiſcenda, potiſſimum cum cichoraceis, addetur quoque betonica, vt ſit tanquam uehiculum. Itaque ex ſyrupo roſaceo recente, uiolaceo de endiuia, de acetoſa, de cichorio, & huiuſmodi dilutis cum decoctione cichorii, endiuiæ, cicerbitæ, acetoſæ, boraginis, betonicæ, &c. uel eorum ſtillatitiis aquis, ſicuti & aqua roſac, & uiol. parari poterunt potiones quotidie poſt pharmacum exhibendæ, donec tempus inflammationis prætereat. Quod ſi poſteà opus fuerit, vt exſiccetur ſanguis, poterit parari potio ex decoctione betonicæ, piloſellæ, plantaginis, roſarum, equiſeti, & huiuſmodi, ſicuti aliàs dictum eſt.

CAPUT LXI.

De oculorum, & palpebrarum vulneribus.

OCulorum vulnera ad ſenſum ſatis patent, nullaque ſunt ſpernenda, ſiquidem propter partis nobilitatem, &

& ſtructuram, & ſenſum exquiſitum, quæ in aliis partibus ob paruitatem ſpernerentur, in ipſis magna ſunt, facilè enim concitantur fluxiones, inflammationeſque fiunt, & dolores acerbiſſimi, & quandoque affectio cerebro communicatur propter neruos opticos à cerebri ſubſtantia, & oculorum tunicas à cerebri membranis ortum ducentes, vnde & ipſum inflammatur, delirantque & ſæpè conuelluntur, id verò præcipuè contingit, ſi vulnus ad neruum opticum peruenerit. Omitto cæcitatis periculum ex quouis licet exiguo vulnere imminens non ſolùm propter fluxionem ſuperuenientem, uerùm & propter humorum effuſionem ab exiguo etiam uulnere contingentem: quod malum licet in pueris quandoque corrigatur, regeneratis humoribus, vt teſtatur Gal. & ego experientia comperi, in adultioribus tamen eſt prorſus inemendabile.

Alterum oculis imminet periculum ex collectione puris, eo quod ab eo inficiantur humores & erodantur tunicæ, itaque talia vulnera ita tractanda erunt, vt omni ſtudio fluxioni occurratur & quam primum agglutinentur citra puris generationem, ſi fieri poſſit: quod ſi id obtineri nequeat, quia laceratæ ſint tunicæ, & contuſus oculus, id profecto agendum erit, vt naturalis calor roboretur, quo id, quod contuſum eſt, atque ſeparari oportet, facilius, & citius putrefiat, & ſeparetur, vt ſeruetur indiuiduum, poſteaquam oculus ſeruari nequit. Fluxionibus porro occurremus, ſi, vt in vniuerſalibus dictum eſt, reuulſiones idoneæ fiant, atque euacuationes, parſque citra dolorem tractetur, & ab omnibus præcaueamus, quæ fluxionem concitare poſſunt. *Scopi.*

Itaque inſtituatur conueniens victus ratio, & talis profecto, qualis in uulneribus capitis propoſita eſt, ſi oculi uulnus fuerit magnum: vacuenturque, atque reuellantur ſucci à capite & venæ ſectione, & purgationibus, & aliis reuellentibus auxiliis, prout in capitis vulneribus di- *Victus.* *Euacuantia, & reuellentia.*

ctum eſt. Pariterque alterantia exhibeantur, vt caſtigati ſucci deinceps minus idonei ſint ad motum.

De extractione peregrinor. corpuſculorum.

Ad partem verò affectam accedentes, diligenter inſpicere oportebit, num portio teli, & omnino peregrinum aliquod corpuſculum intra oculi ſubſtantiam contineatur, idque ſi adſit, quàm primum extrahendum, modò id citra violentiam fieri poſſit, nam intus permanens & doloris, & fluxionis, & putredinis eſſet in cauſa. Attamen ſi citra vim extrahi nequeat, non eſt vis inferenda propter metum inflammationis, ſed naturæ opus relinquendum. Facilior reddetur extractio, ſi quopiam idoneo inſtrumento palpebræ à miniſtro diductæ contineantur, & oculus immotus ſeruetur, tunc enim non erit difficile volſellis, quod infixum eſt, apprehendere, atque extrahere. Peregrinis corporibus, ſi fieri poſſit, eductis, curandum, vt quàm primum vulnus agglutinetur, verùm, quoniam pars exquiſitiſſimi eſt ſenſus, tractanda erit cum medicamentis minime mordacibus, immò iis, quæ ex ſui natura oculis conducant, & vim etiam habeant dolorem leniendi, ſi adfuerit, & ideo optimum erit tale vnguentum, quod

Medicamenta omnis mordacitatis debent eſſe expertia.

℞. *Lachrymæ abietinæ curioſe lotæ cum aqua roſ. & plantag. vnc. ij.*
Gummi Arabici.
Tragacanthi ana vnc. s.
Sief albi ſine opio.
Tutiæ præparatæ ana drach. s.
Lachrymæ ſang. draconis ſcr. i.

Miſce, pro linimento quod ſupra linteum extendatur, & oculo applicetur.

Si verò dolor vrgebit, addetur oleum ex vitellis ouorum: ſicuti ſi dubitaremus aliquod corpuſculum relictum fuiſſe, aliquot ormini grana addi poſſent, quæ vim habere creduntur oculum repurgandi ab omnibus extraneis. Et hoc linteum per quatuor dies non remoueatur, niſi dolor

dolor vrgeat, nam ſæpe intra hoc temporis ſpatium agglutinantur. Optimum etiam medicamentum eſt oui albumen ſubactum, & in mortario plumbeo diutiùs agitarum cum aqua roſ. & plantaginis addito ſief albo ſine opio, gummi Arabico, tragacantha, ſarcocolla, mucilagine ſem. pſylii, cidoniorum, portulacæ, plantaginis, ſumach, & huiuſmodi. Sed quoniam exſiccatur, inſtillanda erunt aſſiduò medicamenta, vt lintea ſint ſemper madida. Circa vulneratum autem oculum, & toti fronti aſſiduò repellentia erunt adhibenda, quæ parari poterunt ex aqua roſ. & plantaginis, bolo Arm. lachryma ſang. drac. albuminibus ouorum ſubactis, ſuccis plantaginis,

Quod ſi his peractis dolor nihilominus, & inflammatio acceſſerint, neceſſarium erit ipſi oculo applicare quæ & repellant primo, atque dolorem mitigent, deinde etiam, quæ modice detergant, itaque collyrium ex aqua roſ. & albuminibus ouorum recentium ſimul ſubagitatis, additaque portiuncula ſief albi ſine opio erit valde ex vſu. Aliud parari poterit ex lacte mulieris, aqua roſ. gummi Arab. & tragacantha, quæ frequenter in oculum inſtillentur, ita tamen, ne ſemper oculum detegamus, ſed ſupra poſito linteolo candido, & tenuiſſimo dicto collyrio imbuto, frequenter poſtea ſuper illud linteum inſtillentur collyria. Optimum eſt, & maximè dolorem ſedat, ſi oculo apponatur linteum oleo vitellorum ouorum imbutum, cui etiam addetur cum fructu portiuncula aquæ roſ. Cateplaſma quoque his non conferentibus, applicari poterit ex pomis ſub cineribus coctis abiectis recrementis, & aqua roſ. farina hordeacea, ſief albo ſine opio, ouorum vitellis, & huiuſmodi.

Quid agendum, ſi inflammatio ſuperuenerit.

Anodynum.

Quod ſi doloris immanitas coegerit ad narcotica confugere, leuiora eligantur, fortia enim omnino ſunt ablegenda, vt quæ non ſolùm cæcitatem inducant, verùm etiam gangrænas, & mortificationes quandoque inferant, non ergo tranſcendantur folia hyoſciami & ſolatri, ſief album cum opio, cremor ſem. papaueris albi, & huiuſmodi.

De narcoticis.

Con-

Confici ergo poterit collyrium ex aqua roſarum, & ſolatri cum ſief albo cum opio, vel cataplaſma ex pulpa pomorum ſub cineribus coctorum cum foliis hyoſciami ſub cineribus coctis, nec non & aqua ſolatri, vel cremore ſem. papaueris albi. Poterit etiam panis lotus lacte incoqui, & ex eo, atque cremore ſem. papaueris albi parari cataplaſma. Demum varia ex dictis quilibet ſibi poterit fingere.

Digerentia. Compreſſo inflammationis feruore cum repellentibus permiſcenda erunt digerentia, & ideo in aqua roſ. & plantaginis incoquentur folio arida roſarum, flores camæmeli, melliloti, nuces cupreſſi, anethum, & ex hac decoct. calida fotus parabitur. Cum fortius erit diſcutiendum, addetur ruta, foeniculus, eufragia, foenugræcum, & huiuſmodi. Hæc eadem incoqui poterunt aqua eufragiæ, & foeniculi, & vino: quod ſi ſedata inflammatione, remanſerit aliqua craſſior materia in oculo, inſtillanda erunt collyria, quibus vis inſit digerendi, & attenuandi, & diſcutiendi cum aliqua mollificatione, cuiuſmodi eſt, quod paratur ex aqua eufragiæ, fœniculi, chelidoniæ, mucilagine ſem. fœnugræci, ſaccharo, tutia præparata, aloe lota diligenter cum aqua roſ. ſief de thure, & huiuſmodi, quæ longum eſſet recenſere, ſed ea libentius prætermitto, quia non ſunt præſentis loci.

De vulnere contuſo. Si verò vulnus ex iis ſit, quæ agglutinari nequeunt, ab adſtringentibus cauere oportebit, ſed iis vtendum, quæ calorem foueant, vt melius ſuppurationem, ac ſeparationem moliatur, & alia opera, quæ in vulneribus requiruntur, ita tamen, vt ab acribus, & mordacibus abſtineamus, cuiuſmodi etiam ſunt oleoſa omnia ipſis oculis. Itaque ſat erit terebinthinam diligenter aqua roſ. elotam admouere, & tectum ſeruare vulnus, quandiu id fieri liceat, cique ſi dolor adſit, permiſcebitur oleum vitellorum ouorum, & alia, quæ ſupra diximus. Circa oculum autem ſimiliter repellentia erunt applicanda; atque ſi inflammatio ſuperuenerit, tractanda res erit, vt ſupra dictum eſt.

Vnum

Vnum prætermittendum non eſt in oculorum vulneribus, videlicet quod nonnunquam in adnata tunica fit ſupercreſcentia carnis, in qua conterenda cautè procedendum propter exquiſitum membri ſenſum, idcirco quæ minimum mordicant, erunt vſurpanda, cuiuſmodi eſt puluis oſſis ſepiæ, & teſtæ oui calcinatæ, calcanthum vſtum, & lotum: & cum iis vtimur, ſemper circumcirca repercutientia apponantur. *De carne ſupercreſcente in adnata à tunica.*

Victu vtantur tenui, quamdiu adeſt inflammationis periculum, deinde alantur ouis ſorbilibus, & bonis carnibus, atque uino etiam. Superfluum ſomnum uitent, & decumbant capite eleuato. In quiete oculum contineant, quantùm fieri poteſt, & quoniam vno oculo moto, alter ex conſequenti mouetur propter connexionem illam mutuam partium, ex quibus conſtant, & actionis uniformitate, idcircò etiamſi unus tantum ſit uulneratus, uterque tamen conuenienti deligatione uinciendus obducta palpebra eius, qui ſanus eſt, ut neuter moueri poſſit. Puluis, & fumus omnis arcendus, tanquam oculis etiam ſanis obacres, & fuliginoſos halitus in ipſo contentos inimicus, & doloris cauſa, atque fluxionis. Res quoque vaporoſæ oculos ferientes, ut cæpæ, & huiuſmodi procul arcendæ. Occaſiones quoque lachrymarum ſunt euitandæ, ex lachrymis enim humectantur primo oculi, & calefiunt, dein exſiccantur: ſed & fluxionem concitant, & oculum agitant. Aluus ſit lubrica natura, uel arte, ſtipticitas enim eſt in cauſa, ut uapores cerebrum adeant. *De ratione victus.*

Palpebrarum uulnera nihil peculiare habent à reliquis partium carnoſarum uulneribus, niſi ſuendi modum, qui communiter fit acu triangulari. Ego tamen, & acu communi eleganter conſui talia uulnera, etiam ſi lacerata eſſet multis modis palpebra, & multa, & crebra puncta fuerint neceſſaria. Vbi uerò diſſectio, aut laceratio ſit in cauo, facilius perficitur opus triangulari acu, uel ſaltem in extremo recuruo. Quando ſectio eſt recta, ceratum no- *De palpebrarum vulneribus.*

ſtrum locum ſubit ſuturæ, de quo diximus, cum de qualitate ſuendi pertractauimus.

CAPUT LXII.

De vulneribus genarum.

VVlnera genarum periculo uacant, niſi læſus fuerit temporalis muſculus, qui ſub os iugale tranſit, ex eius enim læſione ea imminent pericula, quæ in capitis uulneribus cum huius muſculi læſione propter uaſa, & multos inſignes neruos per eius ſubſtantiam diſperſos, eorumque cum principio affinitatem. Non eſt igitur mirum, ſi quandoque immoderatæ ſanguinis profuſiones, & conuulſio, & mors ſequatur ad genarum uulnera, & ideò diligenter animaduertere oportet, ne ſectus, aut aliter vulneratus ſit hic muſculus, dum offertur aliquod vulnus in facie, aut non. Quando enim læſio ad eum non peruenerit, prædici poterit futura ſalus, periculo autem res plena, vbi is fuerit oblæſus.

Conſuenda genarum vulnera. Si citra læſionem huius muſculi vulnus acciderit, atque à telo ſecante, vel etiam perforante, aut lacerante, modò ſubſtantia cutis non deficiat, quoniam in hac parte maxima habenda eſt decoris ratio, adducenda labia ad mutuum contactum, neque orificium in inferiori parte, vt multi faciunt ad expurgationem puris, relinquendum, ſiquidem vulnus, ſi fieri poſſit, per agglutinationem, non per carnis regenerationem curandum. Quòd ſi qua de cauſa non poſſit impediri puris generatio, ſi vulnus ſit profundum, antequam labia adducam, ſectionem facio in vulneris profundo, quæ ad oris cauitatem penetret, vt per eam pus expurgetur, dein labia vulneris penitus adduco. Si verò magis ſuperficiale ſit uulnus, uel patiens ſectionem renuat, addućantur labia, & aliquot interſtitium inter ipſa

ipſa relinquatur ad puris expurgationem, & vulneratus patienter ſuſtineat fœdam cicatricem, quamuis neque fœda euadat, ſi noſtro modo curentur vulnera, ſpontè ſiquidem ſibi inuicem redduntur propinqua labia., imo abſque ſutura quandoque vulnera curaui, decoraque euaſit cicatrix, & hoc eſt peculiare huic modo. Adducentur autem labia ad mutuum contactum ſutura, ſi uulnus fuerit profundum, & patiens ſectionem renuerit, ne in profundo relinquatur cauitas, in qua pus colligatur, deſuperque apponatur medicamentum, quod naturam adiuuet ad agglutinationem, cuiuſmodi eſt terebinthina lachryma cum maſtiche, lachryma ſang. drac. & huiuſmodi, uel arte facto balſamo, quod optimum eſt, uel oleo noſtro hyperici, aut alio ex iis, quæ primo libro fuere propoſita, aut apponatur ceratum noſtrum agglutinans. Tertia tamen die ſoluendum eſt uulnus, ut incidantur puncta. Hæc enim ante quartam auferenda ſunt, ne turpior reddatur cicatrix: quamuis ſit, ut oportet facta fuerit adductio, & reliqua fuerint opportunè adminiſtrata, hoc tempore uulneris labia coaleſcant, & nihil aliud remanet, niſi ut aliquid apponatur, quod partem adhuc debilem, & gluten non adhuc perfectum ab iniuriis externis defendat, cuiuſmodi eſt lachryma abietina, & ceratum noſtrum agglutinans. Quo cerato etiam vtimur, ſi imperfecta fuerit agglutinatio, ad labia adducta conſeruanda eo modo, quem ſuperius explicauimus, dum modum adducendi labia pertractaremus.

Ante quartam auferenda ſunt puncta.

Vbi uulnus non eſt ita profundum, neque periculum imminet collectionis puris in fundo, uel profundum quidem, ſed uulneratus ſectionem admittit, uel diſſecta eſt gena ex telo uſque ad oris cauitatem, libenter ſuturam fugio, ſed labia adduco cerati ope, ut in uniuerſalibus dictum eſt; minus moleſtiæ enim id eſt uulneratis, tutiuſque, ac citius agglutinantur uulnera, vt non raro obſeruauerim vnius diei ſpatio, vel ad ſummum bidui fuiſſe agglutinata, & pulchra efficitur cicatrix. Et ſi tota gena

fuerit diſſecta, quoniam ab interna parte tegumentum apponere haud poſſumus, & continua humiditate os ſcatet, optimum erit medicamentum, quod palato arrideat, vulneri per os admoueri, quo puris eypurgatio adiuuetur, cuiuſmodi eſt mel roſatum, ſyr. roſ. recens, diamoron, & huiuſmodi, in quibus intingatur penna, & per os labiis vulneris ſæpius in die admoueatur donec expurgatum ſit vulnus. Dein ſi exſiccantibus opus fuerit, colluciones fient ex vino in quo etiam incoquentur aliqua exſiccantia non ingrati ſaporis, vt plantago, equiſetum, rad conſolidæ, biſtortæ, tormentillæ, & huiuſmodi, & illitiones ex ſyrupo de roſis ſiccis. Si qua de cauſa adduci penitus labia nequeant ad mutuum contactum, appoſito medicamento, cuiuſmodi eſt terebinthina, & abietina lachryma, & idoneo tegumento, factaque decenti ligatura, non ſoluatur vulnus vſque ad ſeptimam; intra hoc tempus enim ſanus fit.

De vulnere temporalis muſculi.

At, ſi temporalis muſculus fuerit læſus, quoniam neceſſariò vulnus eſt profundum, neque muſculus ſui poteſt, & os inciſum eſt, & ideò neque impediri poteſt aliqua puris generatio, fiat imperfecta adductio, appoſito labiis vulneris aliquo medicamento idoneo vulneribus neruoſarum partium, cuiuſmodi eſt terebinthina cum portiuncula balſami arte facti, vel hyperici olei, vel aquæ ardentis, aut balſami: extrinſecuſque linteo terebinthina, vel alio eiuſmodi medicamento illito ad oras vulneris & idoneo ſuper id tegumento, quo maximè prohibeatur aeris ingreſſus, tam ſecundùm corpus, quam ſecundum qualitatem. Tectum ſeruetur vulnus vſque ad decimam quartam, vel vlterius etiam, prout opportunum viſum fuerit. Denique ea ratione procedatur in tecto ſeruando vulnere, quæ in vniuerſalibus explicata eſt.

Reuellentia.

Reuellentia verò præſidia pro vulneris magnitudine adminiſtrentur, vnde neque venæ ſectio, neque purgatio omittenda, ſi magnum fuerit vulnus, eoque magis, ſi corpus fuerit plethoricum, & cacochymum. Verùm ſi ad-

adfuerit læſio temporalis muſculi, non minora reuellentia conueniunt, quam in capitis vulneribus. Tantò magis autem reuellentibus inſiſtere oportebit, quantò minùs repellentibus propter partis formationem datur locus. Ideò non ineptè faciunt, qui ad agglutinandum vtuntur oui albumine ſubacto, additis pulueribus boli Arm. or. lachrymæ ſang. drac. terræ ſigillatæ, & huiuſmodi, namque & huic medicamento vis ineſt repellendi.

In muſculi temporalis læſione ſeruetur ea victus ratio, quæ in vulneribus grauioribus capitis præſcripta eſt. In reliquis, ſi minora fuerint, concedi etiam a principio poſſent oua recentia, imò & carnes vitulinæ, hædinæ, & pullorum, atque auium paruarum, niſi quieſcendum eſſet à maſticatione, præter fercula ex pane, hordeo, farre, oriza, & huiuſmodi, nec non, & oligophorum vinum. In maioribus abſtineant à vino, & tenui vtantur victu per quatuor dies, vt inflammatio prohibeatur. Denique metienda eſt ratio victus, prout in vniuerſalibus dictum eſt. Et quoniam partes vulneratæ in quiete ſunt continendæ, idcircò & à locutione, & à maſticatione etiam mediocri caueant, ſi vulnera fuerint magna, ſi verò parua, vel mediocria, mediocris maſticatio concedi poterit, & ideò quando eos abſtinere omninò oportet à maſticatione, neque adeò tenuis victus ſeruandus eſt. Oua ſorbilia exhiberi poterunt, vel vitelli ouorum iure ſubacti, aut pulli vel vituli lactentis contuſum, aut fercula ex pane tenuiſſimè trito, & iure parata, addito etiam oui vitello. Si quid aliud neceſſum fuerit in horum vulnerum curatione, ex iis, quæ in vniuerſalibus tradita ſunt, haberi poterit. *Victus ratio.*

CAPUT LXIII.

De narium vulneribus.

AD narium vulnera quandoque accedit fractura oſſis, vel depreſſio. Nulla tamen periculoſa cenſenda ſunt, ſed decoris maxime habenda eſt ratio. Si abſciſſa penitus fuerit pars narium, non datur via reſtituendi decoris, niſi vel per inſitionem, accepta portione cutis in anteriori parte cubiti exiſtentis, & in locum deperditæ ſubſtantiæ repoſita, vt figuram narium æmuletur, vel per factitium naſum. Tale autem vulnus erit curandum, vt cætera vulnera cum defectu ſubſtantiæ. Si verò nihil de ſubſtantia naſi defuerit, labia ad mutuum contactum diligenter ſunt adducenda, ne fiat deformis cicatrix, & peruertatur naſi figura, & ideò vſus cerati noſtri erit maximè congruus. Quod ſi quis vti acu voluerit, ſi ſolutio fuerit propè partem, in qua faciei inſeritur naſus, acus eligatur curua, ſeu triangularis. Si adfuerit oſſis fractura, & depreſſio, ad ſuum locum depreſſæ, & fractæ oſſis partes erunt adducendæ, reducentur autem, ſi immiſſa intra nares ſpatulæ cauda, oſſa, depreſſa attollantur, vel paruo baculo, vel re alia ſimili, goſſipio, ſtupis, aut linteo inuoluto oſſa attollantur. Vt verò in ſua ſede reſtituta maneant, tubuli argentei non exactè rotundi, ſed aliqualiter lati, & leuiter depreſſi in nares immittendi: Sed ne decidant, extrema filo vinciantur, & nocturno pileolo adnectantur; quod vero ad reliqua, eadem curatio competit, quæ in aliis vulneribus.

Quid agendum, ſi fractum ſimul ſit os naſi.

Illud tamen animaduertendum, ne faſcia naſus deprimatur, aut in alterum latus intorqueatur, quo omnis deformitas caueatur. Ideoque, vt monet Gal. lib. de faſciis cap. 41. duplici faſcia fieri debet deligatio, prima quarum lata eſſe debet, quantum ſatis eſt, vt naſum complectatur, longa verò, vt ab imo naſo ad occipitium dupli-

Deligandi ratio.

duplicata feratur, cuius initium in occipite miniſtro tradatur, & per verticem alterum caput per media ſupercilia ad naſum feratur, & quod totum labium ſuperius excedit, per medium ſcindatur vſque ad ipſum ſuperius labium, inde altera faſcia arctior ſub imo naſo ſupra hanc ponatur, ita, vt vtrumque caput hinc inde per aurium regionem ad occiput ducatur, miniſtroque ſeorſim tradantur hæc capita, quaſi velles hac faſcia priorem firmare, & adiungere ſuperiori labio. Inde portiones reſciſſæ prioris faſciæ ſurſum attollantur, ita vt, quæ eſt à parte dextra verſus ſiniſtram ducatur, & quæ à ſiniſtra ad dextram, retrorſumque ducendæ per verticem ad occiput, ita, vt in modum X ſe ſecent inter ſupercilia. Hæ duæ portiones cum initio eiuſdem latæ faſciæ iungantur, & ſuper eas faſciæ tranſuerſalis ducantur capita miniſtro ſeorſim tradita, quæ circa frontem agantur, ibique vel nectantur, vel conſuantur. Sed nullum omninò periculum ſuberit, ne deprimatur, vel obtorqueatur naſus, ſi paretur forma naſi, ſeu tubuli duo ex argento, vel ære, aut plumbo, & appoſito medicamento naribus adaptetur, dein faſcia deligetur.

CAPUT LXIV.

De linguæ vulneribus.

LInguæ vulnera ſunt cum diſſectione totali ſubſtantiæ ipſius linguæ, vel citra ſubſtantiæ ipſius deperditionem; atque vel à telo ſecante, aut dentibus lacerata eſt lingua, ſeu diſſecta, vel telo perforante, aut alio corpore violenter impulſo transfoſſa. Vbi diſſectio contigerit, adducenda ſunt labia, ſed nulla alia datur via ad ea adducenda, atque adducta conſeruanda, quam per ſuturam, & hoc propter naturam, ſitumque partis, & continuam humiditatem: Sed quoniam propter ſaliualem humiditatem lubrica eſt, & à manibus effugit, linteo à

ſoler-

ſolerti miniſtro arcte continenda, ne elabatur, interimque acu, vt decet, conſuatur, & iniectis nodis filum iuxta nodum ſecetur, nam ſi longius relinquatur, inter mandendum in dentium interſtitiis implicaretur, & lacerarentur puncta.

Adductis labiis, quoniam natura, & ſitus partis, atque humiditas ſalitualis impedimento ſunt, ne partem, vt oportet, tegamus, ſatis erit, ſi patiens ore contineat agglutinantia, quæ tamen guſtus non abhorreat, cuiuſmodi eſt ſyr. de roſis ſiccis, de cidoniis, myrthinus, ſaccharum roſ. loch de radicibus ſymphiti ore contenta, & verſata, & vino etiam calente, in quo roſæ efferbuerint vel vino granatorum, vel cidoniorum vino frequenter os colluatur. Diatragacantha cum bolo erit opportuna; ſi ore continue verſetur.

Medicamenta opportuna.

Si verò vulnus à re pungente inflictum fuerit, aut aliter transfoſſa fuerit lingua, nec labia diſſideant, vel abſciſſa fuerit aliqua linguæ portio, ſatis erit vſus mellis roſ. vel roſ. ſacchari ore contenti, & parti vulneratæ admoti, quantum fieri poteſt. Vbi agglutinare voluerimus, cauendum erit à cibis vnctuoſis, vel poſt eorum vſum colluatur os vino. Caueant autem in omni vulnere à locutione, & maſtificatione forti, vt lingua quieſcat.

CAPUT LXV.

De vulneribus ceruicis, & iuguli.

VVlnera maximi momenti in ceruice, & iugulo contingunt, partes enim nobiles, & ad vitam neceſſariæ vel ſaltem ad actiones maximi momenti in ipſis continentur, vtpote trachæa arteria, œſophagus, uenæ iugulares internæ, & externæ, carotides arteriæ, & arteriæ aliæ inſignes, neruus recurrens, vertebræ, ſpinalis medulla, ligamenta, tendines, & nerui, &c. Quo fit, vt alia ex his vulneribus ſint inſanabilia,

Præſagia.

bilia, alia difficulter ſanentur, & cum maximo vitæ periculo & ex iis etiam, quæ ad ſanitatem perducuntur, alia fandi potentiam demant, vel perpetuo lædant, alia perpetuam parti oblæſionem afferant, motum ipſius vitiantia, prout vna, vel plures ex dictis partibus, & magis, vel minus fuerint oblæſæ, licet, quæ citra læſionem ſunt dictarum partium, ſed in cute, & carne tantum, nullum afferant periculum, idcirco, vt certum fieri poſſit indicium in hiſce vulneribus, animaduertendum eſt, quæ partes ſint oblæſæ, & quantam læſionem habeant; nam ſi ligamentum incidatur, in poſterum læſus erit ceruicis motus, eò quòd ligamenta vt exanguia non conglutinantur, ſi ſpinalis medulla fuerit vulnerata, non leuiora ſunt hæc vulnera iis, quæ in cerebro fiunt, qua ratione dicebat Hip. lib. de Coac. prænot. num. 3. Moriuntur maximè ex vulneribus, ſi quis cerebrum ſauciatus fuerit, aut ſpinalem medullam. Et Celſus lib. 5. cap. 26. Seruari non poteſt, cui in ſpina medulla percuſſa eſt, intenſa enim eſt valde dignitatis vehementia, cum initium neruorum lædatur, & intenſior adhuc imminet propter cerebri propinquitatem, & conſenſum, ideoque & vehementia facultatis imminet. Accidit etiam ex vulneribus ſpinalis medullæ reſolutio incurabilis, at ſi nerui fuerint oblæſi, non autem ſpinalis medulla, non adeo periclitatur laborans, ſed tamen & illa vulnera valde timenda ſunt, quoniam in conſenſum trahitur cerebrum, hinc deliria, & conuulſiones, & ideo dicebat Gal 4. Meth. 6. Vbi tendines, nerui, &c, hic dolores, vigiliarum, conuulſionis, & delirii periculum inſtat: præterquam quod & pars reſoluitur, quando perueniens ad eam neruus ſecatur.

Præſagia vulnerum trachææ arteriæ.

Si trachæa arteria vulneretur, quoniam exanguis eſt, & in continuo motu ob reſpirationem, & deglutionem vulnere magno exiſtente ſecundum eſſentiam, lethale eſt, & eo magis, cum id contingere vix poſſit, niſi ingens ſanguinis profuſio accedat. Illud non leuiter auget peri-

culum, quod ſi forte ſuperueniat inflammatio, facile obſtrui poteſt, ſeu conſtipari trachæa arteria, intercipique reſpiratio, quod tamen paruum eſt, curationem recipit: ſimiliter ſi œſophagus penitus ſit reſciſſus, lethale omnino eſt vulnus, namque aufertur deglutiendi potentia, neque vniri poteſt, quoniam vtraque pars, & potiſſimum quæ ventriculum reſpicit ad intima ſe recipit, ſi inſignis etiam ſanguinis profuſio accedit. Quod ſi penitus non fuerit diſſectus, ſed tamen magnum ſit vulnus, etiam periculoſum eſt, & difficulter ſanatur, quando ob deglutionem in continuo eſt motu, & ſi ſuperueniat inflammatio valde timendum eſt, nam deglutio tollitur, paruum tamen curari poteſt.

De vulneribus œſophagi.

De vulneribus venarum iugularium.

Si iugulares venæ fuerint vulneratæ, in maximo periculo conſtitutus eſt æger propter nimiam ſanguinis profuſionem, cui ſuccurri non poteſt earum conſtrictione, eo quod iugulum adſtringi non patiatur citra periculum ſtrangulatus, & ſuffocationis, quod ſi non conſtringatur, immedicabile profluuium plerumque ſequitur, eadem ratio eſt de carotidum arteriarum vulneribus, & ideo, ſi talia vulnera fuerint magna, mors eſt prædicenda.

De abſciſsione recurrentis nerui.

Si neruus recurrens altera ex parte præſecetur vox erit in poſterum rauca, ſi vtraque ex parte, omnino priuabitur loquendi facultate. Spinalis medullæ vulnera ex ſitu, & profunditate vulneris cognoſcuntur, & ex vertebrarum oſſium læſione, quibus addere poſſumus plurium partium reſolutionem pro qualitate vulneris. Oeſophagi vulnera ex ſitu innoteſcunt, ſed præterea & ex læſa deglutione, ex ſanguinea excreatione, & exitu eſculentorum, atque poculentorum per vulnus. Quod ſi penitus fuerit diſſectus œſophagus, omnino auferetur deglutio, Aſperæ arteriæ vulnera innoteſcunt ex ſitu, & ſanguinis per os aſſidua cum tuſſi excreatione, vocis læſione, vel etiam ablatione, exituque ſpiritus per vulnus, & aeris per idem attractionem, quæ quidem aeris attractio per vulnus erit manifeſta, ſi clauſo ore, & naribus inſpirent,

patebit

patebit enim aeris ingreſſus per ipſum vulnus. Vulneratas eſſe venas iugulares ex ingenti ſanguinis, eiuſque nigrioris profuſione cognoſcitur citra ſaltum, qui enim ex arteriis profluit, rubicundior eſt, & ſaliendo effluit. Sed ſi arteriæ carotides fuerint diſſectæ, protinus carum, aut apoplexiam inuaſiſſe credetur. Si ligamentum ſectum fuerit, motus capitis in poſterum erit oblæſus, ſed vulnus ex ſui natura periculo vacat. At ſi vulnera tendinum præter læſionem motus, quam inferunt etiam periculoſa ſunt, cum ex neruoſa conſtent ſubſtantia.

CAPUT LXVI.

De curatione vulneris ſpinalis medullæ.

SI igitur vulnerata ſit ſpinalis medulla, curandum, vt pus, quod generari debet, effluxum habeat, ne retentum putredines, dolores, inflammationeſque concitet, & prauis halitibus cerebrum inficiat. Et quoniam pauco naturali calore prædita eſt, quam maxime prohibendus eſt aeris ingreſſus, parato conuenienti tegumento, quo. & melius perficiantur opera natura, ſuppuratio videlicet, ſi quæ futura eſt, excrementorum expulſio, & tandem carnis generatio. Apponendum quoque medicamentum, quod maxime roboret calorem, vt iactura, quam expertus eſt, reſarciatur, & ipſe fælicius propria munia obire valeat.

Sed quoniam vulnus eſt maximum, & maximum imminet periculum inflammationis, idcirco & ab omnibus, quæ fluxionem concitant, cauebimus, & congruis reuellentibus agemus, & aliis præſidiis, quæ fluxionem prohibendi vim habent, prout natura partis permittit. Atque vt ab hoc poſtremo exordiar, eædem propemodum euacuationes, atque reuulſiones erunt ex vſu quas in vulneribus cerebri adhibendas diximus. Itaque ſanguinis iterata miſſio conueniet, & expurgantia *Euacuantia, & reuellentia*

 tia

tia pharmaca, atque alterantia, & alia reuulſoria præſidia.

Victus qualis. Victus quoque tenuiſſimus iniungendus, quamdiu adſit inflammationis periculum, licet autem inflammationis terminus vt plurimum, ſit ſeptimus dies in hiſce vulneribus, attamen vſque ad decimum quartum ſeruandus erit, quia à facili occaſione in hiſce vulneribus commouetur fluxio. Quod verò ad vulneratam partem attinet, ſi vulnus ſatis patens ſit, inſtillandum erit medicamentum, quod calore temperato, & partium tenuitate ſubſtant iam ſpinæ adiens eius innatum calorem roboret, & omnem ſuperfluam humiditatem abſumat, quod ſi à proprietate ſubſtantiæ id obtinuerit, vt neruis ſit amicum, id erit optimum, conſtat autem huiuſmodi medicaminibus nihil acris ineſſe, aut mordacis.

Medicamenta Oleum igitur noſtrum hyperici erit præſtantiſſimum, item terebinthina, vel abietina lachryma, addito oleo hypericino, vel arte facto balſamo, & aqua etiam ardenti, quod medicamenti genus eſt maxime conferens neruoſarum partium vulneribus, id aut actu calidum erit inſtillandum: non minus autem ex vſu fuerint alia medicamenta, quæ in vulneribus neruorum fuere propoſita. Labiis verò vulneris adhibetur ſimiliter medicamentum, quod moderato calore, & proprietate etiam ſubſtantiæ partem roboret, ſed nequaquam adſtringat, huiuſmodi erit reſina terebinthina, vel laricea, addito gummi elemi, & oleo ſimplici hyperici. Inde parabitur tegumentum idoneum parti ex duplicatis linteis, vel puluillis ex lana pro ratione temporis, faſciaque retentiua admota, imperabitur ægro, vt ſupra vulnus decumbat.

De repellentibus. Extrinſecus circa partem vulneratam adhiberi poterunt repellentia aliàs dicta, quamuis natura, & conformatio partis non admoneant, magis fidendum reuellentibus quam repercutientibus. Neceſſarium quoque fuerit totius ſpinæ robori amico aliquo lotu conſulere, vt ex oleo roſ. lumbricato, vel camæmelino lumbricato, in quo etiam

iam caſtoreum efferbuerit. Et hæ inunctiones quotidie bis, vel ter adminiſtrari poterunt. Si autem vulnus non ſit patens, antequam dicta peragantur, dilatandum erit, quantum ſit ſatis, vt poſſit expurgari ſanies, ſi natura circumſtantium partium admittat, quod ſi prohibeat, ferè deſperatus eſt caſus, attamen nec deſeratur ægrotans, niſi ſymptomata praua adfuerint, ſed continuò inſiſtendum erit in reuellentibus, extrinſecus verò applicanda, quæ tenuitate partium maximè penetrent, & calore roborent partem, atque digerant, & abſumant, ſi quid generabitur materiæ purulentæ, cuiuſmodi eſt arte factum balſamum, vel oleum commune vetus, vel roſ. in quo efferbuerit caſtoreum, ammoniacum, galbanum, hypericon, ſaluia, roſmarinus, ſtæchas, ſpica, & huiuſmodi: prohibenda eſt enim in hoc caſu ſaniei generatio, denique tractanda ſunt huiuſmodi vulnera, veluti ſi in neruis exiſterent.

CAPUT LXVII.

De curatione vulneris trachææ, arteriæ, & œſophagi, & gulæ.

SI penitus præſciſſa ſit aſpera arteria, quamuis deſperatus ſit caſus, attamen quoniam multum refert, num ægrotus loqui poſſit, ſaltem vt propria peccata confiteatur, diligenter conſuendum erit vulnus, dein tegumento idoneo tegendum ſit, vt aer inſpiratus per vulnus exitum habere nequeat, hoc enim facto, niſi magna ſanguinis profuſio ſimul adfuerit, æger breui amiſſam loquendi poteſtatem recuperabit, & res ſuas diſponere poterit. At ſi penitus non ſit exciſa, eſt aliqua agglutinationis ſpes, etiam ſi magnum ſit, ideò ſuendum erit vulnus, linteumque lachryma abietina illitum, cui portio olei de hyperico noſtri, vel balſami artificialis, aut alterius eiuſdem facultatis, & lachrymæ ſang. drac. atque *Medicamenta.*

 ſar-

ſarcocollæ fuerit permixta, extrinſecus apponetur, & tectum ſeruabitur, inflammatioque prohibebitur iis, quæ fluxionem arceant.

Ore continenda medicamenta.

Vt verò facilior ſit agglutinatio, ore continenda erunt, quæ agglutinandi vim habeant, huiuſmodi tamen ſint, quæ liquari poſſint, quò paulatim liquefacta ad aſperam arteriam ferantur; huiuſmodi eſt diatragacanthæ cum bolo, ſyr. de cidoniis, de roſis ſiccis, & loch, quibus vtimur in vlceribus pulmonis. Loch de radicibus conſolidæ optimum eſt. Gargariſmata quoque conueniunt ex decoctione in aqua chalybeata, rad. conſolidæ, tormentillæ, biſtortæ, foliorum plantaginis, equiſeti, ophiogloſſi, quinque folii, pimpinellæ, atque tragacanthæ, addendo etiam diamoron, aut ſyr. de roſis ſiccis.

De vulnere aſperæ arteriæ cum defectu ſubſtantiæ.

Si autem vulnus cum defectu ſubſtantiæ aſperæ arteriæ contigerit, quoniam nullus poteſt eſſe ſuturæ vſus, niſi Chriſtiana pietas aliter ſuaderet, facto prognoſtico eſſet diſcedendum. Huic ergo vulneri latum linteum denſo medicamento illitum applicandum eſt, ne tam linteum, quam medicamentum ad cauitatem aſperæ arteriæ, dum ſpiritum ducit, attrahatur: & ore aſſiduo verſentur, quæ vulneribus pulmonis, & trachææ arteriæ conducunt.

De vulneribus œſophagi.

Pari ratione curandum erit œſophagi vulnus, quamuis ſi penitus fuerit reſectus, nullus detur ſuturæ locus, cum diſſectæ partes in ſe ſe contrahantur, & in penitiores ſe ſe recipiant. Hic quoque paulatim deglutienda erunt idonea pharmaca, cuiuſmodi eſt electuarium, ſeu lambitiuum ex ſaccharo, vel melle, & rad. conſolidæ paratum, cui ſint addita gummi Arab. & tragacantha, & bolus Arm. or. loch confectum ex ſucco equiſeti, plantaginis, & melle, vel ſaccharo, ſyr. cidoniorum, myrtinus, de roſis ſiccis, ſaccharum roſ. vetus, addito etiam bolo, item decoctiones plantaginis, equiſeti, conſolidæ, & aliorum huiuſmodi, quæ cum agglutinandi vim habeant, non ſunt tamen guſtui ingrata, neque ventriculo inimica. Sed tamen ipſis admiſcenda, quæ craſſitiem quandam, atque

que lentorem illis tribuant, quo pertranſeundo magis adhæreat parti medicamentum. Sæpè autem parum quid harum decoctionum deglutere oportebit. Vomitus omni ratione cauendus, eo ſiquidem violenter agitatur oeſophagus. Cibaria quoque, & potiones alterandæ erunt ſimilibus medicamentis, vel ſaltem qualitatem contrariam non habeant, ſi quid hoc fieri prohibeat. *De eſculentis, & poculentis.*

Si verò gula, & fauces eſſent vulneratæ, gargariſmata conuenirent ex aqua, vel decoctione equiſeti, addito ſyr. de roſis ſiccis, vel myrthino, vel de cidoniis. Vel decoctiones parentur ex aqua hordeacea, roſis, plantagine, equiſeto, & aliis ſuperiùs propoſitis cum ſaccharo, vel melle roſ. aut alio ex dictis ſyr. Hac forma autem in hiſce vulneribus vti oportet medicamentis, & hoc modo propter partis vulneratæ figuram, & ſitum, vt dicebat Galen. 4. Meth. 7. cum enim medicamenta non conferant, niſi quatenus partem affectam tangunt, & partibus dictis non poſſint applicari intrinſecùs remedia, quæ diutiùs ipſis hæreant, idcircò excogitandus eſt modus, quo ſæpiùs ſaltem à medicamentis tangantur, hinc liquida, & liquabilia eſſe oportet, & craſſitiem, ac lentorem quendam habere, vt ſe poſſint diffundere, & ad partem peruenire, illique adhærere, & veluti concreſcere, per aliquod ſaltem temporis ſpatium, ac, ſi in trachæa arteria eſt vulnus, permittendum, vt ſenſim liquefacta deſcendant, eò quòd confertim deglutita ad oeſophagum deuenirent, ac propterea cauendum, ne largiùs deſcendant, quoniam tuſſim concitarent inimicam vulneribus aſperæ arteriæ propter motum. Si verò vulneratus fuerit oeſophagus deglutita quidem ad partem affectam feruntur, verùm ſi confertim deglutirentur, modico tempore eam tangerent, eo quod confeſtim ad ventriculum deſcendant, vnde vel nimis oneraretur ventriculus hiſce medicamentis, ſi pluries vellemus ea propinare, vel ſi ſemel, parum vtilitatis afferrent, nam momento tantùm partem affe- *De gulæ, & faucium vulneribus.*

affe-

affectam tangerent. Oportet ergo ſæpè quidem degluti-re, ſed parum pro vice.

Medicamenta non debent eſſe guſtui ingrata

In gula verò, & faucibus, ne citra neceſſitatem huiuſmodi medicamentis ventriculum oneremus, gargariſmatibus vtendum, ſed materia, qua vtuntur pro gargariſmate, non deglutitur, ſed proiicitur. Quoniam autem medicamenta hæc omnia linguam, & palatum afficiunt, minimè ingrata guſtui eſſe debent, ſed amica potiùs, ſicuti & quando deglutienda ſunt, familiaria, & quæ nullum detrimentum ventriculo, & toti afferre poſſint, eligenda. Quod & in omnibus interioribus vulneribus animaduertendum ſummopere. Idcircò hæc omnia conſiderans Galen. 4. Meth. 7. dicebat: Ex poſitu, & figura partis excogitatum ei, cui exulceratus ventriculus ſit, medicamenta eſſe bibenda, cui gula, non ſemel, nec tota ſimul aſſumenda, ſed paulatim, ac aſſiduæ, & quod craſſiora hæc, & magis lenta ſint, adhibenda. Et eodem inferiùs: Gargarizare quoque iubendum ei, qui ad fauces vlcus habet, & eodem: Ad vlcus, quod in aſpera ſit arteria, vt ſuperius, quam diutiſſime in ore teneat, ac omnes, qui illic ſunt, muſculos relaxet, remittatque, præcipiendum. Sed cauendum, ne largius influat, vtpote quod tuſſim excitabit. Et eodem: Communis omnium partium internarum indicatio eſt, vt ea eligantur, quæ ſint naturæ animalis maximè familiaria, fugiantur, reſpuanturque contraria.

Si arteriæ carotides, vel aliæ arteriæ, aut iugulares venæ fuerint vulneratæ, omni ratione occurrendum erit ſanguinis profluuio, veluti proprio capite demonſtratum eſt. Sutura maximè probatur. Cautè verò tractanda erunt hæc vulnera, nec in detergendis grumis nimis diligentes eſſe oportet, aut vulnere detegendo; & quoniam vt plurimum in talibus vulneribus præſertim quando caua ſunt, ſiſti non poteſt ſanguis abſque intromiſſione rerum ſanguinem ſiſtentium, neque hæc, vt in reliquis, ſpa-

ſpatio vigintiquatuor horarum ſunt dimouenda, ſed per quatuor, vel plures dies relinquenda, & omninò donec profluuium ſanguinis ſedatum fuerit, tunc leuiter admodum auferantur, & de cætero vulnus curetur abſque contrectatione omninò. Et in maxima quiete ſemper contineatur æger; & quod ad euacuantia, & reuellentia attinet, potius vtendum ſanguinis miſſione, quam expurgantibus pharmacis, ne eorum occaſione agitetur ſanguis, & iterùm fluat. Atque ſi neceſſarium fuerit aliquid præbere, quod aluum ſubducat, non tranſcendantur lenientium gradus cum ſtipticitate, cuiuſmodi eſt caſſia cum tamarindis, & mirobalanis. Si neruus aliquis fuerit vulneratus, quæ curatio conueniat, aliàs explicatum eſt.

Si autem vulnus fuerit ſimplex, curandum erit, vt reliqua ſimplicia, ſi cum deperditione ſubſtantiæ, vt reliqua caua. Et ideò ne inutilibus tempus conteram, huic capiti finem imponens, ad thoracis vulnera me confero.

CAPUT LXVIII.

De vulneribus thoracis.

THoracis vulnera alia cauitatem ipſius penetrant, alia verò ad eam non pertingunt. Si penetrent, aut vnà vulnerata eſt quæpiam ex contentis partibus, aut ſunt citra contentarum partium læſionem, prætereà vel effuſus ſanguis multus, aut paucus intra capacitatem continetur, aut nihil, vel minimum ipſius ad eam illapſum eſt. Quæ continentur partes ſunt cor cum ſuo inuolucro, quod pericardium appellant, pulmones, mediaſtinum, diaphragma, œſophagus, & tracheæ arteriæ portio, quibus addere licet venam cauam, arteriam magnam, & ſpinalem medullam in poſtica parte exiſtentem?

Signa penetrantis vulneris.

Quandoque igitur vna, vel plures ex his partibus ſunt vulneratæ, & modò leuiter, modò grauius: Cauitatem quidem thoracis ferrum permeaſſe ſignificat ſpiritus per

vulnus exiens, cuius exitus manifeſtè deprehenditur, ſi oſculo vulneris accenſa candela apponatur, aut lana tenuiter, vt aiunt, carminata, vel goſſipium eidem admoueatur, ſæpiùs enim extinguitur candela, vel ſaltem flamma dimouetur, & lana, atque goſſipium quaſi vento agitantur: Præcipuè autem obſeruatur aeris egreſſus, quando ægri tuſſiunt. Sed quoniam, non ſemper, etiamſi penetret, exitus aeris obſeruari poteſt, quando á telo tenui, atque per obliquum valdè inflictum eſt vulnus, nam à muſculi portione quandoque clauditur oſculum, atque ſpiritus tranſitus prohibetur, quandoque à grumo ſanguinis obſtruitur, interdum ob affluxum ſuccorum coarctatur via, quapropter & ſi non egrediatur ſpiritus, non ob id inferendum eſt, vulnus ad intima non penetrare, verùm aliis notis tentandum eſt penetrationem aſſequi vulneris: Immittatur ergo ſpecillum, vel cerea candela, his enim facilè fuerit teli viam explorare. Quod ſi propter vulneris obliquitatem ſuſpicemur à muſculo cauitatem ipſius occludi, collocandus eſt æger in eo prorſus ſitu, in quo erat, quando fuit vulneratus, ſic enim ſeruantibus partibus eundem ſitum, quem tunc obtinebant, ſi vulnus fuerit penetrans, non ægre ſpecillo, vel candela deprehenditur: Sanguinis verò grumus hiſce haud obſiſtit.

Animaduertenda circa ſpecilli immisſionem.

Congrua quoque ſectione facilior reddetur, ſi vulnus penetret, ſpecilli ingreſſus: Circa illius autem immisſionem animaduertere oportet, ne à portione, quæ vulnus ingreditur, decipiamur, quandoque enim multa ſpecilli portio ingreditur, & tamen vulnus non penetrat, quandoque verò parua eiuſdem portio aditum habet, & vulnus penetrat: Itaque conſideranda erit obliquitas, & rectitudo vulneris, craſſities vulnerati corporis, & ſitus vulneris; nam ſi ad ſternum fuerit vulnus, forſan ad membranas interſepientes penetrauit telum, non autem ad thoracis cauitatem, atque multa ſpecilli portio inter ſternum, & eas membranas deliteſcens ſpeciem afferret verè penetrantis vulneris: Semper cum ſpecillo ad thoracis

racis cauitatem peruenimus, eo detracto, obſeruatur aeris exitus: Quando tamen vulnus eſt ad ſternum, & ad membranas interſepientes peruenit telum; egredi aer poteſt, etſi capacitatem non penetrauerit, quoniam intra illas membranas colligitur aer; ſed neque tanto impetu, neque adeò confertim, & continenter egreditur. Copioſior quoque materia, quam pro apparentis vulneris occaſione generari poſſe videatur, exiens vulnus penetrare ſignificat. Quod ſi contentæ materiæ, aut vulneratæ partis in cauitate exiſtentis affuerint indicia, quæ mox referemus, certo certius erit vulnus penetrare, quamuis teli viam aſſequi ſpecillo non liceat.

Vulnerum cordis ſigna.

Corde igitur vulnerato, ſtatim mors aduenit, ſi ad ventriculos vulnus peruenerit, cum magna ſanguinis profuſione, ſi verò non, multus tamen ſanguis per vulnus egreditur, ſudores frigidi, & fœtidi erumpunt, extrema redduntur frigida, membraque tremore non raro concutiuntur, & paulò poſt mors ſequitur, quamuis ex ſuperficialibus vulneribus aliqui integrum diem vixerint, qui poſteà ratione obōrtæ inflammationis, vt dicebat Galen. 5. loc. af. cap. 6. extincti ſunt, vnde Celſus lib. 5. cap. 26. Igitur corde percuſſo ſanguis multus effertur, venæ langueſcunt, color pallidiſſimus, ſudores frigidi, malique odoris tanquam in rotato corpore oriuntur, extremiſque partibus frigidis matura mors ſequitur.

De vulneribus pericardii.

Pericardium verò ita cordi proximum eſt, vt ſauciari fere nequeat ſecundùm totam ſubſtantiam, vulnere ad internam faciem penetrante intacta cordis ſubſtantia. Si verò extima tantùm ſuperficies fuerit vulnerata, quamuis à principio non ita facilè ſit cognoſcere ipſius læſionem, breui tamen ſuccedunt indicia manifeſta, propterea quod ſuperueniunt ſymptomata, quæ penetrante vulnere citra contentarum partium læſionem non conſpiciuntur, licet leuiora ſint iis, quæ ſuperueniunt cordis vulneribus, cum enim propter continuum cordis motum impediatur agglutinatiò, immò attrahantur humores,

ſequitur inflammatio, vnde dolores, & febres, & cor ipſum nequit ita dilatari, vt priùs, hinc pulſus inæqualitas, & reſpiratio magna: Prætereà & propter propinquitatem cor ipſum coaffici neceſſe eſt, hinc animi deliquia quandoque.

De vulnerib. pulmonum.

Si pulmones fuerint vulnerati, ſpiritus cum ſono effertur, ſanguis erit rubicundus, & qui tuſſi reiicitur non ſolùm eſt rubicundus, verùm & ſpumoſus, deinde etiam purulenta redduntur ſputa, ſpitandi difficultas comitatur, facilior eſt decubitus ſupra vulnus, in reliquas partes difficilior, vt quandoque facultatem loquendi adimat, in intimis nullus percipitur dolor, vnde Celſus loco citato: Pulmone verò icto, ſpirandi difficultas eſt, ſanguis ex ore ſpumans, ex plaga rubens, ſimulque etiam ſpiritus cum ſono effertur, in vulnus inclinari iuuat, quidam ſine ratione conſurgunt. Multi ſi in ipſum vulnus inclinari ſunt, loquuntur, ſi in aliam partem, obmuteſcunt. Si inflammatio ſuccedat, adſunt ſigna pneumoniæ, vt grauitas in thorace, difficultas anhelitus, tuſſis moleſtiſſima, rubedo maxillarum, & febris vehemens, pulſus velox, creber, inæqualis, & mollis.

De vulneribus diaphragmatis.

Si diaphragma fuerit vulneratum, dolor, ac pondus percipietur ad nothas coſtas, anhelitus erit difficilis, ac rarus, tuſſis moleſta erit, verum ſicca, niſi materia contineatur intra thoracis cauitatem. Delirium quoque ſuperuenit, compatitur enim cerebrum propter neruos à ſexta coniugatione ad ipſum diaphragma peruenientes. Surſum illa conuelli videntur. Quandoque propter vehementiam inſpirationis aliquod ex membris in abdomine contentis ad thoracis cauitatem attrahitur, vt refert Paræus ſe obſeruaſſe in duobus, quorum alter vulneratus erat in neruoſa parte diaphragmatis, qui tertia die interiit, & cum diſſecuiſſet, comperit ventriculum in thoracis cauitatem illapſum eſſe; alter vero glande tormento manuario emiſſa vulneratus fuit per ſterni fines iuxta xiphoidem cartilaginem, ita vt glans illa per carnem partem diaphragmatis

tis

tis tranſiens per interſtitium, quod quintæ, & ſextæ coſtis nothis interiacet, exierit. Huic, ſanato extrinſeco vulnere, remanſit ventriculi imbecillitas, & quotidie ad veſperas, & nocte dolore quodam ſimili colico vexabatur, vt ex eo tandem octauo menſe obierit. Hunc ergo cum diſſecuiſſet quidam Chirurgus, comperit coli inteſtini partem magnam flatu multo turgidam in cauitatem thoracis irrupiſſe. Ego etiam obſeruaui per thoracis vulnera in anteriori parte omentum erupiſſe.

Vulneratam eſſe venam cauam, & arteriam magnam ingens ſanguinis profuſio demonſtrabit, quæ nullo remedio ſupprimi poteſt. Spinalem verò medullam, & neruos vulneratos reſolutio, aut torpor vnius, vel plurium ſignificabit, ſed & hæc vulnera non raro conuulſio ſequitur. Situs etiam partis vulneratæ, & vulneris profunditas conſideranda ſunt. Si œſophagus fuerit vulneratus, eſculenta, & poculenta, dum ingeruntur, per vulneris os egrediuntur.

Signa vulneratæ venæ cauæ. Signa vulneratæ ſpinalis medullæ.

Oeſophagi.

Si materia contineatur intra thoracis cauitatem, ponderis ſenſus ad nothas coſtas aderit, tuſſis moleſta cum ſputo, primò ſanguineo & nigricante, tanquam ſanguinis concreti, deinde etiam purulento, nam, vt dicebat Hippocrates 6 Aph. 20. ſi in ventrem ſanguis præter naturam effunditur, neceſſe eſt ſuppurari, reſpirationis difficultas, febris, neque niſi in dorſum cubare poteſt, pulſus exilis, compreſſus, ac inæqualis admodum ob facultatis vitalis oppreſſionem, anhelitus breui fœtidus reddetur, & ſimiliter qui per vulnus exit ſpiritus. Atque ſi diutius in thoracis cauitate materia purulenta detenta fuerit, in parte quoque externa illius lateris liuor apparebit. Interdum tanta intra cauitatem thoracis continetur ſanguinis copia, vt oppreſſa facultate nulla, vel leuiſſima tuſſis excitetur. Quod maximè obſeruandum ne decipiamur.

Signa materiæ contenta intra thoracis capacitatem.

CAPUT LXIX.

Prognoſtica vulnerum thoracis.

QVæ in thoracis anteriori parte, atque à lateribus contingunt vulnera, neque ad interiora penetrant, ex ſe omninò periculo vacant, etiamſi ſecundùm propriam eſſentiam ſint magna: Neque enim ibi vlla pars nobilis, & ad vitam neceſſaria reperitur, cuius læſio inſignem vehementiam ratione facultatis partis poſſit aduehere. At in parte poſtica multa lethalem afferunt calamitatem, multa etiam repentinam, & irreparabilem mortem; lethale eſt enim ſpinalem medullam ſauciari, at vena caua, aut arteria magna vulneratis ob nimiam, & immedicabilem ſanguinis profuſionem ſtatim ſubſequentem diſſipantur confertim ſpiritus, naturaliſque calor extinguitur, ac ſubita mors aduenit: Neque tamen promptè admodum ſanantur, quæ periculo vacant, propter aſſiduum thoracis motum: Et ſi fortè coſta quæpiam læſionis fuerit particeps, timendum eſt, ne vulnus in vlcus fiſtuoloſum tandem abeat.

Vulnera venæ cauæ & arteriæ magnæ omnino lethalia.

Quæ verò intra thoraces capacitatem penetrant, etiamſi nullum ex contentis viſceribus lædatur, omnia tamen periculoſa ſunt, quoniam aer externus per vulnus ingrediens partes contentas refrigerat, & earum natiuum calorem labefactat, & ideò etiam tempore frigido periculoſiora ſunt: Si verò inſuper materia fuerit effuſa intra capacitatem thoracis, periculoſiora cenſenda ſunt, eò quòd materiam ibi contentam putreſcere neceſſarium eſt, & eius putredine maxima inſequantur ſymptomata, febres videlicet, dolores, anguſtiæ, vigiliæ, & huiuſmodi: Eleuantur pariter ad viſcera praui halitus à putrida illa colluuie, quæ cordi maximum faceſſunt negotium, non ſolùm calefaciendo, & febrem concitando, ſed praua qualitate: Ipſa quoque purulenta materia pulmones inficit, &

Vulnera penetrantia omnia periculoſa, & præſertim ſi materia contineatur intra cauitatem.

& ideò talia vulnera, niſi, vt decet, fuerint tractata, maximè periculoſa ſunt: Addita poteſt, quod propter propinquitatem calefacientis cauſæ non rarò ſolida cordis ponuntur in calefacto eſſe, & ita hecticæ febres ſuccedunt. Amplius non rarò ad cauitatem illam ab aliis partibus demandantur excrementa, quo fit, vt vlcus reddatur fiſtuloſum.

Vulnera thoracis cum læſione contentarum partium periculoſiſſima

Sed & periculoſiora longe ſunt, ſi quæ ex contentis partibus fuerint vulneratæ, & ideò Gal. 4. Meth. 6. Vulnus, quod intra thoracem, vel peritonæum penetrat, non paruum periculum affert, præcipuè ſi quid interiorum vnà ſit vulneratum: & meritò, nam vehementia dignitatis eſt maior, hinc augetur periculum pro ratione vulneratæ partis; namque ex vnius partis læſione certius, & facilius corruit facultas vitalis, quàm ex alterius: Cordis enim vulnera omninò lethalia ſunt, quoniam cor eſt fons vitæ, & origo naturalis caloris, vnde nec minimam ſolutionem continui pati poteſt, &, ſi maius ſit vulus, ita, vt ad alterum ex ventriculis perueniat, ſtatim, vnà cum ſanguinis, & ſpirituum vitalium, qui in eo generantur, effuſione, vita deficit, præſertimque ſi ſimiliter ventriculus fuerit ſauciatus: Si verò eiuſmodi non fuerit, vt inges hæc effuſio ſanguinis, & ſpirituum fieri poſſit, aliud tamen neceſſario ſequitur incommodum, quod vitam demit, inflammatio videlicet, vel ſuffocatio, affecto enim principe membro, omnes vitales ſpiritus, & ſanguis ad cor feruntur, quæ cum non poſſint à corde regulari, vel ſuffocatur calor, vel inflammatio concitatur, ad quam mors, vel aſſidua ſpirituum diſſipatio, quo fit, vt breui neceſſario intereant. Addamus, quod vulnerata cordis ſubſtantia, quæ triplici villorum genere contexta eſt, quibus dilatationis, & conſtrictionis munus perficit, fieri non poteſt, quin ob villorum læſionem non priuetur tandem cor hoc munere, quo ſublato, vita perſiſtere non poteſt, intercepta temperatione, atque expurgatione calores naturalis. Quod ſi venæ cauæ truncus cor ſubiens, aut arteria

Cordis vulnera omnino lethalia.

teria magna vulneretur, nimia ſanguinis profuſio confeſtim interitum afferet. At ſi venoſa arteria, intercepta via inſpirato aeri, atque expulſæ fuligine neceſſario ſuccedit natiui caloris extinctio. Merito igitur ſcriptum reliquit Gal. 5. loc. af. 6. Si ad ventrem cordis vulnus aliquando penetrauerit, protinus magno cum ſanguinis fluore hominem mori neceſſe eſt, idque præcipue, ſi ſiniſter ventriculus fuerit vulneratus. Si vero in cordis ſubſtantia conſiſtat vulnus, ex ita affectis aliqui non ſolùm eadem die, qua vulnerati ſunt, ſed ſequenti quoque nocte viuere potuerunt, qui inflammationis ratione extincti ſunt. Et 6. Aph. 18. Quod autem cor vulneratum mortem afferat neceſſario, vnum ex iis eſt, quæ in confeſſo habentur, &c. Hæc etiam vulnera inter lethalia recenſuit Hippocrates libr. de Coacis prænot. numer. 3. & 6. Aph. 18.

Præſagia vulnerum pulmonis.

Non adeo præceps periculum imminet ex pulmonum vulneribus, ſi tamen vulnus ſit magnum, maxime periculoſum eſt, eo quod ſubſtantia conſtet humida, & molli, atque putredini obnoxia, & in continuo ſit motu ob reſpirationem, & tuſſis moleſta continuo affligat, ſanationem vulneris, quæ perfici quiete deberet, impediens. Addamus, quod, cum vulnus ſit magnum, neceſſario pus generatur, quod propter continuitatem cor vaporibus male afficiens, febres concitat malas, & ſæpe in hecticam fit tranſitus. Amplius ex continuo illo motu facillime inflammatio ſuccedit, quæ quanti ſit momenti, ex pauco numero eorum, qui ex affectu pneumonico ſeruantur, licet coniicere. Præterea magno vulnere pulmoni inflicto, fieri non poteſt, quin aut arterioſa vena, aut venoſa arteria, aut aſpera arteria conuulneretur, quare aut immedicabilis ſequitur hæmorrhagia, ſi videlicet in venam arterioſam telum incubuerit, aut lethali noxa intercipitur via inſpirato aeri, fumidiſque vaporibus, ſi arteria venoſa, aut aſpera arteria diſſectæ, laceratæque fuerint, quo in caſu maior

maior erit expiratio per vulnus ipſum, quam per os naturaliter eſſe conſueuerit, diuque vitalis facultas immutationem hanc non perferet, ſed aut ſuffocabitur, aut extinguetur natiuus calor. Hinc Hippocrates lib. de Coac. prænot. Quin etiam moriuntur, ſi vel in arteriam, vel in pulmonem vulnera magna illata ſint, adeo, vt pulmone ſaucio minor ſit expiratio, quam illac excidit, vbi eſt ipſa pertuſio. At, ſi vulnus ab inflammatione præſeruetur, neque ſit in penitiori eius ſubſtantia, &, vt ita dicam, in baſi viſceris, ſed in fibrarum extremitatibus, non pauci ſeruantur: Quinimo teſtatur Rolandus quendam, cui portionem pulmonis extra vulnus exiſtentem, & iam putridam ſecuit, ſanitati reſtitutum, licet præter ſpem omnium, habebatur enim tanquam deploratus.

Diaphragmatis vulnera & ipſa periculoſa ſunt propter continuum motum, vulnera enim perenni motu agitata, dicebat Hippocrates lib. de locis, denuo lacerantur. Verùm, ſi in neruoſa parte contigerint, omnino lethalia ſunt, agglutinari ſiquidem non poſſunt, non ſolum propter continuum motum, ſed & propter exanguem ſubſtantiam. Addamus, quod propter neruos, quos à ſexta coniugatione recipit, dolores ſæui concitantur, & inflammationes (ad quod etiam adiuuat continuus eius motus) deliria, conuulſiones, & tandem mors ſequitur, vnde Gal. 5. Meth. 9. Vulnera in neruoſa diaphragmatis parte incurabilia ſunt: In carnoſa parte magis curationem admittunt. Sed tamen & his difficilia ſunt propter continuum motum, vndè Gal. loco citato: Tranſuerſi ſepti vulnera, quæ foras non perueniunt, in carnoſis quidem partibus ſubinde coaleſcere ſunt viſa, eius motu non obſtante. Quod ſi inflammatio ſubſequatur, vt facile ob motum contingit, pauci euadunt, vnde Gal. loco citato: Difficilis eſt etiam curatio eorum, quæ in carnoſis ſunt partibus, ſi has iam phlegmone occupauit. *Præſagia vulnerum diaphragmatis.*

His addere poſſumus periculum, quod imminet, ne per vulnus ad thoracis cauitatem aliqua pars ex iis, quæ

in abdomine continentur, inſpirationis vi attrahatur. Non immerito ergo Hippocrates inter lethalia vulnera hæc commemorauit libr. de Coacis prænot. nu. 3. tum 6. Aph 18. Vulnera verò venæ cauæ, & arteriæ magnæ citam mortem inferunt propter vberrimam ſanguinis profuſionem, quæ nullis cedit præſidiis, immo neque locum dat præſidiis. Se habent enim partes illæ ad venas, & arterias, ſicuti mare ad flumina. Spinalis medullæ vulnera quam lethalia ſint, ſuperius explicatum eſt, & ſimiliter, quanti facienda ſint œſophagi vulnera; ſed in propoſito caſu ſunt omnino deplorata, quoniam adducere labia ad mutuum contactum propter ſitum non poſſumus. Si trachæa arteria vulneretur, quoniam conuenienti ſutura, cum ſe ad manus non exhibeat, adduci labia nequeunt, & ipſa exanguis eſt, neceſſario mors ſequitur.

CAPUT LXX.

De curatione vulnerum thoracis

SI vulnus thoracis cauitatem haud penetret, non diſſimilem poſtulat curationem à reliquis vulneribus in carnoſa parte exiſtentibus. At ſi thoracis capacitatem penetret, fueritque citra contentarum partium læſionem, neque in thoracis cauitate materia contineatur, quamprimum occludendum eſt vulnus, vt externi aeris ingreſſus prohibeatur. Quapropter ſi à telo ſecante fuerit inflictum, conſuendum erit, & agglutinatio procuranda: ſi vero à telo contundente, cuiuſmodi eſt plumbeus globulus, ſi valde diſtent labia, curandum, vt proximiora fiant. Si parum diſtent, ſinenda, & occluſo vulnere, carnis generatio promouenda. Habenda eſt autem inprimis ratio generandæ materiæ, vt prompte poſſit expurgari. Quocirca parandus erit effluxus, ſi ægre per vulneris orificium diffluat. Si verò contineri materiam ſuſpicemur, per tres circiter dies vulneris orificium conſeruandum

uandum eſt patens, vt, ſi qua forte materiæ portio contineatur, expurgari poſſit, & ſi minus probus extiterit effluxus, arte parandus. Vtque facilius profluat, ſupra vulnus ipſum decumbat vulneratus. Si interea nulla contentæ materiæ ſe produnt indicia, occludendum erit vulnus.

Curatio vulneris thoracis citra materiam contentam, & contentarum partium læſionem.

Quod igitur penetrat citra contentarum partium offenſam, atque citra ſanguinis collectionem intra capacitatem, ſi fuerit ſimplex, adductis ad mutuum contactum labiis, agglutinans medicamentum linteolo exceptum apponatur, cuiuſmodi eſt lachryma abietina, vel ſola, vel oleo hypericino permixta, addito etiam puluere ſarcocollæ, maſtichis, & lachrymæ ſang. drac. & ceratum noſtrum agglutinans, & ceratum barbarum, & alia quæ 1. lib. fuere propoſita. Dein addatur idoneum tegumentum, faſciaque idonea ad retinendum fiat deligatio, & ad ſeptimam differatur ſolutio, quo tempore huiuſmodi vulnera penitùs agglutinata comperiuntur. At ſi cauum fuerit, aut etiam cum carne contuſa, ſi labia valde ſint disiuncta, propinquiora reddantur iis propemodum modis, quibus adduci ad mutuum contactum conſueuere; & ſi minus opportunus ſit effluxus, arte procuretur, medicamentumque apponatur, quod naturalem calorem foueat, & ad propria munia obeunda adiuuet, paratoque tegumento, ac deligatione peracta, ſolutio ad decimam quartam differatur, quo tempore ſi non cicatrice obducta, ſaltem carne repleta comperientur. Quod ſi vereamur, ne intra cauitatem contineatur ſanguis ante medicamenti applicationem, intra vulneris orificium imponenda turunda, ſeu penillum fiſtulatum ex tela cerata, vel argento, aut plumbo, niſi oſculum vulneris ex ſe ſatis dehiſcat. Atque niſi intra quartam certæ contenti ſanguinis notæ apparuerint, detracto poſt hoc tempus tubulo, vulneris agglutinationi, aut repletioni incumbendum.

Materia in thorace contenta, quo modo educenda.

Si certa contentæ materiæ indicia ſeſe offerant, profectò materia illa vt educatur, poſtulat. Aut ergo educenda eſt per os vulneris aut per vrinæ vias, aut per creatum tuſſi mediante; vt enim dicebat Gal. 5. loc. af. 3. Effuſa in thoracis ſpatium ſanies, in aſperas pulmonis arterias recipitur, deindè tuſſiendo excreatur, nam thorax vehementer conſtrictus humorem, qui in eo ſpatio, quod inter ipſum, & pulmonem eſt, continetur, in aſperas ipſius arterias comprimendo cogit, quæ quidem expreſſio per tuſſim fit robuſtior. Atqui cum via ſatis patens ſit ad vulnus ipſum, & promptè ad illud contenta materia confluat, haud ſanum eſſet conſilium, aliam minus tutam perſequi. Neque enim citra detrimentum per tuſſim expurgabitur, aut per vrinæ vias educetur, cum tuſſis ſpirituales partes nimis exagitet: atque ad cauitatem thoracis vberiorem materiam allicitat, eductio verò per vrinas ſolo attenuantium, & verè diureticorum vſu ſperari poſſit, quorum vſus propter inflammationis metum à principio penitus eſt reiiciendus, vt omittamus, quod longo temporis ſpatio ad id ſit opus, cum tamen quam primum educi materia debeat.

Vulneris agglutinatio, & curatio impedienda.

Curandum igitur, ne præpropere oſculum vulneris occludatur, & priuſquam materia fuerit expurgata. Claudi autem facili negotio poſſet, quoniam etſi cauitas malè habeat, eius tamen affectio parti vulneratæ parum officit, quare natura illius proprii muneris non obliuiſcitur, ſed vnionem contendit, & ideò vulnus ſeruandum proponitur, tanquam medela eius, quod continetur in thorace, ſicuti enim in empyemate licet thoracem perforare, atque venire, vt materiæ contentæ paretur exitus, quemadmodum Hippocrates toties conſulit, & omninò nouum morbum inducere, nedum relinquere, & eum etiam inſanabilem, vt dicebat Gal. 3. Meth. 9. Cum adeſt quidpiam, quod vrgeat, & laborantis ſalus periclitetur, pari ratione, & thorace confoſſo, licebit, immò neceſſarium erit

erit morbum ſeruare in maioris ſubſidium, quamdiu eo fuerit opus.

Vrget enim materia in cauitate contenta, quando, niſi educatur, peſſima ſymptomata, & mortem denique eſt allatura. Quare ſpernendum eſt vulnus, quatenus morbus eſt, & potius vt ſalubris cauſa conſiderandum, & vt talis conſeruandum. Conſeruabitur autem, ſi labia diſſita manſerint, fueritque conſultum, ne carnis exortu vacuum repleatur. Vtrumque habebimus, tubulum argenteum, aut plumbeum in vulnus immittentes. Perforatum enim eſſe oportet, quod immittitur, vt extra ferri materia poſſit. Qua parte autem cauitatem ingreditur, aliquibus foraminibus ſit peruium, vt facilius ad eius cauitatem materia diffluat. Neque enim probo, vt in alia eius parte, quæ carnem reſpicit, ſint foramina, exorta enim nouella caro ſeſe in foramina illa demergeret, vnde poſtea non niſi vi, & cum dolore ob carnis illius diſruptionem extraheretur. Præterea caro in tubuli cauitatem ſeſe inſinuans, tubuli cauitatem obſtrueret, & exitum materiæ prohiberet. Sed, ne tubulus internas partes comprimat, aut laceret, doloreſque inferat, non ea ſit longitudine præditus, vt partes illas poſſit attingere, & ſi hoc euitari nequeat, ſaltem non pungat. *Tubuli neceſſitas.*

Animaduertendum etiam, ne ſit talis, qui intra thoracis capacitatem decidere, aut inſpirationis vi attrahi poſſit, & propterea duas habeat alas, quæ ingreſſum prohibeant: & loris inſuper vinciatur, quod etiam obſeruandum, ſi ſupprimendi ſanguinis gratia linamentum ſit imponendum. Impoſito tubulo, paretur tegumentum, quod iniurias ambientis arceat. Et ſupra vulnus ipſum diutius decumbat, quo materia proprio pondere feratur ad vulnus, & per quædam interualla ore, naribuſque occluſis ſpiritus comprimatur, quo intumeſcant pulmones, contrahaturque diaphragma, atque ita ad vulnus contenta materia exprimatur.

De iniectionibus. Sed vt facilius educatur, & partim etiam abſumatur, plerique detergentes, atque exſiccantes liquores per vulnus in thoracis cauitatem quotidie immittunt, ab amaris tamen abſtinentes, vtpotè quæ per pulmones in os regurgitant, & infeſto ſapore laborantes non mediocriter torquent. Parant igitur lotiones ex mulſa, vel aqua hordeacea, aut lentium decocto, addito melle roſaceo, vel ſaccharo rubeo, aut ex vino mulſo, quibus ſiphonis ope in thoracem iniectis, obturatoque vulnere iubent, vt patiens modò in hoc, modò in illud latus obuoluatur, quo materia ab omnibus partibus eluatur, inde per vulnus lotionem vnà cum materia educunt, obſeruantes, ne quid lotionis intra thoracis cauitatem maneat, eò quòd ipſa propter permixtam purulentam materiam corrumperetur, & praua inueheret ſymptomata. Itaque procedunt, donec materia amplius per vulnus non exeat, & nulla appareant contentæ materiæ ſigna. Iubent prætereà, vt patiens tuſſiat, quo materia fortius expellatur ad vulnus, & per os etiam eius portio educatur. Verùm hanc curandi rationem probare nunquam potui, eò quòd thoracis partes nimis agitantur, & ambientis iniuriæ præſto ſunt, vnde noua materia in dies ad cauitatem confluit. Id autem manifeſtat curatio iuxta noſtrum modum inſtituta, ſub qua longè maior materiæ copia educitur. *Quando vtendum iniectionibus.* Paratoque decenti effluxu, ſatis eſt ad materiæ eductionem aptus decubitus, & ſpiritus cohibitio, ore, naribuſque occluſis, niſi ob corporis cacochymiam adeo tenax eſſet contenta materia, vt ad eam detergendam neceſſariæ forent iniectiones, aut multa concreti ſanguinis quantitas in cauitate exiſtens, & ſæua ſymptomata concitans, citiſſimam eductionem poſtularet, & periculum eſſet in mora. Quibus in caſibus ab earum vſu non abhorrerem.

Denique in hiſce lotionibus, ſeu iniectionibus modus quidam adhibendus, vt neque ſemper ad earum vſum properemus, neque ſemper ab iiſdem abſtineamus; nam ſicuti imprudenter vſurpatæ maiora afferunt mala, ita pru-

prudenter adhibitæ multos ſanant; tum materiæ eductionem promouendo, & adiuuando, quæ vel quia concreta erat, vel nimis craſſa, aut viſcida, aut ægrè per ſe effluxiſſet, aut etiam ineptum vulneris effluxum reddidiſſet; tum etiam caliditatem ab eadem inductam remittendo, & aliquando etiam exſiccando; interdum enim velut exæſtuare videtur thorax ob materiæ copiam, vel qualitatem, & in hoc caſu iniectiones nedum abſtergentes, ſed & refrigerantes præclaram operam præſtant; immò interdum ab orco reuocant, vt experientia didici iniiciens aquam hordeaceam cum melle roſaceo; ſed & ſerum cum melle roſaceo optimum eſt.

Vulnus anguſtum magis amplum reddendum.

Si propter vulneris anguſtiam contentæ materiæ non ita pateret exitus, congrua ſectione vulnus magis amplum reddere oporteret. Hoc enim magis probo, quam inter quartam, & quintam coſtam lateris affecti verſus ſpinam nouam perforationem moliri. Quam Gal. 5. Meth. 8. videtur admittere, cum eam in empyemate conſulat. At, ſi ea peracta res in deteriùs cederet, non deeſſent querelæ, atque apud plebem malè audiret Medicus. Neceſſarium tamen eſſet in ima thoracis parte aperitionem efficere, ſi vulnus in ſuperiori foret. Præterea ſi grumi ſanguinis, vt raro contingit oſculum vulneris obſtruerent, digito altiùs immiſſo per vulnus eſſent diſrumpendi, & educendi. Huc ſpectant, quæ per os exhibentur vim habentia concretum ſanguinem fundendi citra inſignem calorem, & proptereà poſca tepida bis, & ter in die exhibita probatur à Gal. 5. Meth. 8. præ omnibus mihi ſummopere probatur, ſicuti oxymel cum aliquo decocto, de quibus alias, quæ tamen ſenſim, & ſenſim deglutienda eſt.

Quando neceſſarium ſit nouam perforationem efficere.

Sanguinem concretum fundentia.

Procuratio vulneris.

Si verò amplius eſſet vulnus, quam neceſſitas expoſtularet, neceſſarium quoque eſſet partem eius ſuere. Vt autem calor naturalis partis vulneratæ conſeruetur, antequam tubulus immittatur, labiis vulneris illinietur medicamentum idoneum, dein immiſſa cannula, linteum

teum eodem medicamento illitum apponendum, indeque puluilli, aut lintei plures, vt ſufficiant ad fouendum calorem, & prohibendum aeris ingreſſum, ſuperiniiciendaque faſcia, quæ appoſita retineat, ægroque imperandum, vt, quo diutius poſſit, ſupra partem vulneratam decumbat, & per certa interualla ore, ac naribus clauſis ſpiritum comprimat; neque detegetur vulnus, priuſquam ſymptomata contentæ materiæ recedant (niſi quid interim accidat, quod aliter faciendum ſuadeat) id autem intra decimam quartam vt plurimum contingit, ſed multis circa ſeptimam. Talis curandi ratio maxime rationalis cenſenda eſt, dum enim vulnus tectum ſeruamus, ambientis ingreſſum prohibemus, qui maxime inimicus eſt partibus omnibus in thorace contentis, ideoque natura tantis propugnaculis eas vallauit, quæ nec paſſa eſt, vt ad cor calidiſſimum membrum, immo caloris fontem, quod eo maxime ad euentationem indigebat, qualis eſt aer extrinſecus, attraheretur, ſed, vt in pulmonibus prius præpararetur, inſtituit. Neque etiam ad pulmones, qualis eſſet, attraheretur, permiſit, ſed voluit, vt per longam viam ad eos deduceretur, quo eius qualitas remitteretur. Quanti ergo incommodi exiſtimamus eſſe partibus intra thoracem exiſtentibus, aeris quem nunquam antea expertæ ſunt, per vulnus ingreſſus? Incommoda quoque deuitamus, quæ ex iniectis lotionibus proficiſcuntur, iniicitur enim quod partibus eſt extraneum, & neceſſario etiam expellendum eſt, diſtendimus partes, pondera inutilia addimus, atque vt eas educamus, cogimur vulneratum huc, & illuc ſe obuoluere, ex qua agitatione commouentur ſucci, & ad fluxum concitantur, & vires ipſæ deiiciuntur. Addamus, quòd ſæpe immiſſæ lotionis portio intra thoracis cauitatem remanet, quæ & ipſa putreſcit, eoque magis cum corruptæ materiæ permiſceatur, & non minus negotium faceſſit, quam materia, quæ prius continebatur, vnde mirum non eſt, ſi quotidie poſtea magnam materiæ copiam hi

repe-

reperiant, & talia vulnera in fiſtulas tandem commutentur. Quod ſi tectum ſeruemus vulnus, calor naturalis contentarum partium reficitur, & materiam contentam, præſertim, ſi in conuenienti ſitu iaceat vulneratus, in pus conuertit, & ad vulnus propellit, & breui æger liberatur.

Hoc tamen cum ſuprapoſita moderatione intelligatur, in craſſa enim, viſcida, & nimis calida materia, in concreto ſanguine, & in prauo effluxu ferè ſunt neceſſariæ iniectiones. Diligenter tamen animaduertatur an tertia quaque die immiſſæ poſſint, quod ab illis expectatur, adimplere; hoc enim eſſet perquam commodum, non enim toties vulneratum excruciaremus, totieſque aditum exhiberemus ambienti; etſi nonnunquam materiæ abundantia, & vitium cogant, vt & bis in die vulnus ſoluamus. Neque diutius in earum vſu perſiſtere vtilitatem præſtat, nam & ſemper nouæ alicuius fluxionis ſunt cauſa, vt ob id imponere ſoleant; quocirca vbi feruor receſſerit materiæ, & faciliùs profluere videbitur, rariùs iniiciendæ, & tandem ablegandæ; ſæpeque experientia deprehendes vbi eas ablegaueris, parcius materiam colligi, ac profluere: Tunc etiam liberum erit eas iniicere, quæ exſiccandi quoque prout opportunum videbitur, vim habeant; hinc interdum eas paraui ex vino, in quo rad. tormentillæ, biſtortæ, & huiuſmodi alia ebullierint; interdum etiam aquam ardentem, in modica tamen quantitate, commiſcui.

Vbi ergo receſſerint ſymptomata, detracto tubulo, medicamentum apponendum, quod calorem naturalem iuuet ad generationem carnis, cuiuſmodi eſt terebinthina, aut abietina lachryma, aut ſola, aut permixto oleo noſtro hyperici: neque intra ſeptimam detegatur, quia hoc tempore coaleſcit vulnus.

Toto hoc tempore æger à tuſſi, quantum fieri poteſt, abſtineat, etſi nonnulli aliter ſuadeant, cum enim *A tuſſi abſtinendum.*

tuſſi totus thorax exagitetur, fieri non poteſt, quin materia attrahatur, & , vt dicebat Hippocrates lib. de locis : Agitata vlcera perenni motu denuo lacerantur, ſi tamen infeſtet tuſſis, eò quòd ad pulmones pars materiæ tranſmittatur, aliqua ore contineat, quæ vim habeant leniendi, & attenuandi, & , vt aiunt, expectorandi, cuiuſmodi eſt loch de althea , de pineis , diapenidion, ſyrupus de liquiritia , de capillo Veneris, manna, liquiritiæ ſuccus, & huiuſmodi. Quod ſi fortiora fuerint neceſſaria adeſt ſyrupus de hyſſopo , de marrubio. Verùm ab iis, quæ acetum recipiunt, cauendum eſt, ne validior tuſſis concitetur, & in principio ab iis, quæ excalefaciendi vim habent. Diuretica etiam leuiora exhibeantur , cuiuſmodi eſt cremor ſemi, melonum, decoctio cicerum rubeorum, & petroſelini, atque fæniculi paratus: vel decoctio capilli Veneris, rad. aſparagi, petroſelini cum ſyrupo de duabus vel quinque radicibus, quibus tamen permiſceantur refrigerantia, ne materia concitetur ad fluxum , vt cichoracea omnia, acetoſa, lactuca, & reliqua in vniuerſalibus propoſita. Aliquando contingit adeſſe ſigna contentæ materiæ nec tamen euidens eſt penetratio , quo in caſu exiſtimandum eſt vulnus quidem penetrare, ſed per obliquum, ideoque tunc eſt dilatandum.

Lambitiua.

Quid agendum ſi pars aliqua contenta fuerit conuulnerata. Reprobatur inſtillatio medicamentorum.

Si verò interna aliqua pars fuerit vulnerata , quantum ad apparens vulnus attinet eadem omnino curatio conuenit , neque opus eſt , vt medicamentum aliquod intra vulnus immittatur , viſcerum enim natura curam habet, nec extranei quidpiam, & quod neceſſario etiam educendum eſt , atque detentum facile necem afferret, vtile fuerit iniicere , eoque minus quidpiam boni ab eo ſperandum eſt cum nobis non ſit exploratum vulnus intus exiſtens, quare ad aliam quamuis partem potius feretur, quam ad vulnus, & ita nulla vtilitas, damnum verò non leue expectari poterit.

Ratio-

Ratione tamen materiæ contentæ locum haberent lotiones ſuprapoſitæ.

Illud autem diligenti animaduerſione dignum eſt, ne detrahatur tubulus, priuſquam interna bene ſe habere cognitum fuerit, niſi externum vulnus adeo pateret, vt nullum occluſionis immineret periculum, qui enim aliter fecerit, erit in cauſa, vt ſuppurati fiant, qua de cauſa Hippocrates primo de morb. tex. 18. dicebat: Quamdiu quidem habuerit vlcus reſpirationem foras per antiquum vulnus, & hac parte frigidum in ſeipſum adducit, & calidum à ſeipſo hac parte emittit, & ſane facile tum pus, tum ſi quid eſt aliud expurgatur: & ſiquidem & interna, & externa pars ſimul fuerint ſanatæ, ſanus penitus homo euadit. Si verò externa quidem ſanata fuerit, interna verò non, ſuppuratus fit; & ſi etiam ſanatæ ſimul ſint interna, & externa pars, cicatrix autem intus debilis fiat, & aſpera ac liuida, reulceratur quandoque atque ſic ſuppuratus fit. Rurſus exulceratur etiam ſi quid amplius laborarit, & ſi attenuatus fuerit, & ſi pituita, aut bilis ad cicatricem affixa fuerit, & ſi alio morbo correptus attenuatus fuerit nec, &c. *Quando detrahendus tubulus.*

Suppurationem autem fieri, aut factam eſſe, dolor acutus, & grauis indicant, tuſſis moleſta, febriſque reſpirationis difficultas, vigiliæ, inquietudines, & huiuſmodi, quando enim materia in thoracis cauitatem effunditur, neceſſariò grauitatem inducit, & ad pulmones, dum dilatantur, attracta tuſſim promouet, ſed & anhelitus inuehit difficultatem, verùm cum ipſi neceſſarium ſit putreſcere, vt febres etiam accendantur neceſſe eſt, & inquietudines ſuccedant, & alia huiuſmodi ſymptomata, vnde Hip. loco citato. Vbi verò vlcus factum fuerit ſiue hoc modo, ſiue vbi externa pars priuſquam interna coaluerit, dolorem acutum inducit, & tuſſim, & febrem, & ex his vlceris ſanatio ſaltem differtur, ſæpè enim, niſi materiæ detur exitus, mors contingit, vnde Hip. ibidem: Et frigiditatem ipſam ſibi ipſi vlcus inducit, eò quòd *Signa ſuppurationis.*

ampliùs calidum exiſtat, & ipſum à ſeipſo caliditatem efflat, & pus expurgatur, & per longum tempus curatur, & tardius ſaneſcit: quandoque verò neque ſaneſcit; nam caro, & vlcus ſub ardore, qui eſt in corpore coquitur, & nimium humectatur, vt non poſſit, neque ſiccari, neque carnem producere, neque ſanari, ſed cum temporis progreſſu moritur patiens talia.

Quando contingat ſuppuratio.

Maximè verò ſuppuratio contingit, ſi quæ vena craſſior fuerit ſauciata, ſæpè enim cruſtam contrahit, & educta materia, quæ prius fuit effuſa, ſimulata conſpicitur ſanatio, ſed paulò poſt aut ab exedente humore aut acredine ſanguinis, vel alia de cauſa remota cruſta illa in cauitatem thoracis denuò ſanguis effunditur, ſuppuratque, vnde clauſo vulneris orificio, nulla alia patet via quam per vrinam, & tuſſim, ſed ſi voluerimus diuretica exhibere, hæc vt calida attenuabunt, & calefacient ſanguinem, venæque ſanationem prohibebunt. Si verò per tuſſim voluerimus materiam educere, exagitato thorace, & contentis, non ſolùm impedietur ſanatio ſauciatæ venæ, verùm etiam erit occaſio, vt maior copia materiæ ad cauitatem thoracis à vena dilabatur, atque ita maior in dies fiet affectio, & fortaſſe ob nimiam ſanguinis profuſionem mors ſubita continget. Vnde & Hipp. 1. de morb. n. 19. At ſi contingat, vt craſſarum venarum aliqua ſaucietur, & ſanguis introfluat, ac putreſcat, ſuppuratus fiet: & ſiquidem hoc pus totum per ſputum reiectum fuerit, & vena ſauciata coaluerit, & vlcus intus, ac foris ſanatum fuerit, penitus ſanus euadit; ſi vero neque vlcus intus coaleſcere poterit, neque vena conſtringatur, ſed alias, atque aliàs ſanguinem remittat, & ſi ſtatim vomatur, & ſpuatur, aut etiam putreſcat, & pus expuatur, plerumque perimitur, aut ſtatim ſanguinem vomens, aut poſteriori tempore, dum perit ab iiſdem, quæ antea dicta ſunt. Ex quibus Hip. verbis manifeſtum eſt, dupliciter hiſce ſuppuratis poſſe mortem contingere, aut videlicet ſubito ob nimiam ſanguinis profuſionem; vnde

vnde hi quoque nimiam ſanguinis quantitatem expuendo reiiciunt, quaſi eos ſanguinem vomere quis dixerit, non enim proptè dictum vomitum intelligit Hip. ſed per ſimilitudinem, aut ſicut, & alii ſuppurati perierunt, videlicet aut ſuffocati, aut tabidi. Ne ergo ſuppuratio contingat, vel fucata ſanitas, non ſolùm externi vulneris orificium apertum ſeruandum vſque ad interni vulneris coalitum, verum etiam omni ſtudio curandum, vt quamprimum internum vulnus coaleſcat, hoc aſſequemur, ſi omnia, quæ naturæ officere poſſunt, remoueantur, ideoque obſeruanda erunt quæcunque pro auertenda fluxione neceſſaria ſunt, ne inflammatio contingat, à qua euadunt pauci, vel effluxus materiæ ad thoracis cauitatem. *Scopi.*

Tenuiſſimus igitur inſtituendus eſt à principio victus, & qualis iis, qui capite vulnerati ſunt, ferè enim non minus periculoſa eſt inflammatio, ſi pulmoni, aut diaphragmati ſuperueniat, quam ſi cerebro, aut membranis ipſum ambientibus, ſed alteranda cibaria pro ratione vulneris, nunquam autem prætermittenda quæ amica ſunt pectori, vel paſſulæ, ſaccharum, amylum, liquiritia, & huiuſmodi. Eadem ratio eſt de potu. *Victus.*

Similiter iterata ſanguinis miſſio ad arcendum influentem ſanguinem conueniet, cucurbitulæ ad infernas partes, hirudines hæmorrhoidibus, frictiones, & ligaturæ, & lotiones, ad extrema, &c. Expurgans tamen pharmacum primis diebus cauendum, ne ſanguinem exagitando maiorem concitet ſanguinis fluxum, & venæ cuiuſpiam ſauciatæ coalitum remoretur. Si tamen nullus eſſet metus ſanguinis profluuii, non eſſet prætermittendum pharmacum. Similiter, & alterantia, quæ in vniuerſalibus dicta ſunt conuenire pro inflammatione arcenda, hic locum habent. *De pharmaco.* *Alterantia.*

Sed putereà, & iis admiſcenda erunt, quæ ad agglutinationem vlceris faciant, & venæ ſauciatæ coalitum, ſi qua fuerit ſauciata, citra tamen caliditatem à principio inſignem, cuiuſmodi eſt plantago, equiſetum, conſolida,

 pyrola,

pyrola, potentilla, alchimilla, fragaria, piloſella, biſtortæ, & tormentillæ radices, & huiuſmodi, ex quibus additis cichoraceis parari poterunt potiones, quæ non ſolùm humores ad motum ineptos reddent, verùm etiam ſanationem vlceris adiuuabunt, quod ſi ſanguinis profuſionem timuerimus, exhiberi etiam poterunt bolus Armen. or. & terra ſigillata ex ſaccharo roſaceo vetuſto, vel aqua noſtra ad ſanguinis fluxum. Lambitiua quoque, quibus vis inſit ſiccandi, & agglutinandi, erunt maximè opportuna, cuiuſmodi illud eſt, quod ex radicibus ſymphiti, bol. Arm. & ſaccharo paratur. Ab iis tamen cauendum, quæ non leuiter adſtringunt, ſi ad pulmones tranſumatur materia per ſputum educenda, immò permiſcenda erunt aliqua, quæ ſputum facilem reddant, vt ſuccus glycirizæ, tragacantha, quæ optima eſt, lenit enim, & agglutinat, vnde diatragacantha cum bolo erit maximè ex vſu, vel illud.

Lambitiua.

℞. *Rad. Symphiti, decocto liquiritiæ decoctarum, dein contuſarum, & cribro traiectarum, vnc. ii.*
Spec. diatragacant frig. drach. iii.
Succi liquiritiæ vnc. ſ.
Penidiorum tantuudem
Syr. de liquiritia q. ſe
Miſce pro lambitiuo.

Proceſſu temporis, vbi amplius non imminet periculum fluxionis ſanguinis, ad tollendam cacochymiam exhibendum erit ſoluens medicamentum, citra violentiam tamen, modo inflammatio non adſit: huiuſmodi erit manna, aut ſyr. roſ. ſol. cum Rhab. & mirobalanis, aut Rhapontico, quod mirificè confert.

Sed quoniam non raro accidit, vel ob erratum in curatione commiſſum, vel ob prauitatem vulneris, copioſiora excrementa in dies in cauitate thoracis colligi, vel etiam in fiſtulam degenerare vulnus, tranſacto inflammationis

tionis tempore, ſi cuncta ſecundum rationem non ſucceſſerint, expurgato vulnere, paranda erit vulneraria potio, atque exhibenda per plures dies, & donec abſumptæ fuerint humiditates ſuperfluæ. Huiuſmodi potiones à variis vario modo parantur. Sed præſtantiſſima eſt Iudæi potio, cuius deſcriptio ponitur, & à Iacobo Carpenſi, & à Fallopio, & à pluribus aliis, quam quidam noſtræ ætatis Chirurgi acceptam referunt à ſuis parentibus. Sed nec minoris efficaciæ eſt hæc noſtra, quæ *De vulnerarijs potionibus.*

℞. Fol. Plantaginis
Quinquefolij.
Piloſellæ.
Cariophillatæ
Canabis renatæ
Caulium rubeorum
Equiſeti
Centaurij minoris
Scabioſæ
Pyrolæ ana m. i.
Rad. Conſolidæ vnc. iii.
Tormentillæ
Biſtorſtæ ana vnc. i.
Dictamni albi. drach. ii.
Sarſæparillæ vnc. ii.
Rapontici vnc. s.
Rhabarbari drach. iii.
Fœniculi
Aſparagi
Liquiritiæ ana vnc. i.
Ariſtolochiæ vtriuſque ana vnc. s.
Sem. Aniſi
Fœniculi
Dauci ana drach. iii.
Communium frigid. ana drach. ii.

Aq. Plantaginis
Equiſeti
Conſolidæ
Capilli Ven. ana lib. v.
Miſce, & f. inf. ſ. a.

Et decoctis ad conſumptionem medietatis, denturque quotidie in aurora circiter vnc. v. cum ʒ. i. aquæ ſtillatitiæ ex terebinthina, & abietina lachryma, vel totidem aquæ balſami, niſi febris prohibeat, & ſaccharo, huic decoctioni vires inſunt partim ſiccandi, & abſumendi materiam omnem, partim etiam attenuandi, & per vrinam euacuandi, neque ſputum remoratur, immò facilem reddit. Quandoque addo dictæ decoctioni Guaiacum, aut Chinam, vbi videlicet malum fuerit vetuſtius, ſicuti & in fine decoctionis quandoque vinum additur, Nunquam enim auderem eam vino parare, eò quòd nimis promptè hecticæ febres hiſce vulneribus ſuperueniant. Aliarum potionum exempla ab vniuerſalibus ſunt petenda. Si verò, ſanato vulnere, ſuppuratio contigerit, omni arte vulneris recluſionem moliri oportet, & ipſum tractare, ſicuti ſi à principio id contigiſſet, & potionem dictam exhibere. Omnibus autem potionibus mel, aut ſaccharum eſt admiſcendum, quod diſtributionem pharmaci adiuuabit & faciet, vt partes meliùs complectantur potionem, & ad abſtergendum etiam confert, & ideò Galen. 4. Meth. 7. Omnibus medicamentis, quæ thoracis, & pulmonum vulneribus ſunt deſtinata, potiſſimum, ſi inſigne fuerit vulnus, mel eſt admiſcendum.

Vulnerarijs potionibus admiſcendum mel aut ſaccharum.

De vulneribus œſophagi, & aſperæ arteriæ.

Si vulneratus fuerit œſophagus, aut trachæa arteria: quamuis exiqua ſit ſpes ſalutis, cum diſſita labia ſutura adducere nequeamus, quia tamen nemo deſerendu[s] eſt, quamdiu conſtant vires, vt enim dicebat Auicen[na] ſolus virium caſus eſt prauum ſignum, qua ration[e] tractanda ſint hæc vulnera, non inutile erit ſubiicer[e] Imponendus ergo erit ſimiliter tubulus, veluti in ali[is] vu[l-]

vulneribus thoracis cum materia contenta in cauitate eius, ſed qui omninò peruenire nequeat ad intimas partes vulneratas congruoque tegumento vulneri extrinſecus appoſito, vt in thoracis vulneribus dictum eſt conuenire, inhibendæ fluxioni incumbendum, per os vero exhibenda medicamenta vim agglutinandi habentia, vbi quidem trachæa arteria vulnerata eſt, quæ ſint lambendo, vt in pulmonis vulneribus, & ab eorum vſu nunquam deſiſtendum, vbi verò œſophagus, paulatim deglutiantur, veluti ſuperiùs in vulneribus ceruicis dictum eſt, vnde & cibaria, & potiones erunt alterandæ, vt ibi dictum eſt. Neque prætermittenda, tranſacto inflammationis termino, vulneraria potio. Detrahendus autem tubulus, quando non amplius excernitur materia, neque adſunt ſigna, quod contineatur in ipſo thorace. Decubitus erit in vulneratam partem.

Agglutinantia per os exhibenda.

Si ſeptum tranſuerſum fuerit vulneratum in carnoſa parte, omni ratione inflammationem prohibere oportet, vulneri imponendus tubulus, medicamentumque ſiccans apponendum, ſed & potiones vulnerariæ citra calidorum permixtionem ſtatim à principio conueniunt, vnde Gal. 5. Meth. 9. Danda eſt opera, vt ea omni ratione ſiccemus, tum per ea præſidia, quæ extrinſecus adhibentur, tum per ea, quæ ex aqua, vinoue tenui bibuntur. De vulneribus ſpinalis medullæ actum eſt ſuperius. In omnibus thoracis vulneribus tuſſis, & præſertim valida, quantùm fieri poteſt, cauenda, maximè autem, vbi pulmones, aut ſeptum tranſuerſum fuerint vulnerata, ex ea enim partes ſpiritales agitantur, vulnus dilatatur, materia ad partem attrahitur, & ad cauitatem effunditur: quod ſi à vehementi tuſſi infeſtetur æger cum vulnere contentarum partium, in maximo periculo eſt conſtitutus. Vehemens quoque inſpiratio cauenda, atque ſuſpiria, clamorque, immò ſilentium ſeruandum, iactatio corporis in hoc, & illud latus. Hiberno tempore ambiens maximè timendus, ideoque maneant in cubili dili-

Curatio vulnerum diaphragmatis.

Tuſſis cauenda in omnibus thoracis vulneribus.

Vehemens inſpiratio cauenda.

genter clauſo, & in quo ſemper ſit ignis aerem calefaciens. Et ſi contingat ægrum à lecto ſurgere, veſtibus probè munitus id faciat. Occaſiones vomendi fugiat, vomitus enim thoracem fatigat. Reliqua, prout in vniuerſalibus dictum eſt, erunt moderanda.

CAPUT LXXI.

De vulneribus abdominis.

Abdominis vulnera non ſecus, ac thoracis alia penetrantia ſunt, alia verò cauitatem non adeunt, quæ penetrant, alia ſunt citrà læſionem contentarum partium, alia verò cum læſione vnius, vel plurium ex contentis partibus, & hæc læſio pertinet, vel ad ipſarum ſitum, eò quòd videlicet portio alicuius ex contentis partibus per vulnus egrediatur, aut ad continuitatem, eò quòd pars aliqua ſit vulnerata. Partes autem contentæ præcipuè ſunt inteſtina, cum tenuia, tum craſſa, omentum, ventriculus, hepar cum veſica fellea, lien, renes, meſenterium, vreteres, ueſica, & uterus in mulieribus. Adnexæ verò partibus continentibus ab interna parte ſunt vena caua, & arteria magna. Vnde pro diuerſitate partium varia quoque ſunt abdominis vulnera.

Signa penetrantis vulneris. Si uulnus cauitatem penetret, plerumque exit inteſtinorum portio, aut omenti, anguſto enim exiſtente uulnere, & per obliquum inflicto, nihil extra uulnus prolabitur, & ideò ſtyli impoſitione, aut candelæ ſcrutari oportebit, num penetret, niſi fortè aut pars prolapſa, ut omentum, aut inteſtina, uel materia per uulnus exiens, puta urina, chylus, aut ſtercus, rem declaret. Id enim aſſequi, immiſſo quopiam per ſiphonem liquore, nunquam tentare conſulerem, certum enim eſt, materiam, quæ immittitur, educi quoque debere, quod per uulnus non rarò difficile eſt.

Non

Non ſat eſt autem dignoſcere penetrationem vulneris, ſed inſuper noſſe oportet, num aliqua contentarum partium ſit uulnerata. Vulneratum autem hepar ſignificat uulnus in dextro hypochondrio ad nothas coſtas, multi ſanguinis per uulnus exitus, uomitus bilis, quamuis non ſemper ſequatur. Ad ſpinam reducta præcordia, dolor uſque ad iugulum, & cum punctionis ſenſu, animi deliquium nonnunquam inuadens. Durities hypochondrii dextri breui ſuccedens, & febris ualida, ac tuſſis, & os ſcapularum intenſum eſt, decubitumque in uentrem pronum magis deligunt, læditur quoque reſpiratio conſentiente diaphragmate, ideò Celſus libro 5. cap. 27. iecinoris vulnerati notæ ſunt multus ſub dextra parte præcordiorum profuſus ſanguis; ad ſpinam reducta præcordia, in ventrem cubandi dulcedo, punctiones, doloreſque vſque ad iugulum, iunctumque ei latus, ſcapularum os intentum. *Signa hepatis vulnerati.*

Lienem vulneratum ſignificant ſitus partis, eſt enim in hypochondrio ſiniſtro ſub nothis coſtis, egreſſus multi ſanguinis nigricantis per vulnus, ſiniſtri hypochondrii durities paulo poſt adueniens, dolorque ad iugulum pertingens. Febris, & ſitis cito ſuperueniunt. Lædi quoque ſolet reſpiratio, diaphragmate per conſenſum affecto, vnde Celſus loco citato: At liene icto, ſanguis niger à ſiniſtra parte prorumpit, præcordia cum ventriculo ab eadem parte indureſcunt, ſatis ingens oritur dolor ad iugulum, ſicut iecinore vulnerato euenit. *Signa lienis vulnerati.*

Ventriculum vulneratum ſignificant locus vulneris, nauſea, & vomitus, & aſſumptorum, & bilis, nec non & ſingultus, egreſſuſque materiæ chyloſæ per vulnus, & eorum, quæ ingeſta ſunt. Animi deliquia, & ſyncope ſæpè vulneratum corripiunt, potiſſimum ſi os eius vulneretur, vnde & ſudores frigidi erumpunt, frigentque extrema, hinc Celſus: Vbi ſtomachus percuſſus eſt, ſingultus, & bilis vomitus inſequitur. Si quid cibi, vel potionis aſſumptum eſt, id redditur cito: venarum motus *Signa ventriculi vulnerati.*

elangueſcunt, ſudores tenues oriuntur, per quos extremæ partes frigeſcunt.

Signa vulnerati ieiuni inteſtini.

Eadem ferè contingunt, ſi vulneretur ieiunum inteſtinum, ſed vulneris locus eſt inferior. Maior etiam ſanguinis quantitas hic, quam ibi per vulnus egreditur, facultas vitalis citius proſternitur, breuique poſt bilioſos vomitus ſequuntur æruginoſi, ſudores frigidi, extremorum frigiditas, & cum ad mortem tendant vulnerati, facultas tamen animalis perſtare videtur, nec proprium ſtatum agnoſcunt, hypochondria tenduntur, ſicuti & quando ventriculus eſt vulneratus. Sæpè dolores ſæui accedunt, & cruciatus per totam aluum.

Signa vulneris tenuium inteſtinorum.

Ab iis parum abſunt notæ vulneris reliquorum tenuium inteſtinorum, neque mirum; plurimis enim neruis, & vaſis referta ſunt tenuia inteſtina, & ideo, cum à vulnere tranſmittatur bilis ad inteſtina, neceſſe eſt dolores, & cruciatus accidere, ſyncope, ſudoreſque frigidos, & reliqua praua ſymptomata.

Signa vulneris craſſorum inteſtinorum.

Si inteſtina craſſa fuerint vulnerata, egrediuntur fæces per vulneris orificium, vel ſaltem ſtercoris odor, cruentaque per aluum deiiciuntur, neque magni faciendus eſt ſitus vulneris, vt quidam rei Anatomicæ ignari faciunt. Ferè ſemper autem vulneratis inteſtinis per anum excernitur ſanguis, aut ſolus, fæcibus permixtus.

Signa vulneratorum renum, & veſicæ.

Renes vulneratos declarant, vt dicebat Celſus, vulneris ſitus, difficultas vrinæ, vel eius cruentæ egreſſus, & dolor ad inguina, teſteſque pertingens. Veſica vulnerata, per vulnus vrina exit, vrinaque cruenta excernitur, vel etiam pro vrina ſanguis: Pecten tenditur, & dolet, dolent & ilia. Eadem ferè ſequuntur vulneratis vreteribus. Sæpeque per conſenſum afficitur ventriculus, vt nauſea, & bilis vomitus ſequuntur, & ſingultus, & animi deliquia, atque extremorum frigiditas, vnde Celſus. Veſica vulnerata dolent inguina. Quod ſuper pubem eſt, intenditur; pro vrina ſanguis, aut ex ipſo vulnere vrina de-

deſcendit, ſtomachus afficitur; itaque aut bilem vomunt, aut ſingultiunt, frigus, & ex eo mors ſequitur.

Signa vteri vulnerati.

Vtero vulnerato ſanguis per muliebre pudendum egredietur, dolor inguina, & coxas affligit, nonnunquam obmuteſcunt, aliæ delirant, aliis grauitas, & dolor ſincipitis, capitis, & oculorum accidit; ſuccedunt etiam vomitus bilioſi, ſingultus, animi deliquia, & ſyncope, frigidi ſudores, extremorum frigiditas, mortis præludia. Hinc Celſ. at cum vulua percuſſa eſt, dolor inguinibus & coxis, & femoribus eſt; ſanguinis pars per vulnus, pars per naturale deſcendit, vomitus bilis inſequitur. Quedam obmuteſcunt, quædam mente labuntur, quædam ſui compotes, neruorum, oculorumque dolore vrgeri ſe confitentur, morienteſque tandem, eadem, quæ corde vulnerato, patiuntur.

Signa vulneris venæ cauæ & arteriæ magnæ.

Venam cauam, aut arteriam magnam vulneratam breui, vel etiam momento mors ſequitur ob inſignem ſanguinis profuſionem. Si quis naturam, & dignitatem vulneratorum membrorum conſideret, haud difficili negotio abdominis vulnerum quantitatem metietur, & quæ ex ipſis facilius, & citius magnitudinem ratione facultatis ſibi adnectant, comperiet, & ex conſequenti, quæ ſanabilia ſint, & quæ inſanabilia, & quæ facilius, quæque difficilius ſanentur.

Præſagia Vulnerum hepatis.

Hepatis enim vulnera, vtpote quod membrum princeps eſt, & officina ſanguinis, maxima ſunt, & cum multa vaſa, & inſignia in ipſo reperiantur, vt principio, & radice venarum omnium, ſequi ſolent, ſi magnum ſit vulnus ſecundùm propriam eſſentiam, maxima ſanguinis profluuia, & quæ ſiſti quauis arte nequeunt, vnde Gal. 6. Aph. cum 18. Hepar vero vulnera habet plurimo manantia ſanguine, atque idcirco moriuntur prius, qui ita ſunt vulnerari, quàm vulnera agglutinentur: dixi autem, ita volens intelligi etiam venam eſſe diſſectam. Ob hoc ipſum igitur qui vulnera in ſumma eius parte conſiſtentia aiunt ſanari, & fibras epatis abſtuliſſe, verum viden-

dentur dicere. Addamus, quod iecoris ſubſtantia vt calida, & humida putredini eſt valde obnoxia, ideoque magna iecoris vulnera lethalia ſemper fuere iudicata, vt quæ cito ſibi aſſocient magnitudinem ratione facultatis. Addamus, quod iecur copioſo ſanguine refertum facilè inflammabitur, quanti autem momenti ſit hepatis inflammatio, nemo ignorat, ardentes enim febres ſequuntur, corruptiones, & abſceſſus, & alia praua ſymptomata. Præterea ſanguis effuſus intra abdomen, neceſſario putreſcens, febres, dolores, & alia praua ſymptomata concitat. Nihil mirum ergo, ſi Hip 6. Aph. 8. & lib. de Coacis prænot. talia vulnera inter lethalia connumerauerit, quamuis non defuerint, qui exiſtimauerint, talia vulnera ſanari poſſe, eò quòd, dicunt quamuis iecur ſit officina ſanguinis, non ob id à uulnere facultas hæc tollitur, ſi quidem vna tantum eius pars vulneratur, & reliquæ poſſunt proprium officium exercere: ideoque magis ſanari poſſe dicunt, quoniam hepar plurimo naturali calore præditum eſt, & ſanguis bonus non deficit pro regeneratione ſubſtantiæ deperditæ. Sed non animaduerterunt iſti pericula ex inflammatione ſubſequente, & ſanguinis profuſionibus. Equidem vulnus parum in ſumma eius parte, videlicet eius extremis conſiſtens, cum non ſequatur profuſio illa ſanguinis, & minus fiat caloris naturalis diſpendium, ſanari poſſe haud negarem. Et ego quoque curaui iuuenem quendam ad nothas coſtas partis dextræ pila plumbea tormento manuario exploſa transfixum; ex quo vulnere maxima ſanguinis copia exierat, vomituſque bilis, & ſyncope acceſſerant, vt à principio eius tanquam deſperati, & mox perituri nulla fuerit habita cura, qui tamen Dei beneficio præter ſpem conualuit; tumor enim ingens cum tenſione valida totum hypochondrium dextrum corripuerat, febriſque ingens aderat, ſitis inexhauſta, anhelitus difficultas; atque tuſſicula, & inſuper eidem vtrumque femur alia pila ſimiliter tormento exploſa erat traiectum. Non multis etiam

etiam ab hinc diebus in Ferrarienſi xenodochio militem ſanauimus ab omnibus deploratum, qui in baſi iecinoris ſatis magnam acceperat plagam.

Ferè ſunt æque periculoſa lienis vulnera, quamuis enim eius non ſit æqua dignitas, ac hepatis, inſignia tamen vaſa per ipſum diſſeminantur, vnde inſignes profuſiones ſanguinis contingunt, quibus occurrere non poſſumus. Superficialia tamen eius vulnera, & quæ in extremitatibus eius contingunt, vt quæ maiora vaſa non lædunt, ſanari poſſe non eſt diffidendum, caro enim lienis mollis eſt, & ſpongioſa, & facilè ex ſui natura coaleſcit. *Vulnera lienis quanti momenti.*

Ventriculi vulnera magna ſunt, tum quoniam pars eſt, cui prima coctio debetur, tum propter ſubſtantiam eius nerueam, attamen, quoniam tunica exterior cornoſa eſt, ſi ſola vulneretur minus periculi ſubeſt, ſæpiuſque agglutinantur, at ſi tota ventriculi ſubſtantia fuerit ſauciata, maximum erit vulnus, quod cito ſibi adnectit vehementiam ratione facultatis, idque propter tunicæ internæ nerueam ſubſtantiam, cuius ratione non ſolum agglutinatio non facilè ſperari poteſt, verùm etiam dolores, & inflammationes contingunt. Addamus, quod ventriculus ferè in continuo eſt motu in re cibi, laborant enim fibræ eius & in attrahendo, & in retinendo, & in expellendo, ab inſumptiſque diſtenditur, & opprimitur, quo fit, vt niſi exigua ſint vulnera, vix ſperanda ſit ſalus, cum præſertim non ſint ad manus, ob idque non poſſit congrua medela adhiberi, eoque minus ſperanda eſt ſalus, quo magis fuerit ſtomacho proxima, in quo vulnera exiſtentia propter exquiſitum ſenſum, & nerueam ſubſtantiam omnino ſunt deplorata; nam promptè admodum in conſenſum cor trahitur, non ſecus ac in cardiaca, & praua ſequuntur ſymptomata, quæ in vulneribus tenuium inteſtinorum ſequi diximus. Non minus coafficitur cerebrum, ac totum neruoſum genus propter inſignes neruos, qui à ſexta coniugatione ad ſtomachum feruntur. Sola igitur exigua vulnera, & in fundo præſertim *Ventriculi vulnera an ſanabilia.* *Vulnera oris ventriculi deplorata.*

ſertim exiſtentia, cum non leue beneficium à medicamentis ingeſtis, quæ irrefracta eo perueniunt, poſſint recipere, & ea pars non adeo exquiſito ſenſu ſit prædita, nec adeo in conſenſum trahat, principalia membra ſanari poſſint.

Ex quibus intelligi poteſt mens Hippocratis ſexta Aph. decimo octauo, magna ventriculi vulnera, quæ verbo illo diſciſſa, vt notauit Galenus, voluit nobis ſignificare, eſſe lethalia. Hinc Galenus in commentario illius Aph. Tenuium inteſtinorum natura, & ventriculi magis, non parum participant carnoſæ ſubſtantiæ, & ideò in ſumma parte vulnerata ſæpius agglutinantur, tota autem diſciſſa vſque ad eorum cauitatem, rariſſimè, (inquit rariſſimè, vt exigua vulnera excipiat, quæ interdum ſanantur) hoc autem non, vt mihi videtur, propter eorum ſubſtantiam accidit, ſed quoniam non poſſumus æquè intrinſecus, ſicut extrinſecus imponere vulneribus medicamentum. Et ſexto Meth. ſexto: Carnoſæ infernæ partes curationem recipere poſſunt, quæ in ore eius, & gula difficilius. Si verò talia vulnera fuerint cum ſubſtantiæ defectu rariſſimè curationem recipiunt, antequam enim, quod deperditum eſt, reparetur, lethiferæ calamitates eueniunt.

Vulnera ieiuni inteſtini deplorata.

Quæ verò in ieiuno inteſtino contingunt, omninò ſunt deplorata, ſi vſque ad cauitatem penetrent, propter neruearn ipſius ſubſtantiam, tenuitatemque tunicæ, & vaſorum etiam inſignium copiam, tum quoniam maximè propinquum eſt iecinori, & ſincera bilis ad ipſum defertur, vnde dolores inſignes, ſyncope, ſudores frigidi, frigus extremorum, vomitus primum bilioſi, dein æruginoſi, & mors cita, & ideò Galenus ſexto Meth. ſexto, ieiunum omninò incurabile aſſerit, tum propter magnitudinem, multitudinemque vaſorum, tum quod tunica eius prætenuis, neruoſaque eſt, & quod tum bilem ſinceram hoc inteſtinum recipit vniuerſam, tum quod omnium iecinori maximè proximum eſt.

Paulo

Paulo minus periculoſa ſunt reliquorum tenuium inteſtinorum vulnera, & propterea Hippocrates ſexta Aph. 18. tenuium inteſtinorum omnium vulnera, quæ ad internam cauitatem penetrant, lethalia ſtatuit, quia ſimiliter & neruoſa ſunt, & tenuiſſima tunica conſtant, multaque vaſa per ipſa diſſeminantur, quia tamen non adeo ſinceram bilem recipiunt, neque ſunt adeo proxima ventriculo, & hepati, non æquè cita mors euenit, immo nonnulli ſanantur, propterea Galenus ſexto Meth. ſexto, non prorſus lethalia, ſed difficilia huiuſmodi vulnera appellat. Craſſa vero inteſtina curationem recipiunt, quoniam carnoſa magis ſubſtantia conſtant, vnde faciliùs agglutinantur, minus etiam dolorifica ſunt. Præterea ſuturam adhibere poſſumus, quæ in tenuibus valdè ſuſpecta eſt propter exquiſitum eorum ſenſum, & nerueam ſubſtantiam. Vnde Gal. 6. Meth. 6. Craſſa inteſtina vulnerata facilia ſanatu confitetur. Si deperdita fuerit inteſtini craſſi ſubſtantia, raro integra ſanitas ſequitur, ſed vlcus remanet, per quod fæces, & excrementa alia aſſiduo effluunt, cum quo multos etiam annos viuunt.

Tenuium inteſtinorum omnium vulnera periculoſiſſima.

Renum vulnera, niſi ad interiorem cauitatem penetrent, quoniam carnea ſubſtantia conſtant, ex ſui natura agglutinari poſſunt, verùm periculum imminet ab inflammatione, quæ ſi ſuperueniat, admodum lethalis eſt. Si vero cauitatem penetrent, niſi admodum exigua ſint, etiam afferre ſolent mortem, raroque coaleſcunt propter continuam vrinæ percolationem.

Vulneratorum renum præſagia.

Veſicæ ſimiliter vulnera in parte exangui omnino agglutinari non poſſunt, tum quia neruea eſt, & exanguis, ac tenuis, tum propter vrinæ continuam percolationem. Vnde niſi valdè exigua ſint, & in puerili ætate, incurabilia ſunt, ideò Gal. 6. Aph. 18. Si veſicæ tunica vſque ad inferius ſpatium fuerit diſciſſa, apud omnes in confeſſo eſt, ipſam non coaleſcere, quia neruoſa eſt, ac tenuis, & exanguis. Et Ariſt. 3. de hiſt. anim. capit. 15. Nec veſica præciſa coire poteſt, niſi ad ipſum exordium ſuæ cerui-

Veſicæ vulnera in parte exangui agglutinari nequeunt.

ceruicis. Vnde Hippocrates 6. Aph. 18. inter lethalia vulnera hæc recenſuit. Si tamen vulnera contingant in parte ipſius, vbi veſica à lateribus ligatur, niſi inſignia fuerint, agglutinari poſſunt, quoniam à ligamento illo caro exoriri poteſt, difficulter tamen propter vrinæ aſſiduam percolationem.

Vreterum vulnera lethalia.

Vreteres vulnerati mortem inferunt, quoniam cum neruoſæ ſint ſubſtantiæ, & aſſiduè per ipſos percoletur vrina, omninò agglutinari nequeunt, vnde ad cauitatem abdominis illabitur vrina, & hydrops lethalis ſuccedit.

Vteri vulnera praua.

Vteri quoque vulnera & ipſa praua admodum ſunt tum propter vaſa per ipſum diſſeminata, tum & magis propter neruoſam ipſius ſubſtantiam, & connexum cum partibus principibus, ideoque facilè ventriculus, cor, & cerebrum conſentiunt, & praua ſuccedunt ſymptomata, quia tamen ſubſtantia eius etiam carnoſa eſt, ſi inflammatio prohibeatur, poteſt ſperari ſalus.

Vulnera penetrantia, etiam citra læſionem contentarum partium periculoſa

Quod verò ad penetrantia vulnera, verùm citra læſionem contentarum partium, nullum citra periculum exiſtimandum, poſteaquam aer ambiens haud præparatus ingrediens, viſcerum naturalem calorem labefactat. Materia quoque non rarò copioſa ad cauitatem abdominis illabitur, quæ non leue negotium faceſſit, dum corrumpitur, & viſcera partim contactu, partim prauis halitibus afficit, ſuppurare enim neceſſe eſt ſanguinem in ventrem effuſum, vt dicebat Hippocr. 6. Aph. 20. Inteſtina etiam quandoque egrediuntur, & propter occurſum aeris tumeſcunt, & flatibus diſtenduntur, vt difficili admodum negotio reducantur, & quandoque etiam gangræna afficiantur. Vnde & exigua vulnera cum egreſſu inteſtinorum periculoſiora ſunt paulò amplioribus. Maius etiam periculum afferunt vulnera in medio abdominis exiſtentia, quam quæ in lateribus, tum propter nerueas aponeuroſes, tum quoniam hac parte maximè inteſtina prodeunt, & difficilius intromiſſa continentur, ſuturaque difficilius adminiſtratur.

His

His addi poteſt periculum, quod inuehunt penetrantia vulnera abdominis, videlicet herniæ perpetuæ inteſtinalis, aut omentalis, eò quòd peritonæum diſſectum non agglutinetur, eo autem non agglutinato, neceſſe eſt, inteſtina, vel omentum procidere. *Penetrantia vulnera inducunt periculum herniæ inteſtinalis perpetuæ.*

Obſeruaui tamen ego in muliere lacerato peritonæo, & conſuto, ſicuti communiter conſuuntur vulnera, poſtquam ſutura ob vulneris qualitatem aliter adminiſtrari non poterat, quamuis laceratio fuerit magna, vt manus immitti potuiſſet, nihilominus ita perfectè coaluiſſe, vt nunquam prociderint inteſtina. Extra vulnus etiam quandoque omentum excidit, & ipſum, niſi citò introducatur, putreſcat neceſſe eſt, ab aere alteratum, vt ait Hip. ſexta Aphor. 28. calor enim, quo conſeruatur, euaneſcit, & ab ambiente deſtruitur. Quæ verò cauitatem abdominis non penetrant, minimè periculoſa cenſenda ſunt, niſi valdè magna exiſtant, aut ſecundùm propriam eſſentiam, aut facultatis ratione. In penetrantibus vulneribus abdominis, ſi prociderint inteſtina, ac nigra euaſerint, caſus eſt deſperatus.

CAPUT LXXII.

De curatione vulnerum abdominis.

VVlnera abdominis non penetrantia eandem expoſcunt curationem, quam vulnera reliquarum carnoſarum partium. At ſi penetrent, citra tamen læſionem, & egreſſum contentarum partium, & citra ſubſtantiæ deperditionem, quoniam per vulnus ingreſſum habet ambiens, ex quo viſcerum naturalis calor aeri non aſſuetus non leue diſpendium poteſt contrahere, quamprimum agglutinandum eſt vulnus, ſed cum hoc opus ſit naturæ, & eam impediat diſtantia labiorum, hæc in primis manuum noſtrarum opera erunt adducenda idonea futura. Glutine ſiquidem

in talibus vulneribus vti non poſſumus, eò quòd peritonæum, tanquam exanguis membrana, omnino agglutinari mutuo non poteſt, eo autem diſrupto, neceſſarium erit in poſterum inteſtina excidere, itaque cogetur patiens in poſterum ferre deligationem, quæ herniis debetur. Ne ergo id inconueniens contingat, neceſſarium erit, eo pacto vulnus conſuere, vt quoniam peritonæum peritonæo non agglutinatur, agglutinetur tamen muſculis; hoc aſſequemur, ſi eo pacto conſuamus vulnus, vt hinc inde peritonæum muſculis ipſis adducatur, ideo acus filum ducens primo ab externa vulneris parte eſt traiicienda, ita vt & cutis, & muſculi, & peritonæum ſimul traiiciantur, ex oppoſito vero à parte interna vulneris intacto peritonæo muſculi primum, & cutis traiiciendi, ab eadem poſtea parte ſemidigiti interſtitio extrinſecus infigatur acus ſic, vt cutis, & muſculi, & peritonæum ſimul traiiciantur, ſed in oppoſita parte ab internis extrinſecus infigenda acus ſic, vt intacto peritonæo muſculi, & cutis traiiciantur, & ſic deinceps, donec tot puncta iniecta fuerint, quot erunt neceſſaria, vel è conuerſo omittatur peritonæum in prima acus iniectione, & in oppoſito comprehendatur vna cum muſculis, & cute ſic, vt peritonæum primo perforetur, & in ſecundo puncto immiſſa ab externo huiuſmet labii acu, & ſimiliter præterito peritonæo inoppoſita comprehendatur peritonæum vna cum muſculis, & cute, & ſic viciſſim vno puncto omittatur, & altero apprehendatur peritonæum; quoniam autem non leue onus ſubeunt hæc puncta, ne ab ipſis ſcindatur caro, debent iniici procul à vulneris ore ferè digitum.

Modus conſuendi inteſtina.

Hunc ſuendi modum comprobauit, & explicauit Galen. 6. Method. 6. & re vera nullum alium reperire licet, quo agglutinari aliquo modo peritonæum poſſit, namque, ſi communi ſutura vti volueris, ita ſcilicet, vt vel vtraque ex parte peritonæum traiicias, vel intactum dimittas, peritonæum non agglutinabitur, atque ita poſt ſanationem vulneris inteſtina, aut omentum à peritonæo con-

contenta prorumpent, & tumorem incurabilem efficient. Quamuis ego obſeruauerim in magna peritonæi diſruptione, conſuto peritonæo, cum peritonæo nunquam tamen inteſtina excidiſſe. Mulier enim à boue cornu icta fuit in abdomine à dextra parte paulò ſupra pubem, ſic, vt vi ictus cutis, & muſculi ferè ad quantitatem expanſæ manus à ſubiecto peritonæo fuerint eleuati. Vbi autem terminabatur ſeparatio, peritonæum à carne fuit diſruptum magna diſruptione, & egreſſa magna inteſtinorum moles: his autem intro reductis, quoniam hic locum habere non poterat dictus ſuendi modus, poſteaquam peritonæum non erat diſruptum, vbi muſculi, & cutis erant vulnerati, ſed muſculi, & cutis quamuis à lateribus vſque ad peritonæum diſruptum à reliqua cute, & muſculi eſſent diuiſi, tegebant totum peritonæum detectum, & diſruptum: quod potui, feci, prædicens enim poſt curationem, & ſanationem futuram herniam, ne inteſtina curationem remorarentur, peritonæum conſui, deinde muſculis, & cute in proprium locum reductis à lateribus ſutura adhibita, labia coniunxi, infernam verò partem inconſutam reliqui, vt generanda ſanies, quæ in magna copia expectari poterat, ob lacerationem inſignem carnis, & pinguedinis, exitum haberet. Conualuit, neque tamen in poſterum tumor aliquis apparuit; quod maxima dignum eſt admiratione, eoque magis, quoniam mulier illa ad quinquageſimum annum acceſſerat. *Hiſtoria.*

Sed, quoniam huiuſmodi præter rationem contingunt, non oportet alicui particulari euentu fidere, ſed quæ rationi conſona ſunt, hæc oportet ſectari, reliqua potiùs admirari, quam imitari. In dicto caſu ſi peritonæi diſruptio fuiſſet exigua, & ſecundùm rectitudinem fibrarum, ego ſectionem in cute, & muſculis feciſſem è directo diſruptionis peritonæi, ſi infirma, & aſſiſtentes admiſiſſent, immò præcepiſſent, volentes euitare periculum illius tumoris, verùm in magna peritonæi diſruptione, & non ſecundùm fibrarum inceſſum, omninò non erat tentandum

dum id genus auxilii: ſit ergo conſtitutum, ſolùm eam ſutnram debere eſſe ex vſu, quæ peritonæum ad muſculos adducit. Et hæc, vt faciliùs perficiatur, opus eſt, ſi vulnus fuerit magnum, vt miniſter manibus totum vulnus extrinſecus apprehendat ſic, vt labia interiora extrinſecus vergant, quò Chirurgus facilius puncta iniiciat iuxta exigentiam. Debet ſimiliter intro comprimere, ne inteſtina impedimentum inferant, & paulatim apprehenſum vulnus detegere, atque ſuenti veluti exhibere, & quod conſuitur, debet modicè comprimere, vt æquentur partes, donec totum ſit conſutum, vnde Gal. 6. Meth 4. Cæterum repoſitio inteſtinorum in ſuum locum, vbi ex magno exciderunt vulnere, planè miniſtrum poſtulat dextrum. Debet enim vbi manibus ſuis totum vulnus extrinſecus apprehenderit, intro reprimere, tum conſtringere, ac exiguum ſemper ſuenti prænudare: quin etiam id ipſum, quod aſſutum eſt, modicè comprimere, quoad totum perſuatur. Non committendum autem, vt vi fili adſtringantur diſſidentia labia, fortè enim potiùs cutis, & caro diſrumpetur, ſed manibus, iniecto filo, conſtringenda labia, inde nectendum filum. Vnumquodque autem punctum duplici nodo firmandum, quamuis aliqui ſolùm nectant duobus iniectis punctis, neque ſupra vulnus nexus faciunt, ſed extra ipſum, dum enim primum punctum iaciunt, relinquunt fili portionem prominere, qua nexus fieri poſſit, deinde acu per oppoſitum labium traiecta, per idem labium ab externo ad labium, quod primò fuit traiectum, relicto conuenienti interuallo, ab interno extrinſecus ducunt, & deindè cum filo pendulo, quod in primo puncto relictum fuit, nexus faciunt adſtringentes, & ſic deinceps procedunt, donec totum vulnus ſit conſutum. Atqui prior ſutura meliùs labia ſecundùm omnem partem adducit. Adductis labiis eadem prorſus curatio conuenit, quæ in reliquis vulneribus. quæ ſutura indiguerunt. At ſi vulnus fuerit cum deperditione ſubſtantiæ, vt contingit per vulnera tormento bellico inflicta,

Sutura quomodo miniſtranda.

inflicta, nequaquam adducenda ſunt labia, ſiquidem oportet, vt vnio fiat per carnem genitam, ideoque talia vulnera curanda erunt, ſicuti vulnera caua. Et prohibendus omninò aeris ingreſſus, tanquam viſceribus valdè nocuus. Si tamen labia valdè diſſiderent, nec eſſet ab re eadem proximiora reddere ſic enim facilior ſequetur curatio. Cum verò fæces aſſiduò per vulnus exeant, hic neceſſaria erit crebra ſolutio, & abſterſio.

Si verò omentum, aut inteſtina exciderint, hæc introduci poſtulant, non ſolùm quia extra proprium ſint ſitum, verum etiam quoniam vulneris ſanationem impediunt. Quando autem omentum excidit, ne corrumpatur, ab externo aere diſſipato, & extincto eius calore, quamprimum introducendum eſt, dein conſuendum vulnus, vt ſupra. Verum ſi diutius extra vulnus extiterit, aut iam liuidum, vel nigrum euaſerit, corrumpatur neceſſe eſt, atque ideo ne corruptio hæc intra abdomen fiat, totum, quod prominet, incidendum, & abiiciendum. Quoniam autem omentum plurimis ſcatet venis, ne ſanguinis profuſio accidat, antequam ſecetur, vinculo totum, quod prominet, excipiendum erit, dein iuxta vinculum ſecandum, vnde Galen. 6. Method. 4. Quando omentum excidet, & ideo liuet, aut nigricat, id quod ſupra nigricans poſitum eſt, vinculo excipiemus, quod poſt eſt, amputabimus, aliqui etiam vrunt, ſed parum refert. Diſſecta ea omenti portione, quod intra vulneris labia continetur, introducendum, ita tamen, vt fili non exigua portio extra vulnus pendulum relinquatur, quo, vbi natura ſeparauerit ſanum à corrupto, quod circa quartam contingere ſolet, quod corruptum eſt, eo filo mediante, extrahi poſſit. Vnde Gal. 6. Meth. 4. Et curabimus, vt vinculi fines extra pendeant, quo nimirum facilè eos, cum ex vulnere ſuppurante euomentur, recipiamus. Introducto igitur omento, apponatur medicamentum, quod ſuppurationem adiuuet, ne agglutinetur, & apponatur puluillus, qui comprimat, ne iterum omentum excidat,

De omenti procidentia.

fiat-

fiatque idonea deligatio, & quarta, aut quinta die detegatur, extrahaturque omenti portio, quæ diſceſſit, modò diſceſſerit, & deinde conſuatur vulnus, veluti ſupra dictum eſt, ſi opus fuerit: ſi verò inſigne eſſet vulnus, per quod omentum exiit, intromiſſo omento, portio vulneris conſuenda, ne iterum omentum excidat, & educto omento, quod diſceſſit, penitus conſuatur vulnus.

De inteſtinorum prolapſu. Si verò inteſtinum fuerit prolapſum, citra tamen offenſam, quamprimum introduci poſtulat, malè ſiquidem ab aeris contactu afficitur, & etiam flatu repletur, vnde difficilior redditur repoſitio, dein conſuendum vulnus, applicandumque idoneum medicamentum, quod videlicet agglutinationem adiuuet, ac proſpiciendum, ne qua præſtantior pars ſimul afficiatur, vnde 6. Meth. 4. In vulnere abdominis penetrante principio id agendum eſt, vt inteſtina, quæ exciderunt, in ſuum locum reducantur; ſecundò, vt vlcus ſuatur; tertiò, vt medicamentum imponas, quarto, vt ne qua præſtantior pars ſimul afficiatur; proſpicias. A primo igitur capite exorſi, ſi vulnus ſatis amplum ſit, neque multa inteſtinorum portio egreſſa fuerit, neque turgida ſint, facilè ad proprium locum reducuntur: neque tamen confertim, & ſimul introducenda inteſtina, ſed paulatim impellenda, ita, vt ab vna tantùm parte impulſio fiat, neque in ſummitate prolapſi inteſtini, ſed iuxta cutem exordiri oportet impulſionem, ſic enim melius reducetur, neque periculum erit, vt perperam, & non ſecundum proprium ſitum, circumuoluta introducantur, quod eſſet maximum erratum.

Si flatibus turgeant inteſtina, diſcutiendi, & quibus. Si verò anguſtum ſit vulnus, flatibuſque turgeat inteſtinum prolapſum, quemadmodum contingit, quando diutius extra vulnus permanet, vt ex hoc formen, ſeu vulnus ipſum non admittat, diſcutiendi flatus, priuſquam tentetur reductio; quoniam autem præ frigore ambientis geniti fuere hi flatus, calefacientibus erunt quoque diſcutiendi, aliter citra dilationem vulneris intromitti non poſſent;

poſſent; tutius autem eſt diſcutere flatus, quam amplius reddere ipſum vulnus, vt dicebat Galen. 6. Meth. 4. itaque ſpongia molli, vel alia re conſimili aqua calente imbuta, dein expreſſa fouere inteſtina prolapſa oportebit. ſed vinum potens longè erit melius, nigrum & auſterum, quo non ſolùm melius diſcutientur flatus, verum etiam robur ipſis inteſtinis præſtabitur. Vt autem ſpongia diutius calorem ſeruet, tegenda erit duplicatis, aut triplicatis linteis actu calidis. Optimè etiam flatus diſcutiunt omenta vervecis recens ab animali adhuc vivente extracta, & cum hoc ſuo naturali calore applicata, panniſque calentibus tecta. Similiter pulmone arietis, porcelli vivi diſſecti, vel alia animalia. Frequentius tamen utimur vino, aut aqua, quoniam magis ſunt in promptu, in quibus etiam interdum incoquuntur camæmeli flores, lauri folia, anethum, fœniculi ſemina, ruta, & huiuſmodi. Diſſipatis flatibus tentanda erit reductio, quæ, vt facilius ſuccedat, oportebit, vt patiens ita decumbat, vt vulnus ſurſum ſpectet, & inteſtina in abdomine contenta in contrariam partem ferantur, aliter contenta in abdomine inteſtina grauarent, & impellerent magis extra poſita, & reſtitutionem impedirent. Vnde Galen. 6. Meth. 4. Situs laboranti appoſitus fuerit, cum in inferiore parte factum vulnus eſt, ſi ſurſum vergat; cum verò in ſuperioribus, ſi deorſum. Vnum autem vtrobique cauetur, ne quod exciderit, ab aliis quidquam inteſtinis degrauetur. Itaque ex hac ratione conueniet, vt ſi in dextris vulnus ſit, corpus in contrariam partem inclinetur, ſi in ſiniſtris ſit in dextram, ſic, vt quæ vulnerata pars eſt, ſemper altiorem locum occupet. Atque hoc tum in magnis, tum in mediocribus vulneribus conducibile fuerit. At ſi vel quia flatus diſcuti non poſſint, vel quia nimis anguſtum ſit vulnus, introduci nequeant, neceſſarium erit ſectione vulnus ſufficienter amplum reddere: ad quam efficiendam appoſitus erit curuus ille ſcalper altera tantùm ex parte aciem habens, qui vulgo gamaut appellatur,

Vulnus quomodo dilatandum.

tur, in cuius extremo adſit corpuſculum ad ſimilitudinem lentis, nec mucrone præditum inteſtina pungat, qua etiam ratione euitamus illa, quibus vtrinque eſt acies, ne diſſecentur inteſtina. Et incipienda eſt ſectio ab ipſo vulnere, reſpiciente parte obtuſa ſcalpelli ipſa inteſtina. Facta idonea ſectione introducantur inteſtina, & conſuatur vulnus, atque idoneum medicamentum apponatur.

Verùm ne præſtantior pars ſimul afficiatur, animaduertere oportet, priuſquam fiat reſtitutio, num inteſtina ſint ſanguine fœdata, aut alia re conſpurcata, vel ipſis etiam adhæreat peregrinum aliquod corpuſculum, tunc enim prius ſedulo ſunt abluenda ab omni ſorde, & peregrinis corpuſculis: ſi eo pacto conſpurcata introducerentur, putredines acciderent, quæ non ſolùm ipſis inteſtinis, ſed & ventriculo, & hepati, & aliis partibus principibus negotia faceſſerent, & ideò vbi ſectione opus eſt, antequam intromittantur, ſupprimere ſanguinem expedit, qui ex ſectione funditur, ne, dum reducuntur, ſanguine inquinentur. Et vt omninò ſimus ab hoc periculo tuti, quando ſæpe fieri non poteſt, quin ſanguinis aliqua portio cauitatem ipſius abdominis ingrediatur, oportebit emunctoria fouere, & relaxare, quo, ſi quid fuerit in cauitate abdominis contentum, ad illa tranſmittatur, & digeratur, poſteaquam vulnus inconſutum relinquere omninò eſt præter rationem, niſi materiæ intra cauitatem contentæ quantitas cogat, ideòque frequenter inungantur partes illæ oleo communi calente, vel camæmelino, atque amygdal. dulc. neque butyrum recens, & oleum ſem lini improbandum, & ab inunctione lanam non lotam calentem apponere vtile erit. Pariter, & totum abdomen aliquo moderatè calefaciente, & rarefaciente medicamento inungendum, tum, vt ſi quid contineatur, digeri facilius poſſit, tum etiam, vt, ſi viſcera ob aeris ingreſſum quid damni receperint, corrigatur id totum. Optimum autem erit oleum camæmelinum, anethinum, liliorum alborum, amygd. dul. rutaceum, & lana mollis calens

calens ſuperimponenda. Non minus conducet clyſterem immittere vim habentem inteſtina corroborandi, & corrigendi, quicquid propter aeris contactum paſſa fuerint, cuiuſmodi erit, ſi ex vino rubro, & adſtringente paretur, vel ex oleo camæmelino, & iure in quo flores camæmeli bullierint, & huiuſmodi. Præterea proſpicietur, ne pars præſtantior afficiatur, ſi quamprimùm reducantur, & vulnus conſuatur, atque ita aeris ingreſſus prohibeatur.

At ſi vulnerata fuerint inteſtina, priuſquam introducantur, idonea ſutura, vt ait Celſus lib. 8. ſunt conſuenda. Quod ſi fuerint vulnerata, verùm extra vulnus non prociderint, ampliori reddito vulnere, eadem extrahere oportebit, quando commodè fieri hoc poſſit. Atque conſuere eo prorſus modo, quo pelles conſui ſolent.

Errata ſolent committi in ſutura inteſtinorum.

Sed in hac ſutura erratum notatu dignum committi ſolet; recta enim vtraque labia perforant, & labium cum labio ſecundùm plurimum non adducitur, ſed vnum labiorum ſanæ parti oppoſiti labii ſecundùm multam ſaltem ſui partem adhæret, quo fit, vt agglutinatio non ſequatur, ſiquidem labia debent eſſe coniuncta ſecundùm partem ſolutam, neque adnectitur ſoluta pars ſanæ. Ne ergo id contingat, opus eſt non recta vtrumque labium vulneris traiicere, ſed oblique acus ab externo inſigatur verſus coſtam internæ partis ſolutæ, vt per fines ſolutæ, & ſanæ partis exeat, quaſi velis intimam ſuperficiem inteſtini vtraque ex parte intactam relinquere, & in oppoſito labio ab interno per eandem finem extrorſum impellenda, & ita deinceps reliqua puncta iniicienda, donec totum vulnus ſit conſutum: ſemperque ab eadem parte traiicienda acus, vt fiat pellionum ſutura. Aliter ſi fiat ſutura, raro rectè committuntur labia, vnde non mirum poſtea, ſi putrefactis punctis inglutinatum remaneat vulnus, & praua ſequantur ſymptomata, collectis fæcibus in abdominis cauitate. Peracta ſutura, vulnerato inteſtino aliquid apponatur, quod naturalem eius calorem foueat, & agglutinationem adiuuet, præſtantiſſimum eſt autem

Inteſtinum quomodo conſuendum.

artefactum balſamum illitum. Neque improbandum oleum noſtrum de hyperico, item abietina lachryma, liquor vlmi folliculis incluſus, lachryma abietina, qua diſſolutum ſit Peruvianum balſamum, maximè laudanda eſt. Item puluis ex eodem balſamo paratus, maſtiche, ſarcocolla, & lachryma ſanguinis draconis. Appoſito ergo aliquo ex his medicamentis, ſenſim introducenda inteſtina, dein conſuendum vulnus.

Craſſa inteſtina vulnerata iis, quæ per ſedem iniiciuntur curanda.

Vt verò melius agglutinatio perficiatur, ſi inteſtina vulnerata fuerint craſſa, quoniam per ſedem immiſſa ad ea perueniunt, ex vſu erit clyſteres iniicere quotidie, vim agglutinandi habentes, puta ex vino nigro auſtero, in quo incoqui poterunt adſtringentia, & ſiccantia, vt roſæ, cortices granatorum, plantago, equiſetum, centauria minor, ophiogloſſum, radices biſtortæ, tormentillæ, & huiuſmodi: hæc eadem ſi in aqua plantaginis chalybeata incoquantur, non erit ab re. Lumbrici terreſtres decoctionibus additi mirifice conducunt. Vtiliter etiam iniicietur ſuccus equiſeti depuratus cum bolo Arm. or. & lachryma ſang. drac. tenuiſſime puluериſatis. Quæ pariter decoctionibus addi poterunt, & vnà cum oleo hypericino completo.

De vulnere inteſtinorum tenuium. Potio vulneraria.

Si verò tenuia fuerint vulnerata, non per ſedem tantùm, ſed & per os exhibenda agglutinantia, itaque paranda erit vulneraria potio, veluti in thoracis vulneribus dictum eſt, ſemotis tamen calidioribus medicamentis. Optima erit, ſi paretur ex decocto plantaginis, equiſeti, nummulariæ, centaurii minoris, geranii ſexti, piloſellæ, pyrolæ, polygoni, rad. conſolidæ, tormentillæ, biſtortæ, ligni lentiſcini, nec non & puluere boli Arm. or. lachrymæ ſang. drac. terræ ſigillatæ, & huiuſmodi. Neque contemnendum erit roſaceum ſaccharum vetus cum bolo, terra ſigillata, puluere equiſeti, & radicum conſolidæ, addito modico ſyr. de roſis ſiccis, aut myrtyno, vel de ſymphito, vt mellis conſiſtentiam acquirat. Trochiſci ex charabe, ſaccaro roſaceo permixti, optimi ſunt.

Miua

Miua cidoniorum ſine aromatibus non eſt paruifacienda, ſi præſertim cum ea permiſceantur bolus Arm. or. lachryma ſang. drac. terra ſigillata, Samia, coccus infectorins, & huiuſmodi. Extrinſecus vero appoſito medicamento agglutinante, veluti ſupra dictum eſt, præ omnibus autem laudarem ceratum noſtrum agglutinans, puluillus, qui leuiter comprimat, admoueatur, fiatque conueniens deligatio: & eo ſitu decumbat vulneratus, quo vulnus deorſum ſpectet, nec vſque eſt decimam quartam ſoluatur vulnus, niſi quid ſuperueniat ſolutionem poſtulans. Vt verò inflammatio prohibeatur, iterata ſanguinis miſſio conueniet in cubito dextro. Purgans autem pharmacum omnino cauendum, ne fiat attractio ad ipſam affectam partem. Alterantiaque exhibeantur, vt in vniuerſalibus dictum eſt, quibus motus humorum compeſcatur: vnde, ſi fuerint neceſſariæ potiones vulnerariæ, eædem ſint refrigerantes. Frictiones ad extrema non erunt prætermittendæ.

Quod vero ad rationem victus, is ſit tenuiſſimus vſque ad ſeptimam propter metum inflammationis, & ne ob ingeſta alimenta impediatur agglutinatio, verum potius adiuuetur, ſtudendum, vt quæ exhibentur alimenta, vim habeant agglutinandi, ſiue à natura, ſiue ab arte, & vt nihil, vel quam minimum habeant, quod agglutinationem impediat, quocirca & liquida ſint oportet, & paucorum excrementorum, vt paucæ, & molles fæces generentur, vnde Gal. 4. Meth. 6. Si vlcus ſit in interioribus, & ad cicatricem id perducere, aut agglutinare ſtudemus, eligenda alimenta ſunt, tum auſtera, tum glutinoſa, tum quæ minime mordeant, præterea paucorum excrementorum ſint oportet & liquida, ne, quæ fæces generantur, ſolidæ ſint, & comprimant, atque diſtendant vulneratum inteſtinum, & ſuturam lacerent: quòd ſi fæces ſolidæ retineantur, emolliendæ erunt iure extremitatum vituli, aut caſtrati, clyſtere immiſſo Acida verò, & acria omnia, atque calida fugienda. Optima ergo erit *Victus ratio.*

ptiſana hordeacea aqua chalybeata præparata, additoque amylo. Item cremor farris ſimiliter aqua chalybeata paratus, addito puluere amyli, boli Arm. orient. equiſeti, terræ ſigillatæ, tragacanthæ, gummi Arabici, radicum conſolidæ, & huiuſmodi. Pariter, & oriza ſimiliter præparata. Fercula ex pane concedi poterunt triturato, & liquida, cocta autem in iure pulli, vel extremitatum vituli, chalybeato, vel etiam alterato aliquo ex dictis, quibus & alterari poterit aqua chalybeata, in qua reliqua cibaria incoquuntur. *Potus.* Potus vero ſit vinum granatorum, aut cidoniorum permixta plantaginis aqua, aut equiſeti, vel ipſum plantaginis, aut equiſeti decoctum. Tranſacta ſeptima, concedi poterunt carnes vituli, & potiſſimum eius extrema, & oua ſorbilia. Quies imperanda, coitus cane peius, & angue fugiendus. Reliquæ res non naturales moderentur prout in vniuerſalibus dictum eſt. Si dolores ſuperuenerint in ventre inferiori, loca circa vulnus inungantur aliquo rarefaciente, & anodyno medicamento, cuiuſmodi eſt oleum camæmeli, anethi, liliorum alborum, cheirinum, & huiuſmodi, & lana mollis oleis dictis imbuta actu calens abdomini apponatur, ita, vt magnam eius partem comprehendat. Quod ſi vulnus citra læſionem inteſtinorum contigerit, opus non erit per os exhibere, aut per ſedem iniicere, quæ agglutinandi vim habeant, reliqua autem penitus conuenient.

De inteſtinorum vulnere cum deperditione ſubſtantiæ.

Si inteſtinorum vulnus fuerit cum ſubſtantiæ defectu, vt contingit, quando vulnus tormento manuario infligitur, aggredi curationem non debemus, niſi coacti, & cum prognoſtico, ferè enim deſperatus eſt caſus, & ſi craſſa fuerint vulnerata, vix ſervantur, eoque magis, ſi utraque inteſtinorum tunica fuerit perforata; omninò enim deploratus eſt, ſi tenuia læſionem ex telo habuerint. Non conſuendum, autem vulnus, quoniam fæces continuò per vulnus exeuns, & neceſſarium erit quotidie tale vulnus detegere, ut abſtergantur faces, ſed, dum detegitur, oportebit præparata habere lintea calida,

da, & vas ignem continens proximum eſſe vulneri, ut aer, quantùm fieri poteſt, calefiat. Potiones vulnerariæ inſuper bis in die exhibebuntur, clyſteresque iuxta neceſſitatem imponentur; etenim ſi carnem contuſam ſuppurarė fuerit neceſſarium ex iure pingui, addito etiam butyro immitti poterunt. Deinde exſiccantes, ut ex vino decoctionis equiſeti, plantaginis, aloes, myrrhæ, thuris, radicum conſolidæ, centaurii minoris, & hujusmodi, Dum etiam detegitur vulnus, inſtillari poterit aliquod appoſitum medicamentum, ſi ſperaverimus ipſum ad vulnus perventurum; quamvis intromiſſis medicamentis paucam adhibeam fidem, vel enim ad vulnus non perveniunt, vel momento ipſum tangunt. Aliquando, evenit, ut labia vulnerati inteſtini agglutinentur vulneri abdominis, muſculis ſcilicet, & ſanatur quidem vulneratus, ſed tamen remanet perpetua fiſtula aſſiduè exæuntibus fæcibus, & ichoribus per vulnus. Immo compertum eſt cuidam herniam inteſtinalem patienti à glande tormento manuario inflicta ſcroti portionem unà cum contento inteſtino fuiſſe ablatam, qui tamen convaluit, niſi quod per illum locum ſemper poſtea exierunt fæces, agglutinatæ ſiquidem fuerunt inteſtini tunicæ illæ portioni ſcroti, quæ ſuperſtes remanſit. Eadem curandi ratio conveniet, ſi vulnerata inteſtina extra non prociderint, vt ob hoc adminiſtrari ſutura non potuerit.

De vulnere hepatis, & lienis.

Si hepar, aut lien fuerint vulnerata, quamvis aliqui ſuadeant, vt conſuatur vulnus, quod in externa eſt parte, ſatius eſt tamen inconſutum relinquere, vt ſanies habeat exitum, quæ multa in hiſce vulneribus ſolet generari quod ſanguis copioſus ab interna plaga profluens in abdominis cavitate colligatur, niſi valdè magnum fuerit, quo in caſu portio ipſius conſuenda eſt, immittendaque cannula argentea per aliquot dies, quæ vulneris occluſionem impediat, ita tamen, ne ſubſtantiam hepatis poſſit attingere, dein apponendum medicamentum, quod calorem natura-

tura-

turalem foveat, ſuper imponendum conveniens tegumentum ex plumaceolis, vel duplicatis linteis, ut omnino prohibeatur aeris ingreſſus. Neque detegatur vulnus, quoad materia exierit, interimque decumbat vulneratus, quo diutius citra moleſtiam poteſt, ſupra vulneratam partem, vel ſaltem per intervalla quædam, quo facilius materia ad locum vulneris feratur. De cætero ſollicitos nos eſſe oportet, ne inflammatio ſuperveniat, ideoque revulſioni maximè ſtudendum, tum per iteratam ex cubito miſſionem ſanguinis, tum per hæmorrhoidarum apertionem ope hirudinum, immo frictionibus, & cucurbitulis extremis partibus appoſitis, tum clyſteribus, qui tamen ſoluendi vim non habeant, ne ad viſcera vulnerata materia attrahatur, ſed lenientia; & abſtergentia ſint; & ideò exoluentia pharmaca omninò ſunt cauenda non ſecus, ac ſi inflammatione correpta eſſent. Ea pariter, quæ humorum motum compeſcunt, & feruorem prohibent, nec non & exſiccant, aſſiduè erunt exhibenda, potiſſimùm, quæ lieni, aut hepati ſint amica, vel iis ſaltem permixta: ideoque in iecinoris vulnere cichoracea maximè probantur, ſicuti in lienis ceterach, ſed & ipſis admiſcenda erunt ſiccantia, & agglutinantia, ſi à telo ſecante inflictum fuerit vulnus; ſiccantia verò tantùm, vel cum modica adſtrictione, ſi à telo contundente contigerit, quorum materia ex iam dictis patere poteſt. In viſcerum gratiam hypochondria litu roborante, atque repellente ſunt inungenda, puta ex oleo roſaceo omphacino, cidoniorum, myrtino, amygdalarum amararum, quibus etiam incoquetur abſinthium ad maiorem viſcerum corroborationem, immò hiſce oleis tepidis linteum ſimplex imbutum, quod totum hypochondrium complectatur, ſupra linteum medicamentum ad vulnus continens vtiliter apponitur, & quotidie etiam permutandum, abſque vulneris tamen detectione, vel ſi tegumentum quiſpiam detrahere voluerit, eleuatis nonnihil linteis,

Revulſiones.

Alterantia.

linteis, inungendum hypochondrium, aut extrinſecus infundendum oleum. Tenuiſſimus victus vſque ad decimam quartam ſervandus erit, & quæ exhibentur cibaria, potusque alterentur idoneis medicamentis, reliquæ res non naturales ita moderentur, ut ex ipſis nullà poſſit ſuboriri inflammationis cauſa; etenim ſi inflammatio prohibeatur, ſperandum eſt, naturam, quæ viſcerum curam habet, vulnera hæc ad ſanitatem perducturam. *Victus.*

Si inferna pars ventriculi fuerit vulnerata à telo ſcindente, exiſtente ad manus ventriculo, conſui vulnus debebit eo prorſus modo, quo inteſtina conſui debere diximus, dein etiam conſuatur abdomen, & eodem modo inſtituenda curatio, quo in vulneratis inteſtinis. Plurimum autem utilitatis recipiunt hæc vulnera ab ingeſtis, eò quòd longam in ventriculo trahunt moram, ideoque, & vulnerariæ potiones plurimam utilitatem afferunt, & alimenta, ac potus agglutinantibus alterata. Cavendum tamen eſt, ne copia aſſumptorum gravetur ventriculus. *De ventriculi vulnere.* *Vulnera ventriculi iis quæ aſſumantur curanda.*

At ſi vulnus cum defectu ſubſtantiæ fuerit, quamvis caſus ſit deſperatus, nihilominus niſi exitialia adſint ſigna, cuiuſmodi eſt virium proſtratio, æruginoſus, vel nigricans vomitus, aggredienda curatio, facto prognoſtico, immiſſo per vulnus tubulo, qui tamen ſubſtantiam ventriculi non pertingat, non enim claudi debet orificium externum vulneris, eò quòd ex iis, quæ ingeruntur, aliquid ſemper egreditur per vulnus ventriculi, quod, niſi vulnus abdominis pateret, cavitatem ipſius peteret, corruptumque praua excitaret ſymptomata. Vnde, quando ventriculus conſui non poteſt, etiamſi abſque defectu ſubſtantiæ vulnus contigerit, nunquam oportet vulnus abdominis claudere. Neque enim mihi plurimum probatur, ut dilateur abdominis vulnus, quando vulneratus ventriculus non eſt ad manus vt conſui poſſit, niſi ægrotus id requirat, aut aſſiſtentes de periculo admoniti, eò quòd datur ingreſſus copioſo aeri & niſi fiat magna dilatatio, ſcopum aſſequi haud licebit, & forſan & omentum, & inteſtina *De ventriculi vulnere cum deperditione ſubſtantiæ.*

teſtina exeuntia negotium faceſſent, & opus perturbabunt, atque ne brevi, tutoque abſolvatur, impedient. Satius igitur erit tubulum immittere, dein vulnus tegere, ne detur ingreſſus ambienti, veluti de vulneratis inteſtinis dictum eſt, quando ſutura non habet locum. Sive autem ſutura fiat, ſive non, ſemper extrinſecus fouendus eſt ventriculus roborantibus, & adſtringentibus, quæ frigidæ ſint facultatis, aut ſaltem non calidæ, cuiuſmodi eſt oleum roſ. omphacinum, cidoniorum, myrtinum, maſtichinum, & huiuſmodi, emplaſtrum diaphœnicon non eſt ſpernendum, aut

Topica.

℞. Roſarum rubearum.
Foliorum myrthi.
Abſynthij Pontici.
Equiſeti ana m. i.
Rad. Biſtortæ.
Tormentillæ.
Corticum granatorum.
Baccarum myrti ana vnc. s.
Maſtichis.
Cinnamomi.
Thuris ana drach. ij.
Spicæ drach. i.
Olei cidoniorum.
Maſtichini ana vnc. i. s.
Orizæ torrefactæ, aut farinæ ex hordeo toſto à furfure expurgatæ vnc. x.
Miſce, & ex vino rubro adſtringente paretur emplaſtrum, vt artis eſt.

Aliud.

Coque radices maioris conſolidæ ex aqua equiſeti, vel eius decocto, ſi aqua non ſit in promptu, deindè contuſam in mortario pulpam ſetaceo trajicias, cujus accipe lib.

lib. 1. & cum melle deſpumato iterum coque ad emplaſtri conſiſtentiam, poſtea adde

Boli Armen. orient.
Lachrymæ ſang. draconis.
Sem. meſpilorum ana drach. ij.
Maſtichis vnc. s.
Flor. labruſcæ drach. i. s.
Cariophillorum drach. i.
Spicæ drach. s.
Miſce & f. emplaſtrum.

Hujusmodi quoque ceratum eſt valde efficax quod

℞. *Maſtichis vnc. s.*
Ladani drach. iij.
Liquoris folliculi vlmi depurati.
Lachrymæ abietinæ ana drach. vj.
Boli Armen. orient.
Lachrymæ ſang. draconis.
Roſarum rubearum.
Abſynthij Pontici.
Grani tinctorij ana drach. i. s.
Olei cidoniorum.
Myrthini.
Hyperici noſtri ana vnc. s.
Picis naualis, & ceræ ſ. q. Ex quibus ſecundum artis præcepta commixtis ceratum conficitur.

Aliud.

℞. *Ladani.*
Miſtichis.
Balſami Peruuiani ana vnc. s.
Gummi Arabici.
Tragacanthi ana drach. ij.

Equiſeti.
Ophiogloſſi.
Balauſtiorum.
Sem. meſpilorum.
Florum labruſcæ.
Cinnamomi ana drach. i.
Spicæ drach. s.
Olei roſ. omphacini.
Lachrymæ abietinæ ana vnc. i. s.
Ceræ, & picis q. ſ. m. & f. ceratum ſ. a.

Aliud.

℞. *Maſtichis.*
Ladani ana vnc. ſ.
Thuris drach. ij.
Grani tinctorij.
Flor. labruſcæ.
Gummi iuniperini.
Rad. Biſtortæ ana drach. i.
Lachrymæ ſang. dracon. ſcr. ij.
Olei hyperici compoſ.
Myrthini ana drach. vi.
Balſami artificialis drach. ii.
Ceræ, & picis ſ. q. M. & f. ceratum ſ. a.

Ad quorum exemplum innumera confici poterunt.

De vulnere oris ventriculi. *Potiones agglutinantes non confertim bibendæ, ſed paulatim.*

Si autem in ore ventriculi vulnus contigerit, etiamſi ad manus eſſet vulnus, locus tamen non eſt ſuturæ ob exquiſitum ſenſum oris ventriculi. Quæ autem per os exhibentur agglutinantia pharmaca, in quibus maior ſpes eſt quam in externis, non confertim bibenda, ſed paulatim, & aſſiduè, eò quòd ſolùm pertranſeundo vulnus tangunt, quamvis etiam dum in ventriculi ſunt fundo, halitus ab ipſis ad os eleuati aliquam opem afferre poſſent; vt

vt tamen magis hæreant vulneratæ parti, non omninò liquida ſint oportet, ſed craſſiora, & magis lenta, veluti dicebamus, dum de œſophagi vulneribus ſermonem haberemus; ideòque medicamenta ibi propoſita huc poſſunt transferri. Quæ verò pro arcenda inflammatione in vulneribus inteſtinorum dicta ſunt eſſe obſervanda, huc transferenda, poſteaquam ſi inflammatio acceſſerit, ferè deſperata eſt ſalus, acutus enim morbus eſt inflammatio ventriculi, & agglutinationem vulneris impedit, neque virtus ſufficiet, donec ſedata inflammatione, agglutinari poſſit vulnus, minusque ſi inflammationem ſuppurare contigerit.

De vteri vulneribus. Vulnerato utero, quoniam plurimis refertus eſt vaſis, & eſt tanquam totius corporis cloaca, multa excrementa in eo vulnere gigni ſolent, & propterea non eſt conſuendum vulnus abdominis, niſi & uteri vulnus conſui poſſit, & conſtet, paucam, aut nullam materiam in abdomine fuiſſe elapſam, ſed imponendus tubulus, quo excrementa excerni poſſint. *Vulnerariæ potiones.* Vulnerariis verò potionibus, quæ validæ eſſe debent, propter multam diſtantiam vulneratæ partis, permiſcenda erunt, quæ menſes cient, cuiusmodi eſt artemiſia, & matricaria, ut medicamenta ad uterum ducant. Sicuti vulnerata veſica, aut renibus, ea quæ urinas promouent, prætermiſſis tamen calidioribus. Vnde Gal. 4. Meth. 7. Quoties in veſica, & renibus vitium eſt, non mel ſolum, ſed etiam eorum, quæ urinas movent quidpiam ulceris medicamento immiſceri oportet. Accommodata igitur erunt ſemina melonum radices petroſelini, graminis, fœniculi, dictamni Cretici, baccæ iuniperi, virga aurea, herniaria, & huiusmodi. Cæteræ ex alibi dictis patent, toties enim eadem repetere ab re eſt. Hoc non eſt prætermittendum, quod ſi vulnus totam ſubſtantiam uteri penetrauerit, utile erit injicere decoctiones idoneas, & agglutinantes, & abſterſivas, aut carnis generationem adjuvantes juxta indigentiam.

CAPUT LXXIII.

De articulorum vulnerum differentiis, ſignis, atque prognoſticis.

ARticulorum vulnera aut in domeſtica, ſeu interna eorum parte contingunt, & in quam flectuntur ipſi articuli, aut in ſilveſtri, & externa. Vtraque autem recipiunt easdem differentias, quas reliqua vulnera. Præterea aut ſunt in articulis maioribus, vt in cubito, genu; aut in minoribus, vt in articulis digitorum, omnia autem aut ſunt cum luxatione partis, aut citra ipſam.

Præſagia. Sunt aut timenda valde omnium articulorum vulnera, eo quod articuli apti ſunt ad recipiendas fluxiones totius, tum propter ſitum, & conformationem, tum etiam propter ſubſtantiam ipſorum, quoniam excarnes ſunt, conectunturque, & cinguntur tendinibus membranaceis, quibus inſeruntur nervi, & vaſa inſignia, præſertim ſi in domeſtica parte continentur, quo fit, vt dolores ſævi oriantur, vigiliæ, deliria, convulſionesque, vt enim dicebat Gal. 4 Meth. 6. Vbi tendines, nervi; & carne vacua, atque oſſea loca ſunt, hic doloris, vigiliarum, convulſionis, & delirii periculum inſtat, quo fit, vt hæc vulnera facillimè maligna evadant, vnde ibidem dicebat Gal. Cacothe ſtatim fiunt vulnera in articulis accepta. Magis autem periculoſa ſunt in domeſtica parte, eo quod in ipſa inſignia magis vaſa. & nervi contineantur, & ideo, quæ in hac parte contingunt, facilius convulſiones accerſunt. Copioſa quoque ſanguinis profluvia, hac eadem parte vulnerata, ſequuntur, vt omittamus periculum amiſſionis motus membri, vel ſaltem læſionis non levis: quod imminet aut propter nervorum, ac tendinum diſſectionem, aut propter eorundem corruptionem ex ſuperveniente inflammatione, & abſceſſu, aut propter durum tumorem ab inflammatione relictum, vel con-

concretum tophum, quibus de cauſis aut perpetuo læditur membri motus, aut ſaltem ad multum tempus, vnde Hip. 2. Prædict. tex. 24. Vulnera in articulis quæ quidem magna ſunt, & nervos coniungentes penitus præſecant, clarum eſt, qnod claudos efficient. Si vero ambiguum fuerit de nervis, quomodo ſe habeant, ſiquidem fuerit acutum telum, quod rectum vulnus fecit, melius eſt obliquo. Si vero grave, & obtuſum fuerit, id quod vulneravit, nihil refert. Sed plagæ profunditatem, & alia ſigna conſiderare licebit, ſunt autem hæc; Pus ſi inſuper accedat ad articulum, duriorem fieri neceſſe eſt. Si vero etiam tumores ſimul permanſerint, hunc locum ad multum tempus durum neceſſe eſt eſſe: & cum ſanum iam eſt vlcus, tumorem permanere neceſſarium eſt, ſimulque flecti, ac extendi, quæcunque dum articulus incurvus eſt, curantur. Quibus vero etiam nervus elapſurus eſſe videtur, ſecurius de claudicatione prædicere licet, tum alias, tum ſi inferiorum nervorum aliquis fuerit exolutus. Ex his autem cognoſces nervum, qui excidet. Pus album, & craſſum multo tempore defluit, doloresque, ac inflammationes circa articulum in principiis fiunt. Eadem fiunt etiam, ſi os elabatur. Et tex. 25. Diſſectiones in cubiti gibbis, præſertim quæ ſunt cum inflammatione, ad ſuppurationem veniunt, ad ſectionesque ac uſtiones. Quæ verò in minoribus articulis accidunt, non adeò periculoſa ſunt, ſed tamen & ipſa vereri oportet, & ex parua ſectione primi articuli minoris digiti vidi adoleſcentem in manibus virorum excellentiſſimorum interiiſſe, ſuborta convulſione, & delirio. Quæ in inferioribus articulis contingunt, habent inſuper faciliorem humorum decubitum, unde propter hæc omnia, quæ in genu contingunt, ſunt periculoſiſſima; hinc Avic. Vulnera, quæ cadunt in genu apud rotulam, ſunt mala, & ad ea quoque ſequuntur accidentia mala, è quibus pauci liberantur.

Si

Vulnera articulorum cum luxatione periculoſiſſima.

Si vulneri acceſſerit articuli luxatio, augetur periculum, & ſi quis articulum luxatum reponere voluerit, actum eſt de ægrotante, niſi articulus fuerit digitorum, quamvis & hic adſit periculum, quare ſi quod vulnus ægrotandi, & Medico ipſi negotium faceſſat, id eſt, cui luxatio adiungitur maioris alicuius articuli, ægrotum enim in certa diſcrimina adducit vel mortis, vel iacturæ actionis luxati membri: fluxioneſque, & dolores perpetuò huiuſmodi vulnera comitantes continuò vulneratum torquent. Medici verò maximè excruciat animum tum rei difficultas, tum, & magis, quod huiuſmodi tractans vulnera, non poteſt apud vulgum non malè audire; ſicuti & malè audiuit ipſe Hipp. ſi enim luxatum articulum reponat, & repoſitus maneat; mortem affert ægrotanti, videturque ad paruum vulnus mors ſubſequuta cum maximo ipſius dedecore. Si verò non reponat, inſcitiæ arguitur, vt qui ægrotantem turpiter fieri claudum, aut mancum permittat, propterea hic maximè arte prognoſtica opus eſt, qua Medicus propriam famam tueatur. Vbi ergo tale vulnus offertur, periculum vitæ aſſiſtentibus exponat, & febres, futuraſque breui conuulſiones, ſi reductio fiat, prænuntiet, qua de cauſa Hip. lib. de articulis num. 74. de oſſe tibiæ verba faciens, dicebat: At verò quibus tibiæ oſſibus luxatis, ac vlcere inducto, articuli circa pedem penitus eminent, ſiue intro vergant, ſiue extra, tales reponere nòn oportet, ſed permittere, vt quicumque velit Medicus reponat. Illud enim clare ſcire oportet, quod homo morietur, ſi repoſiti permanſerint. Sed & vita paucorum dierum his continget, pauci enim ex his ſeptimam diem tranſgrediuntur. Conuulſio enim eſt, quæ ipſos occidit, & cancerari contingit tibiam, & pedem. Hæc ita futura eſſe, certò ſcire oportet. Et de oſſe cubiti num. 76. Eadem ratio eſt, ſi etiam cubiti oſſa circa manus articulum vlcere facto emineant, ſiue ad internam manus partem, ſiue ad externam, clare enim noſſe oportet, quod is morietur intra paucos dies

tali

tali morte, qualis antea dicta eſt, cui repoſita oſſa permanſerint. Et de oſſe femoris num. 77. At ſi os femoris, quod ad genu eſt, ulcere facto elapſum fuerit, & repoſitum permanſerit, mortem adhuc violentiorem inducit, quam prius relata; & inferius. Eadem verò ratio eſt de articulis circa gibbum cubiti, & de cubito, ac brachio, quæcunque enim ex his luxata, ulcere facto, eminuerint, ea omnia, ſi repoſita fuerint, mortem inducunt. Et inferius: Lethaliores autem ſunt ſuperiores articuli, ſi reponantur. Et paucis interpoſitis: Si verò alicui ſuperiores articuli luxati facto ulcere maneant, hi ſi reponantur, celerrimam mortem inducunt.

Cur mors ſequatur repoſito articulo.

Neque ab re eſt, ſi mors ſuccedat talibus vulneribus, vulnera enim articulorum ex ſui natura facillimè maligna euadunt, ut ſupra explicatum eſt, ubi erpo accidit luxatio, inſigne diſpendium, & diſtractionem patiuntur neruoſæ partes ad ipſum articulum, hinc dolores ſæui, & fluxiones, ſi reducatur articulus, rurſus extenſionem patiuntur eædem partes, quare neceſſarium eſt, ut inflammentur adhuc magis, tendantur, atque convellantur, inde communicatur cerebro affectus, & fit univerſalis convulſio, unde Gal. 3. de fract. tex. 16. In libro autem de fracturis iam dictum eſt, quod in eiuſmodi affectibus ſoleat euenire, ut muſculorum alii quidem divellantur, alii verò continentes remaneant, & ſuam ſervent unionem. Quibus retractis ad ſuam originem univerſum membrum dum ſequitur trahentes muſculos, fit brevius. Unde ſi quis os extans extendendo reponat, tum ea extenſio non parum detrimenti muſculis inferet: tum verò membri longitudo ipſa etiam unà extendens ingentem infliget dolorem. Et proinde ſi magni ibi ſint muſculi, neceſſe erit, ut convulſio conſequatur. Præthereà ex tot diſtractionibus reſolvetur, & ex copioſo affluxu materiæ ſuffocatur innatus calor partis, unde gangræna, & ſphacelus. Quare omnino recuſet Medicus talium oſſium repoſitionem, & ſi cogatur, recedat, & iuxta Hip. conſi-

lium dimittat, ut quicunque velit Medicus reponat. Nec audiendus eſt Paulus Ægineta, qui lib. 6. capit. 121. conſulit, ut reponantur tales articuli, non obſtante Hip. decreto, vel à principio ſtatim, vel ſaltem poſt ſeptimam, vel nonam, duobus falſis, mea quidem ſententia, innixus fundamentis; primum eſt, quod levi facta extenſione reducantur, quod quidem plerumque non obſervatur, cum ut plurimum valida opus ſit extenſione: ſed dato etiam, quod levi extenſione reduci quandoque poſſint, attamen ſuccedens inflammatio eadem afferet mala: Secundum fundamentum, cui innititur, eſt plerunque falſum, ſupponit ſiquidem, ubi inflammatio, & convulſio, repoſito articulo, ſuccedant, poſſe articulum repoſitum extra locum propelli, quod ſæpiſſimè fieri non poteſt ob validam tenſionem partium jam inflammatarum. Videtur etiam ſupponere, inflammationem poſſe prohiberi, quod eſt de rariſſimè contingentibus, & propterea ex hoc non eſt elicienda regula. Satius eſt ergo Hippocrat. decretum ſequi. Quod verò ad articulos minores, ſi reducantur, non neceſſariò mors continget, immò plurimi ſervantur, ſed tamen non leve imminet periculum, & proptercà etiam hic prædicere periculum oportebit, eo quod magna cura, atque diligentia opus habent, & quod abſcedent ob inflammationem, quæ continget. Hæc eſt Hippocr. doctrina lib. de art. n. enim 78. dicebat: At verò quibus articuli digitorum, aut pedis, aut manus luxati facto ulcere eminuerint, oſſe non fracto, ſed circa ipſam connexionem avulſo, his ſi repoſiti permanſerint, adeſt quidem periculum convulſionis, ſi non benè curati fuerint, attamen operæ pretium eſt, ut repoſitio fiat cum prædictione, quod multa cuſtodia, & cura opus habent. Et Gal. 3. de fract. text. 16. *Si verò parui, quemadmodum circa digitos reperiuntur, neque tunc quoque res periculo vacabit, qui tamen ſi evadant, plerumque ob diligentiam magnam in curatione adhibitam id aſſequuntur.* Et inferius: *Expectandum tamen eſt articulos circa*

ca digitos, qui reponuntur, abſceſſuros eſſe, plerumque enim ita contingit, ſi vel quævis inflammatio ſubſit. Quare ſi non propter vulgi imperitiam, Medici verenda eſſet accuſatio, nullum penitus reponere oportebat. Ex quibus licet conjicere, magis ex arte eſſe non reponere, etiam ſi articuli ſint parui; etenim ex repoſitione periclitatur ægrotantis ſalus.

CAPUT LXXIV.

De curatione vulnerum articulorum ſine luxatione.

PArum differt curatio vulnerum articulorum ſine luxatione à curatione vulnerum reliquarum nervoſarum partium. Adducenda autem erunt labia, ſi ſectione vulnus fuerit inflictum, non tamen penitus, ſi profundum fuerit vulnus, quoniam fieri non poteſt, quin cavitas aliqua remaneat, ad quam humores facillimè confluunt. Quoniam autem articuli pauco nativo calore ſunt præditi, præſertim in parte externa, maximè protegere eos oportebit ab injuriis ambientis, ideoque maximè tecta ſervanda ſunt hæc vulnera, medicamentisque utendum nativo calori amicis, & quæ nervoſarum partium vulneribus convenire ſuperius dictum eſt, ſi in antica parte præſertim fuerit vulnus. Effluxus verò maxima habenda eſt ratio. De humorum quoque fluxione maximè ſolicitos nos eſſe oportet, & ideò totum corpus diligenter evacuandum, & à ſupervacuis emundandum, aſſidueque ad contrarium convertendus eſt humorum motus, intercipiendæque fluxiones, atque ab affecta parte propellendæ. Cæteraque obſervari oportebit, quæ in curatione vulnerum nervorum dicta ſunt.

Peculiaris autem habenda eſt conſideratio ſitus partis vulneratæ, eo quod non parvum momentum afferat ad fluxionem prohibendam, & ad ſervandam partis actionem, ſi decens eligatur, ſicuti dolorum, & fluxionis hu- *Habenda eſt maxima ſolicitudo de ſitu partis.*

 morum

morum in cauſa eſt pravus ſitus, nec non quod pars jam ſanata minus potens eſt, & forſan etiam omnino impotens ad proprium motum.

Cautio in vulnere articuli humeri.

Si igitur extrema pars, ſeu antica humeri fuerit vulnerata, alæ diploma craſſius ſubjiciendum, aliquoque involuendum brachium, quod cubitum ſuſtineat, & caput humeri altius impellat; namque à propria gravitate deorſum tractum humeri caput in cauſa eſt, ut vulneris remoretur ſanatio. Si verò ima pars fuerit vulnerata, ſtatim ac vulnus coaluit, imperandum ægro, ut brachium huc, & illuc moveat per certa intervalla, ne inducta cicatrice læſio in motu contingat, quaſi à cicatrice obligato articulo, vel in ipſo articulo callus generètur, in poſterum liberum humeri motum impediturus.

Congrua figuratio partis in cubiti vulnere.

Si in articulo cubiti fuerit vulnus, ſive à parte interna, ſive ab externa fuerit, media figura eligenda, neque enim exporrectum brachium continere oportet, neque nimis inflexum, illa enim contractionem, ſanato vulnere, impedire ſolet, hæc verò liberam extenſionem, quocirca figura eligenda, quæ obtuſum angulum imitetur; quamuis non deſint, qui vulnere in externa cubiti parte exiſtente, jubeant, vt extenſum brachium ſervetur; ſed hos imitarri non oportet, namque figura illa nimis fatigat muſculos, & difficillimè ſervari poteſt, etiamſi ſanus ſit homo.

Reprobatur figura recta.

Addamus, quod difficilè ſit ægrotantem tractare, dum hanc ſervat figuram. Quomodo brachium collocabit, ſi è lecto ſurgere voluerit dejiciendæ alvi gratia? aut alimenta accepturus, quomodo in lecto ſedebit? neceſſe profecto erit, ut brachium deorſum vergat, quod influentibus ſuccis faciliorem reddit viam ad partem: & parvi eſt momenti ratio, quam adducunt, quia videlicet in recta figura magis propinqua ſint vulneris labia; nam ſatis propinqua ſunt, dum ſervatur propoſita figura. Quæ ut magis ſervetur, neque ab ægrotante, aut non cogitante, aut dormiente non varietur, quod vulneris ſanationem impediret, ſiquidem quies in vulneribus expoſcitur, facta deligatione reten-

retentiva, inſtrumentum quodpiam ligneum ejusdem figuræ brachio alligandum, quod vel invitum in eadem ſede brachium contineat.

Figuratio partis in carpi manus vulnere.

Carpo manus vulnerato, vel digitorum manus articulis, à quavis parte vulnus contigerit, continenda eſt ſemiflexa manus, & digiti, ne rigida manus permaneat, & digiti obducta cicatrice, atque ita ipſorum lædatur contractio, in qua præcipuè conſiſtit manus, & digitorum actio.

De vulnere articuli femoris.

Si femoris articulus fuerit vulneratus, ſupinus decumbat æger, & congruis pulvillis, & deligationibus curetur, ut caput iſchii in proprio loco contineatur: & cum cicatrix gignitur, imperandum ægro, vt femur huc, & illuc per intervalla commoveat, ne contingat, ſanato vulnere, in motu læſio propter eam, quam in humeri articuli vulnere attulimus, cauſam.

De vulnere genuum.

Genu vulnerato recta figura eligenda, vt claudicationis vitetur periculum. Et hæc de vulneribus articulorum citra luxationem ſatis ſint. Atqui ſi articuli luxatio inſuper acceſſerit, ſiquidem magnus articulus luxatus eſt, omiſſa omnino repoſitione, factaque prædictione de turpi claudicatione, atque de ancipiti ſalute, quam tamen vnica hac via ſperare licet, avertendæ fluxioni ſtudere oportebit, & propter ea tenuiſſimus iniungendus victus, omnique revulſionis genere agendum, & reliquis omnibus, quæ ad fluxionem inhibendam ſunt accommodata, præcipuè verò mitigationi doloris ſtudendum, & arcenda quæcunque dolorem inferre poſſunt, ideoque in ſitu, & figuratione partis nullus habendus delectus, ſed ea eligenda, quæ ægro magis arridet, & quæ eidem minus afferat doloris, modo membrum non pendeat, & immotum conſervetur. Declivis enim figuratio, & membri motus fluxionis, & inflammationis eſt cauſa, vnde Hip. lib. de art. n. 74. Sic autem & tibiam, & pedem coaptare oportet, prout ipſe volet, modo non ſuſpenſa ſint, neve moueantur. Quod ad vulnus attinet, veluti reli-

qua vulnera tractandum, uerum deligare non oportet. Cavendum maxime à frigidis, ne convulſionem inducant: neque apponendum cataplasma ipſi vulneri, quantumvis dolor vrgeat, ſed proximis tantum partibus, non enim addendum parti pondus, aut compreſſio, vnde Hip. n. 75. Deligatio vero nulla, neque vllum cataplasma apponendum; probe enim noſſe convenit, compresſionem, & omnis oneris geſtationem omne malum adferre. Scire autem oportet, longam eſſe horum vulnerum curationem, & longo tempore humore madere, natura enim promptè admodum quidquid excrementi ad articulos propellit, ideoque curare oportet, vt corpus quam maximè purum reddatur ab excrementis, & ſiccum, vnde crebræ purgationes convenient, & ea, quæ per ſudorem, aut inſenſibilem halitum digerunt, maximè erunt ex vſu, vt eſt decoctum Guiaci, Sarſæ, & Chinæ, nec non & potiones vulnerariæ: dummodo tamen adminiſtrentur transacto inflammationis metu. Et vulnus tectum diutius ſervetur; quod & obſervabat Hip. vt videre eſt l. de artic. & vt evitetur dolor, qui accidit in contrectatione partis, & quoniam paucus articulis exanguibus ineſt calor & propterea cavendum, ne ambientis actione imbecillior reddatur. Opportunum verò tegumentum erit ex lana, quæ, vt dicebat Gal. 4. de art. tex. 25. nullam compreſſionem, nullumque pondus ob mollitiem, ac levitatem inferre poteſt.

CAPUT LXXV.

De inflammatione præſtantiorum partium vulnera conſequente.

QUuamvis de inflammatione, quæ vulneribus accidit, in primo libro generatim fuerit pertractatum, ac etiam nonnihil de indicationibus, quas affectæ partes ſuppeditant, dictum ſit, quia tamen vberiori, ac diſtinctiori doctrina egent tirones, necum

occaſio

occaſio poſtulat, conſilii ſint inopes, abſoluta iam tractatione particularium vulnerum, de agendis, quando vulneris cauſa in aliqua ex magis præcipuis partibus oritur phlegmone, fuſius, ac diſtinctius loqui decrevimus. Cauſas huiusmodi inflammationum conſulto prætermittimus tanquam ſatis manifeſtas ex iis, quæ de fluxione, atque inflammatione in primo libro fuere determinata. Peculiaria tamen earum indicia prætermittenda non duximus, licet vniverſalis quædam methodus ad illarum cognitionem nos ducens fuerit ibidem propoſita, ne cum vulnerati detrimento aut prætereat, aut ſuperflua vſurpentur præſidia.

De delirio in vulneribus capitis.

Cum autem de inflammatione vulneribus capitis ſuperveniente ſuperius actum ſit, ne eadem fruſtra repetamus, eò lectorem ablegabimus. Illud ſolummodo animadvertemus, ne delirium manifeſtum expectetur, quando inflammationis internarum partium aliqua ſubeſt ſuſpicio: ſæpè etenim delirare non videntur; cum tamen internæ partes inflammari cœperint. Itaque perpendendæ ſunt omnes actiones, & omnia eorum verba, nec exiſtimetur, neceſſarium eſſe, eos in omnibus delirare. Si præceſſerint turbulenta inſomnia, dolorque capitis citra manifeſtam cauſam, ac febris invaſerit, quæ poſtea perſeveret, immo fiat major, & aliqua obſervetur durities in pulſu, licet procedente tempore fateantur nullum dolorem perſentire, ne fidas, memor illius ſententiæ Hippocraticæ: Quicunque dolentes aliqua corporis parte dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat. Non paucos etiam obſervavi prorſus mente conſtare fere vſque ad mortem, etſi manifeſte inflammata eſſet membrana. Illud quoque non eſt oblivioni tradendum non poſſe os, cui ſubeſt inflammatio, eſſe bene diſpoſitum, neque vulnus benè ſe habere ad aſpectum, novellamque carnem, ſi qua ſuborta erat, corrumpi. Sed ad aliarum partium inflammationem tranſeamus. Tumor, rubor, dolor, & calor inflammationem oculorum patefaciunt.

Signa inflammationis oculorum.

Pul-

Signa pulmonis inflammati. Pulmonem verò inflammatum ſignificant febris continua, eaque acuta, ſpirandi difficultas non parva, dolor gravativus thorace, tuſſis moleſta, quæ in progreſſu materia ſanguinea, & purulenta educitur, pulſus mollis, magnus, creber, inæqualis, languidus, & vndoſus: increſcente etiam malo intermittens redditur ob facultatis languorem, & intercurrens vſu adaucto. Si dhlegmone fuerit bilis particeps, vibratus evadet. Rubent præterea maxillæ. In omnibus oculatos nos eſſe oportet.

Hiſtoria. Curabam vulneratum in thorace, & quoniam penetrationem nulla arte conſequi potui, permiſi, vt vulnus clauderetur. Sed vix occluſo vulnere ſupervenit febris cum tuſſi, eaque moleſta, dolore thoracis cum ſenſu ponderis, ingenti ſpirandi difficultate, & genarum conſpicuo rubore. Omnes, hanc eſſe inflammationem pulmonis ex retento pure, contendebant. Verùm prima indicia recolens, telumque ad thoracis cavitatem non perveniſſe pro certo habens, totum id ex repentina defluxione à capite proveniſſe, ſuſpicatus ſum: præceſſeratque non levis hujus cauſa. Itaque ægrotantem interrogavi: num tuſſi, deſtillationibus, atque reſpirationis difficultati eſſet obnoxius, reſpondit, ſe malis ejuſcemodi nonnunquam corripi ſolitum, & iiſdem prorſus, quæ tunc patiebatur; & hoc modo cognovimus non à vulnere, ſed à deſtillatione prædicta ſymptomata ortum habuiſſe: & congruis adminiſtratis præſidiis brevi convaluit.

Signa ventriculi inflammati. Ventriculum inflammatum ſignificant dolor vehemens, ac tenſio, ſenſus caloris, ſitis, febris continua, quæ tamen non eſt neceſſariò acuta, durities in pulſu, difficilis ciborum tolerantia, ventriculi conturbatio, & propenſio ad vomitum, etſi parum, vel nihil evomant: exudante enim quopiam ab ipſa inflammatione, ut iis contingit, quæ denſiori operculo non teguntur, modò nonnihil vomitu excernitur, modò dejectione. Si os ventriculi phlegmon corripuerit, ſæpè animo exoluuntur ob exquiſitum ejus ſenſum, & conſenſum cordis, & exudant frigidum, atque delirant.

Septo

Septo verò tranſverſo inflammato tenduntur, & contrahuntur hypocondria citrà tumorem conſpicuum, pulſus percipitur circa præcordia, & delirium perpetuum comitatur, licet enim cerebrum per conſenſum afficiatur, incendium tamen perpetuò communicatur cerebro per colligantiam nervorum, & propter continuum diaphragmatis motum: & ob id etiam non dolent. Reſpiratio parva eſt ſemper ob inſtrumentorum inobedientiam, ſed inæqualis, & modò frequens ob incendium, modò etiam rara ob delirium. Convelluntur multi communicata cum nervorum principio affectionis pravitate. Non pauci ridere videbuntur, etſi re vera non rideant, vt voluit Ariſt. 3. de part. anim. cap. 10. riſus eſt Sardonius ex convulſione. A quarta enim conjugatione cervicis fertur nervorum propago ad ſeptum tranſverſum, & ab hac itidem ad faciem, & os, ſeu labia, quocirca convulſa ob inflammationem ea nervi portione, quæ fertur ad ſeptum, communicatur etiam affectio cum ea portione, quæ in faciei, & oris muſculos inſeritur, & ita convelluntur hi muſculi: os verò propter illam muſculorum contractionem ridentis ſimilitudinem præſefert. Adeſt præterea febris vehemens, eo quod ſeptum cum corde per vaſa inſignia magnam habeat communionem. Et quoniam eſt pars maximè nervoſa, & membranoſa, non mediocris durities, ac ſerrinitas in pulſu percipitur.

Signa inflammati diaphragmatis.

Cur ridentes moriantur diaphragmate vulnerati.

Hepati ſuperveniſſe inflammationem oſtendent tumor, ac tenſio dextri hypochondrii, & ſenſus ponderis cum dolore, qui ſæpè ad jugulum, & nothas coſtas extenditur, febris continua, reſpiratio parva & frequens, tuſſis exigua, & ſicca, ſitis vehemens & interdum etiam bilis ſinceræ, ac vitellinæ vomitus. Prætereà lingua primò rubra conſpicitur, deinde nigra. Urina rubra eſt, ac turbata, & pulſus cum aliqua duritie, ac ſerrinitate.

Signa inflammati jecinoris.

Liene inflammato febris non levis adoritur, ſitiſque non exigua accedit dolor, & gravitas ad ſiniſtrum hypochondrium, & ejuſdem hypochondrii tenſio, ac tumor.

Signa lienis inflammati.

Et ſi magna ſit inflammatio, reſpiratio evadit frequentior. Durities quoque in pulſu percipitur.

Signa inflammationis inteſtinorum.

Inflammatio inteſtinorum & ipſam febrem continuam inducit, ſitim, gravitatem, dolorem extenſivum inſignem, ac permanentem, & caloris ſenſum, tenſioque ac durities in affecta parte manifeſtè deprehenditur. Præterea biliosos vomitus concitat, ventriculum in conſenſum trahens. Interdum inteſtina conſtipat, prohibetur fœcum excretio, quæ poſteà vomitu rejiciuntur. Quod ſi vulnerata inteſtina ex tenuioribus fuerint, omnia ſunt majora, vomitus æruginoſi adveniunt, ſingultiunt, ſudores frigidi erumpunt, extrema evadunt frigida, & aliqui etiam convelluntur.

Signa inflammationis renum.

In renibus vero dolorem gravem affert, qui & ad proximas partes extenditur, & eandem ſequitur cruris è directo poſiti ſtupor, febrem continuam, ardorem, & difficultatem vrinæ, quæ ideo frequenter excernitur, ſed guttatim, vt plurimum. Conſentiente autem ventriculo, ſuccedunt nauſea, ructatio, & vomitus crebri ſinceræ bilis. Additur etiam extremorum frigiditas. Si vnà inflammetur membrana, quæ renes inveſtit, quod ſæpiùs accidit, cum & ipſa ſit vulnerata, quia hæc exquiſito ſenſu eſt prædita, acris dolor vnà cum gravitate percipitur, citiusque coafficitur ventriculus.

Signa veſicæ inflammatæ.

At inflammatio veſicæ vehementiſſimum affert dolorem, & gravitatem circa pubem, & inguina, trahiturque in conſenſum cerebrum, hinc vigiliæ, ac deliria. Urinæ difficultas ſequitur, cum tamen ingens adſit meiendi cupiditas, & propter inteſtini recti propinquitatem inanis deſidendi appetitus. Conſentit quoque ventriculus, & bilioſi vomitus accidunt. Febris eſt continua, nec levis, & pulſus ſerrinus.

Signa inflammati vteri.

Si vterum vulneratum phlegmone obſederit, dolor cum ardore, muliebriumque granitas aderit, ventriſque diſtenſio, ac tumor. Et propter propinquitatem cervicis veſicæ, atque inteſtini recti ſupprimuntur vrina, & ſtercus,

cus, ſi effatu digna fuerit inflammatio, & anteriorem ſimul, ac poſteriorem partem corripuerit. Nam ſi ſola pars anterior, aut ſola poſterior inflammetur, aut ſtercus tantùm, aut ſolummodo vrina ſupprimetur. Elevantur quoque vapores ad cerebrum per vaſa inſignia, hinc gravitas capitis, & dolor, præſertim in ſincipite, qui & ad oculorum radices extenditur. Dolet cervix, & contrahitur. Coafficitur pariter ventriculus, hinc dolor, vomitus, & procedente malo ſingultus. Febris vehemens accedit propter vaſorum copiam, & pulſus parvi ſunt, ac frequentes, & debiles, niſi primis diebus phlegmon ſupervenerit, & pauca ſanguinis profuſio à vulnere acciderit, tunc enim à principio ſolent eſſe vibrati, & magni. Amplius comitatur hanc inflammationem reſpirationis difficultas ob conſenſum diaphragmatis: & lingua procedente malo fit nigricans, animo exoluuntur, extrema frigeſcunt, exudant, delirantque, omninoque ſupprimuntur fœces, & vrina.

De vulneris excrementis. Si inflammatio fuerit eryſipelatis particeps, ſemper gravitas eſt minor; ſed cætera, & præſertim quæ ad calorem attinent, ſunt graviora. Status vulneris accedente inflammatione immutari ſolet, ſiccum enim redditur vulnus, & pro pure ichores tenues, aut virulentia quædam fœtens profluit.

CAPUT LXXVI.

De præſagiis.

Quæ oſtendant futuram inflammationem. FUturam inflammationem prævidere oculatus Medicus non ægre poterit, qualitatem vulneris, & effectus ab eo prodeuntes conſiderans. Cum enim natura ſeu facultas rectrix non dominetur, vulneris calor non erit probus, ſed pallidus, aut ſalitæ carnis inſtar, non ea quantitate profluent excrementa, quæ vulneri proportione reſpondeat, ſed ſæpius pauciora, quam par ſit, &

ſemper deeſt aliqua conditio boni puris, taliaque perſeverant, aut etiam in deterius labuntur. Prætereà in parte læſa pravam aliam affectionem à vulnere ineſſe dixeris. Et quo vlterius progredimur, & magis propinqua eſt inflammatio, ejus quoque præludia ſunt magis conſpicua. Itaque omnia, quæ apparent, ſymptomata ſunt perpendenda, & non minus earum, quæ coaffici ſolent, partium ſtatus. Hinc in vulneribus capitis levis fœtor ſtatim à principio, præſertim ſi perſeveret, levis capitis dolor, ſtilla ſanguinis è naribus, ſomnia turbulenta, vigiliæ, dejectio appetitus, dolor cervicis, & dorſi, inquietudo, male ſe habere ad oblata, paucitas, & pravitas puris, exquiſitus labiorum vulneris ſenſus, & ejuſcemodi alia futuram inflammationem ſignificant.

Præſagia in flammationis jecinoris.

Quæcunque vero internarum partium inflammetur ex vulnere perpauci evadunt, rariſſimi vero ab inflammatione membranarum, & cerebri, niſi ab aliqua externa cauſa ortum duxerit, vt fuſius explicatum eſt in præſagiis vulnerum capitis, nulla enim deſideratur vehementia, cauſa eſt contumaciſſima, & corporis robur ut plurimum tenui victu, & vacuantibus præſidiis ferme exolutum eſt.

De inflam matione oculorum.

Oculorum inflammatio & ipſa valde periculoſa eſt, ſiquidem affectio facilè communicatur cum cerebro propter tunicas ipſorum à membranis cerebrum involuentibus, & medullari ſubſtantia nervorum viſualium ortum ducentes, ex quo deliria, convulſionesque, ſemper autem periclitatur viſio.

De inflammatione pulmonum.

Novimus etiam quanti momenti ſit pulmonum inflammatio, quæ ſola propter partis, & ejus uſus præſtantiam, cordisque viciniam pleroſque interficit. Quod ſi duplici morbo affligatur pulmo, non mediocriter augeri periculum cenſendum eſt, quippe ſuccumbenti ipſa facultate tam grandi pondere oppreſſa, potius corruptiones, & putredines, quam utiles actiones ſunt expectandæ. Accedente verò delirio, deſperatus eſt caſus. Una ſalus his eſt, ſi puris copia per vulnus exeat, ac etiam abſque labore

bore tuſſis rejiciatur. Parum vel nihil effluere peſſimum. Si verò materia ichoroſa carnis nuper mactatæ loturæ ſimilis, aut livida, ſeu nigricans, ac fœtens effluat, actum eſt. Nonnunquam tamen à principio huiusmodi materia excernitur ex diſſolutione concreti ſanguinis citra periculum, vt admoniti ſint juniores. Non minus periculoſa ſunt ſputa viridia, livida, nigricantia, fætentia, pauca, & viſcida, ac difficilia. Si phlegmonis acutiem effugiant, plerique in hecticam, & phthiſim tranſeunt, quod ex inflammatione, copiaque purulentæ materiæ facile ponantur in calefacto eſſe cordis ſolida. Et hæc ſunt ex vulneribus, quæ in vlcus fiſtuloſum abire conſueverunt.

Inflammatio ſepti transverſi ob actionis dignitatem plerumque mortem infert: ob vulnus autem, quod conſequitur, ſpem omnem ſalutis adimes, cum eius ſanationem prohibeat, natura vero continui ſolutionem ea in parte diutius nequit perferre, ac potiſſimum, ſi diſciſſum fuerit, aut etiam ſubſtantiæ portio perierit. Auget periculum conſenſus cerebri, quo accidit, ut & ipſum inflammetur. *De inflammatione diaphragmatis.*

Inflammatio oris ventriculi, ac tenuium inteſtinorum, & præſertim jejuni cito extrema inducit ſymptomata, quorum ſævitiam nullus evadit: nam os ventriculi eſt exquiſitiſſimi ſenſus, & proprias affectiones cum corde communicat, vt alibi annotavimus, hinc cardialgiæ, ſyncope, ac ſudores frigidi. Jejunum vero inteſtinum præterquam quod exquiſitiſſimo ſenſu eſt præditum, affluentem bilem aſſiduo recipit, quod eſt in cauſa, vt magis irritetur inflammatio, & major fiat ad ipſam materiæ confluxus. *De inflammatione oris ventriculi & inteſtinarum tenuium.*

At quæ ipſum ventriculum occupat, nonnunquam licet non ſit exigui momenti, immo valdè periculoſa, parvo ſcilicet exiſtente vulnere, ſanari conſuevit. Spem affert puris egreſſus, & alleviatio doloris. Nauſea vero, & frequens vomitus mala, magnæ namque inflammationis ſunt indicia, & quæ à ſanguine prava quali- *De inflammatione ventriculi.*

 tate

tate affecto ortum ducat. Sed præterea, & fluxionem rurſus concitant, ac phlegmonem augent.

De inflammatione jecinoris.

Inflammatio jecinoris, licet propter partis præſtantiam ſit valde timenda, nihilominus niſi vulnus baſim viſceris, aut penitiores ejus partes attigerit, congrua curatione adhibita, non raro ſanatur. At ſi vulnus ſit magnum, perpauci ſervantur, impedit enim phlegmone ſanationem vulneris, interea corruptionis, ac putredinis, novæque fluxionis occaſiones. Singultus ſuperveniens malum portendit, vtpote quod cauſam habet magnitudinem, & malam inflammationis qualitatem. Notæ à pure ſunt animadvertendæ: ſpem non exiguam affert pus bonum profluens. At parum, vel nihil emanare, vel pus graveolens, pravi coloris, malæque conſiſtentiæ, peſſimum corruptionemque jecinoris ſignificat. Si quis evadunt ex magnis vulneribus, flatibus inferioris ventris per aliquod temporis ſpatium ſunt obnoxii. Aliqui etiam in hydropem incidunt.

De lienis inflammatione.

Valde periculoſa eſt & lienis inflammatio, & cum magno vulnere lethalis omnino, cauſa eſt ejus compoſitio, ac vſus, ampla enim habet vaſa, & conceptaculum eſt fœculenti ſanguinis.

De inflammatione craſſorum inteſtinorum.

Inflammationes craſſorum inteſtinorum & ipſæ periculum afferunt, ſed tamen non ſunt prorſus lethales, niſi cum eò devenerint, vt intercipiant fœcum tranſitum, ob idque vomitus fœcum ſubſequatur. Qualitas vulneris erit conſideranda, nam periculum eſt majus, ſi per

Hiſtoria.

transverſum diſciſſa fuerint inteſtina. A curru onuſto contuſis, ac laceratis craſſis inteſtinis adoleſcentuli ſatis boni habitus ſupervenit inflammatio, quæ ſuppuravit. Disrupto ſponte abſceſſu maxima puris, & fœcum valde fœtentium copia in dies profluebat, à vulnere, qui tamen longo interjecto tempore perfecte ſenatus eſt. Senatus eſt non multis abhinc menſibus in xenodochio noſtro ab inflammatione coli inteſtini graviter ſauciati, transfixum enim pugione fuerat, & juvenis, qui deploratus ab omnibus habebatur.

Inflam-

Inflammatis renibus, aut veſica petendum eſt præſagium à qualitate vulneris. Timenda autem eſt plurimum veſicæ inflammatio propter actionis neceſſitatem, doloris acerbitatem, & conſenſum nervoſarum partium.

Inflammatio veteri & propter dolorem vires proſternentem, & propter conſenſum præcipuarum partium maximum affert periculum. Remoratur quoque hæc inflammatio ſanationem vulneris, & cum vterus ſit veluti cloaca totius corporis, ad ipſum confluent corporis, totius excrementa, hinc putredines, & corruptiones. *De inflammatione renum, & veſica.*

Semper autem addenda erit conſideratio ætatis, temporis, regionis, conſuetudinis, præcedentis victus rationis, & omnino ſtatus, & naturæ laborantis. *De vtero inflammato.*

CAPUT LXXVII.

De curatione harum inflammationum.

QVia verò in primò libro propoſita eſt generalis methodus præcavendi, curandique omnes inflammationes, nihil erit reliquum, niſi vt ad materias Medicas vnicuique inflammationi congruentes progrediamur. Multa etiam ad membranarum cerebrum inveſtientium inflammationem ſpectantia ſuperius adduximus, proinde curationem hujusce inflammationis brevibus perſtringemus.

Cum primum ſeſe offerent hujuſce inflammationis indicia, iterum cogitandum erit de miſſione ſanguinis, primo quidem ex cephalica cubiti è directo poſiti, ſi vires permiſerint, aut manus, ſi fuerint imbecilliores, vel ex venis hæmorrhoidalibus ope hirudinum. Ex vſu etiam fuerint cucurbitulæ tum ſcarificatæ, tum citra ſcarificationem ſcapulis, dorſo, femoribus, atque cruribus applicatæ. Alia quoque revulſoria præſidia hic locum habebunt, vt pote frictiones aſperæ, vincula, rubificantia, & veſicantia ad extrema. *De curatione inflammationis membranarum.*

Ante-

De pharmaci exhibitione. Antequam tamen applicentur veſicantia optimum erit pharmacum exhibere. Neque audiendi ſunt, qui pharmacum reprobant, nam ſi Hippocrates præcipit, vt in externa inflammatione, quæ eryſipelatis eſt particeps, exhibeatur, pariter & in phlegmone interna conueniet, qua enim ratione vim habet revellendi in affectu externo, eadem & habebit in eo, qui partes internas corripit. Et ſi periculum eſſet, ne vi pharmaci magis commoti ſucci ad cerebrum reperent, in extrema pariter inflammatione ablegandum eſſet; inquit tamen Hippocrates lib de vul. cap. t. 28. At vbi in capitis vulnere, ſine ſerra fuerit adhibita, ſiue non, nudato tamen oſſe, tumor rubicundus ad eryſipelatis naturam accedens, in facie, & oculis vtriſque, vel altero ſubortus fuerit, quique ad contactum doleat, ac febris, & rigor corripiat &c. huius aluus purganda eſt medicamento, quod bilem ducat. Ex quibus Hippocratis verbis perſpicuum eſt, non ſolum conuenire pharmacum, verum & ſelectiue ducens. Hoc perpendant, qui caſſiam, aut prunorum liquorem non tranſcenderent. Si à ſincero ſanguine ortum haberet phlegmone, vtrique nec ego exhibitionem pharmaci laudarem; At vix fieri poteſt in cerebro, aut eius membranis talis inflammatio. Facta verò inflammatione inutiliter, & cum vulnerati detrimento potiùs, quam commodo exhiberi pharmacum exiſtimarem, cum nihil ab inflammata parte detrahat, vt alibi adnotauimus. Materia medicamenti ſuperius propoſita eſt. Ab eius exhibitione conuenient alterantia, quæ poſſint humorum ſeruorem obtundere, & ſuccorum impetum coercere, capitique robur addere, de quibus alibi ſermonem habuimus. Clyſteribus quoque, ac ſuppoſitoriis veluti non obſcuram reuellendi vim habentibus, agendum erit.

Sinapiſmi. Rubificantia parabimus ex ſinapi, pipere, naſturtio, pyretro, ſtaphiſagria, coſto, ſeminibus rutæ, euphorbio, fimo columbino, ſeminibus vrticæ, ſulphure, & huiuſmodi tenuiſſime læuigatis, atque cari-

cis

cis prius aqua emollitis, aut leviter coctis, dein contuſis, in emplaſtri formam redactis. In valentiſſimo erit tertia pars caricarum, in imbecilliſſimo tertia pars pulverum. Caricarum vice accipi poterit pix nigra cum oleo rutaceo, vel coſtino, aut laurino, & fermentum cum aceto, uel melle ſcyllitico, aut melle anacardino. Vino etiam potenti excipiuntur iidem pulveres, ſindoneque includuntur, & eo fiunt aſperæ frictiones ad partes extremas, dorſum, & nates. Eundem vſum præſtant frictiones ex linteo aceto calenti, in quo prius aliqua ex enarratis bullierint, madefacto, ad extrema. Idem habebimus ab oleo ſinapino, de euphorbio, de pyretro, ex quibus & pulvere propoſitarum ſpecierum, & ſufficienti ceræ quantitate linimensa parantur ad eundem vſum. Radix thapſiæ recens, ſi ea fricentur partes, ſinapismi vicem geret. Idem præſtat ſcylla. Lac, ſeu tithymallorum ſuccus, aut folia tuſa, & applicata rubicundum tumorem promovent. Veſicas excitant ranunculus. & flammula Jovis contuſa, & applicata. Sed communiter conficiuntur ex cantharidibus: adduntur verò ſinapi, & euphorbium tamque adjuvantia, fermentoque excipiuntur, & cum melle anacardino, aut oxymelliti, ſeu melle ſcyllitico in emplaſtri formam rediguntur. Et quoniam cantharides à proprietate ſubſtantiæ veſicæ adverſantur, idcirco addi ſolent ſemina ameos, quæ proprietatem illam corrigunt, vt nequeant amplius veſicam exulcerare. Erit exemplum pro tironibus, quod *Veſicantia.*

Recipit cantharidum præparatarum (ſolum n. ventres accipi debent) *vnc.* ſ.

Sinapis drach. i. ſ.

Euphorbii.

Semin. ameos. ana ſcr. ii.

Fermenti acris q. ſ.

Miſce & cum melle ſcyllitico fiat paſta, ſeu emplaſtrum absque igne. Vt efficacius agat antequam applicetur, ſcylla fricetur pars, ita vt ruborem contrahat.

Cautio.

Non ignorandum, aliquibus aceto ſcyllitico, aut vino parari veſicantia, verum paulo poſt euaneſcet humor propter calorem partis, & remanent adeo exſiccata, vt ægre admodum veſicas excitent, quocirca commodior eſt præparatio ex melle, vel alio liquore, quod mel habeat. Præterea vis ſinapis aceto exolui ſolet, proinde operantur fœlicius, ſi abſque aceto præparentur. In defectu cantharidum veſicas excitabunt præter herbas propoſitas, iſatis, thapſia, ſcylla, alliumque contuſa, & emplaſtri modo adhibita: immo & ipſi tithymalli, ſi in effatu digna quantitate contuſi cum proprio lacte admoueantur, aut ſi linteum eorum lacte imbutum parti applicetur. Poſt reuulſiones vniuerſales, vt aliquid euacuetur ab affecto loco, conuenient hirudines poſt aures, naribuſque affixæ. Vtilis non minus erit venarum, quæ ſub lingua ſunt ſectio, & eius, quæ in fronte eſt, cui etiam applicari hirudo poterit. De repellentibus, atque diſcutientibus ſuperius actum eſt. Victus tenuiſſimus iniungetur, ſi vires tulerint, eſt enim præcipuæ partis inflammatio, & morbus acutiſſimus.

De inflammatione ex pure excluſo.

Nonnunquam oritur inflammatio ex concluſo pure ſub oſſe, tuncque procurandus erit quam primum exitus materiæ, aut oſſis exciſione, ſi antea non fuerit exciſum, aut, ſi adhibitia iam fuerit terebra, verum caro oborta; aut membrana externa aliqua cauſa flatibus turgens, foramina, & puris viam quodammodo conſtipauerit, quod & poſt trigeſimam contigiſſe obſeruani, ſi quidem caro oborta fuerit fungus dicta, detrahenda, vt ſuo loco explicatum eſt; ſin vera caro, quamuis mollior, quoniam fieri vix poteſt, vt foramen ſit penitus occluſum, adiuuandus eſt materiæ egreſſus medicamentis extrinſecus appoſitis, quæ vim habeant euocandi materiam, ac digerendi, quibus etiam diſſoluentur, ſi qui erunt, flatus, ſuperfluaque humiditas nouellæ carnis abſumetur, exſiccata verò caro minorem locum occupabit, & foramen magis amplum reddetur, ceratum noſtrum erit optimum,

pariter

pariter ceratum humanum Carpenſis, & ceratum de betonica Ioannis de Vigo, ſi præſertim addatur aliqua portio artificioſi balſami. Fœliciter etiam vſus ſum emplaſtro ex floribus camæmeli, roſarum rubearum, anetho, betonica, ladano, ammoniaco, gummi elemi, calamo aromatico, oleo roſaceo completo, liliorum alborum, farina hordeacea, vel tenuiſſimo furfure, & poſca in magno ardore, vino autem paucifero in leuiori. In vulnus inſtillanda aqua ardens, vel oleum terebinthinæ melle roſaceo permixta, aut balſamum arte confectum. Eadem conuenient turgente ob flatus membrana. Si medicamenta parum profecerint, iterum cogitandum erit de oſſis exciſione, qua tamen indigebit raro, qui recte vti medicamentis nouerit.

Curabam puerum annum quintum agentem, cui ex equi calce ita fuit perfractum os ſincipitis, vt etiam multum eius introceſſerit, depreſſique oſſis non exigua portio os ſanum ſubiit, vt non niſi vi maxima, & multarum exciſionum ope auferri potuerit, circa vndecimam cæpit à membrana caro ſuccreſcere, & à meditullio ipſo poſt vigeſimam quartam repente correptus fuit febre vehementi, cum vulnus detexiſſem membranam carne iamdiu obductam, tumentem, atque cum impetu, & frequenter pulſantem comperi, &quam minimum puris effluxerat, cum ſat copioſum anteà emanare conſueuiſſet. Suppreſſum pus coniiciens partim ob luxuriantem carnem partim ob turgentem flatibus membranam, in ambienti namque frigido domum furtim egreſſus diu moratus fuerat, relatum emplaſtrum ſtatim applicui, quo pus copioſum eductum eſt, diſſipatique ſunt flatus, ac membrana ad priſtinum ſtatum reuerſa eſt, periit tamen aliqua portio carnis, qua tegebatur, receſſitque febris, tandemque fauente Deo, integram ſanitatem conſecutus eſt. Pari fortuna, & in pari caſu eodem emplaſtro paucis ab hinc diebus vſus ſum in quodam adoleſcente, cui trigeſimaquinta ſuperuenerat febris. *Hiſtoria*

Conſueuit natura contentam materiam aliquando tranſmittere ad os, & nares, & aures etiam, & hoc potiſſimum contingit, quando vnà vulneratum eſt cerebrum, aut inflammatum, cui opem ferre oportebit gargariſmatibus, errhinis, & medicamentis in aure inſtillatis. *Gargariſmata.* Gargariſmata conficientur ex decoctione hyſſopi, praſſii, origani, betonicæ, thymi, amaraci, ſatureiæ, hordei, paſſularum, & oxymellite ſimplici, aut ſcyllitico, ſi fortiori opus fuerit. *Errhina.* Errhina verò ex decoctione hordei, amaraci, thymi, betonicæ, & ſaccharo rubeo, aut ex ſucco blitti, & amaraci, vel ex aqua cyclaminis. Fortiora ſunt, quæ parantur ex decoctione praſſii, origani, pyretri, agarici, corticum radicum ebuli, & melle ſcyllitico, item ex ſucco enulæ, & radicum iridis, ac melle roſaceo. Non eſt autem negligenda emollientium permixtio, ſeruant enim vias laxas, & propterea vtile fuerit maluam, radices, altheæ, & alia huiuſmodi decoctionibus addere. In aures inſtillari debent quæ laxare, atque attrahere valeant. *Inſtillanda in aures.* Oleum amygdalarum dulcium cum croco huic ſcopo ſatisfaciet. Pariter adeps anſeris, & gallinæ cum croco; his fortius eſt oleum amygdalarum dulcium, in quo bullierint colocynthis, aut radices ebuli, vel cucumeris agreſtis. Prodeſt non minus emunctoria inungere oleo amygdalarum dulcium, aut lana, & ea quidem illota, cæterum oleo amygdalarum dulcium, atque camæmelino calenti imbuta fouere. Aliqui prætereà odoramenta parant ex aqua roſacea, in qua bullierint ſantali odoriferi, amaracus, lignum aloes, gariophilli, thus, maſtix, camphora, & huiuſmodi. Aut pomum conficiunt odorandum ex ladano, thure, ſtirace liquida, camphora, ſantalis odoratis, roſis, rubris, ligno aloes, gummi elemi, maiorana, gariophilis, nec non & infuſione tragacanthæ in aqua roſacea. Alii ad fortiora aſcendunt, exhibent enim odorandum acetum acre, in quo bullierint origanum, ruta, caſtoreum, pyretrum, radix cyclaminis, & huiuſmodi,

idque actu calidum. Sed hiſce calidioribus vti non auderem niſi in propenſione ad ſomnum.

Si verò inflammatio externas partes corripuerit, non ſecus & de miſſione ſanguinis habendum erit conſilium, nec non & de pharmaco exhibendo, quod & audacius exhibendum erit, quo magis accedet ad eryſipelatis naturam. Neque parcendum erit aliis reuellentibus præſidiis. Parti affectæ nullum repellens admouendum, & à frigidi ambientis occurſu cauendum, ne ad internas partes conuertatur inflammatio. Solet hæc inflammatio, ſi, vt decet, tractetur, ad ſalutem terminari, licet magna ſymptomata interdum adiuncta habeat, & ipſum delirium, vt ob id aſſiſtentes maxime terreat. *De inflammatione externa.* *Præſagia.*

Memini mihi ſeſe offerre militem, qui multo ante, quippe exacti erant iam ſeptem menſes, vulnus acceperat in ſincipite à ſiniſtra parte verſus occiput cum inſigni ſede teli, nec toto illo tempore ſanari potuerat, eò quòd oſſa diſceſſura eſſent, natura verò ſegnis erat ad ſeparationem, etſi conſueta munia obiret, & ei repente poſt maxima errata in victu ſuperuenerat febris vehemens cum rigore, bilis vomitu, & capitis dolore, maniſeſtiſque indiciis externæ inflammationis, tumebat enim facies, immò caput totum, & neſcio quem ruborem præſeferebat tumor, & ad tactum dolebat, oculi flammei prominebant, ceruix, & maxillæ rigebant cum dolore. Breui ad inſignem magnitudinem euectus eſt hic tumor, flammeuſque factus eſt, nec aperire oculos poterat. Sed quod grauius eſt, ſuperuenit delirium, & eo reducta eſt res, vt omnes, & ipſi Phyſici, qui non rectè diſtinguebant, de illius ſalute deſperarent. Congruis tamen ſectionibus ſuppreſſo pure, & labantibus oſſibus, cæterum partes ſentientes vrgentibus, erat enim orificium vulneris anguſtum valde parata via, & euacuationibus, ac reuulſionibus opportunis peractis, cæperunt poſt ſeptimam remitti ſymptomata, & nono menſe perfectè ſenatus eſt. *Hiſtoria.*

Cura inflammationis oculorum.

Si oculus vulneratus inflammetur, tundenda cephalica eiusdem lateris in cubito, ſi vires permiſerint, in manu, ſi fuerint imbecilliores, aut ſedi applicandæ hirudines. Opportunus quoque fuerit cucurbitularum vſus, & aliorum reuellentium præſidiorum: præſertim autem conuenient clyſteres, & pharmacum. Poſt hæc hirudines poſt aures admouendæ: alterantia non erunt prætermittenda, ea videlicet, quæ vim habeant humores attemperandi, atque coercendi. Atque vt vis eorum ad ipſos oculos peruenire valeat, permiſcenda erunt ocularia, vt euphragia, & fœniculum. De remediis localibus ſuperiùs actum eſt. Illud non prætenbo, me grauiſſimas à vulneratione ortas inflammationes, omnibus præſidiis rebellès ſolo vſu olei ex ouorum vitellis fœliciter ſanitati reſtituiſſe.

Cura inflammationis pulmonum.

Si pulmoni ſauciato ſuperveniat inflammatio, iterum mittendus eſt ſanguis ex jecoraria aut cubiti, aut manus, ſaltem ope hirudinis. Vires reſpiciendæ. Partiatur autem ſanguinis miſſio, tum vt melius fiat revulſio, tum etiam, vt cum minori jactura virium. Satius etiam vt cum miuori jactura virium. Satius etiam erit ex vtroque latere mittere ſanguinem, vt exhauriatur vtraque pars. Pro coctione humoris noxii exhibendi erunt ſyrupi, qui vim habeant refrigerandi, ac leniendi, nequaquam adſtringendi. Ejusmodi erunt ſyrupus violatus, de farfara, de ibiſco, capillorum Veneris, iujubinus cum decoctione hordei, farfaræ, liquiritiæ, iujubarum, capillorum Veneris, ſcabioſæ, pulmonariæ, acetoſæ, portuúacæ, endiviæ, & hujusmodi. Poſt quæ conſiderandum erit, num conveniat pharmacum nec ne, quod apparente coctione locum habere poterit, nec improbandus erit ſyrupus violaceus ſolutivus, & manna cum modico rhabarbari, & agarici, facta potione cum decocto, pectorali appellato, præ omnibus autem habenda erit ratio ſputi, vt facilè prodeat. Quamvis autem ſyrupi & huc reſpiciant, principem tamen locum ſibi vendicant

quæ

quæ lambitiva, ſeu loch dici ſolent. Atque parari po-terunt ex loch de althea, de farfara, ſyrupo de liquiritia, violaceo, de capillis Veneris, penidiis, ſpeciebus diatragacanthi frigidi & hujusmodi. Quod ſi facta fuerit inflammatio ex pituitoſo ſanguine, aut ſimul adſit pituitoſa materia craſſa, & viſcida in pulmone, permiſcenda erunt, quæ majorem vim attenuandi habeant, cujusmodi eſt ſyrupus de hiſſopo, de praſſio. Habentur in officinis præparata loch de pineis, loch ſanum & expertum, loch de farfara compoſitum, diaireos. Extrinſecus adhibenda erunt, quæ vim leniendi, & laxandi habeant citra caliditatem manifeſtam. Quapropter inſtituentur litus ex oleo violaceo, amygdarum dulcium, ſeminum lini, butyro, viſco ſeminum, & radicum altheæ, ſeminum malui, ac fœnugræci, adipe gallinæ, anſeris, anatis, & hujusmodi, nec non & fotus ex decoctione maluarum, violariæ, lini, meliloti, addito modico aceto penetrationis gratia. Cum ſputa facile, atque copioſius rejici cæperint, permiſcenda erunt, quæ vulnus reſpiciant, exſiccantia videlicet citra inſignem adſtrictionem. Hinc & potiones vulnerariæ, abſque vino, & aromatis præparatæ vtiles cenſendæ ſunt, modò abſit inſignis adſtrictio. Materiam præſtabunt verbena, veronica, gariophillata, radices ariſtolochiæ rotundæ, lignum viſci quercini, radix Chinæ, ſantali, & huiuſmodi, cum expectorantibus. Parata decoctione ex aqua communi cum melle fiet veluti mulſa: aut loco mellis accipiatur ſyrupus de liquiritia, vel de capillis Veneris. Coalitus externi vulneris prohibendus erit, aeris verò iniuriæ valdè timendæ; idcircò rarò detegatur vulnus, aliter inflammatio recrudeſcet. Victus tenuiſſimus conueniret, ſi vires ferrent, at plerumque non conſtant, ſi poſt primos dies ſuperueniat inflammatio, tum propter euacuationes à principio inſtitutas, tum etiam propter victus tenuitatem primo iniunctum. Vnde eſt, vt pauci, aut nulli ſeruentur, vnica enim ſalutis ſpes eſt

Expectorantia.

Vulnerariæ potiones.

eſt in virium robore. Maxime igitur probanda eſſet ptiſana hordeacea. Potus erit aqua hordeacea ex hordeo minimè decorticato, liquiritia, & paſſulis. Apparentibus copioſis ſputis, paulatim incraſſabitur victus.

Cura inflammationis. Inflammato diaphragmate revellentibus agendum erit, & refrigerantibus, ac lenientibus, & ſputum promoventibus, vt in pulmonis inflammatione. Laudantur in unctiones à principio ex oleo roſaceo completo, violaceo cum oleo amygdalarum dulcium, de lini ſemine, camæmelino, & adipe gallinæ, atque catplasmata ex maluis, violaria, meliloto, fœnugræco, floribus camæmeli, radicibus altheæ, ſeminibus lini, & oleis, ac pinguedine jam dictis, necnon & farina hordeacea. Procedente tempore magis diſcutientia ex vſu erunt. Parum tamen prodeſſe conſueverunt externa auxilia ob ſitum diaphragmatis. Quoniam verò coafficitur perpetuò cerebrum, videndum erit, ne affectio in eſſentialem noxiam tranſeat; quocirca fronti, & regioni ſuturæ coronalis nullo temporis momento intermiſſo admovenda ſunt repellentia, ejusmodi eſt oxyrhodinum, ſuccus ſempervivi, lenticulæ paluſtrjs, plantaginis, lactucæ, cidoniorum, umbilici Veneris cum aceto, & roſaceo. Victus, conveniet, qui in inflammatione pulmonis.

Cura inflamati ventriculi. At ſi vulnerato ventriculo ſupervenerit phlegmone, cavendum à pharmaco; & in reliquis revulſoriis præſidiis inſiſtendum. Non omittenda venæ ſectio, valentibus viribus, cujus vicem gerent hirudines ſedi admotæ, aut concurbitulæ ſcarificatæ brachiis, femoribus, cruribusque affixæ. Et ſi autem corrigenda eſſet materia in toto exiſtens, vulneratus tamen ventriculus onerari ſerapiis non patitur. Satius erit exhibere ſuccum denſatum cichorii, aut acetoſæ, vel granatorum, atque endiviæ, aqua plantaginis diſſolutum, quod erit & repellens remedium. Sed & repellendi vim habebunt ingeſta, vinum granatorum, ac cidoniorum, aqua plantaginis, vel chalybeata dilutum, pulvis roſarum rubearum, ſanta- *Repellentia.*
lorum

lorum, balauſtiorum, ſeminum plantaginis, acetoſæ, portulacæ, corallorum rubeorum, terræ ſigillatæ, boli Armen. orientalis. Item ſpecies confectionis de tribus ſantalis, qui quidem pulveres aliquo ex dictis ſuccis excipi poterunt, & in formam pilularum redigi, vt diutius morentur in ventriculo. Extrinſecus applicata repellent oleum roſaceum omphacinum, myrtinum, cidoniorum cum portiuncula olei maſtichini, vel de abſynthio; pariter emplaſtrum diaphænicon, emplaſtrum confectum ex carne cidoniorum, & pirorum ſub cineribus coctorum, pulvere roſarum rubearum, ſantalorum, coriandrorum, balauſtiorum, corticum granatorum, oleo roſaceo omphacino, myrtino, lentiſcino, maſtichino, farina hordeacea, & vino rubro adſtrigenti: Et quod conficitur ex foliis plantaginis, lenticulæ paluſtris, extremitatum rubi; vitis cum capreolis, vino rubro adſtringente, atque paucifero decoctis, aut aqua chalybeata, & pulvere roſarum rubearum, ſantalorum, maſtichis, florum labruſcæ, myrtique baccarum, & oleo cidoniorum, roſaceo omphacino, ac de abſynthio, & hordeacea farina. Semper autem addatur aliquod tenuium partium vehiculi gratia. Erit exemplum pro tironibus quod

Recipit Carnis cidoniorum coct. ſub cinerib. vnc. i.
Pyrorum immaturorum vnc. i.
Pulu. roſarum rubearum drach. i.
Santalorum
Cori androrum
Cinnamomi
Spicæ ana drach. ſ.
Olei roſati omphacini
Myrthini
Maſtichini ana vnc. ſ.
Farinæ hordeaceæ modicum, & vini rubr. adſtringentis, ac pauciferi q. ſ. & f. emplaſtrum.

Aliud.

Recipe Foliorum Plantaginis m. ii.
Lenticulæ paluſtris
Extremitatum rubi
Vitis cum capreolis ana m. i.

decoquantur ex vino rubro adſtringenti, atque contuſis addatur

Pulvis roſarum rubearum drach. i. ſ.
Santalorum
Balauſtiorum
Baccarum, & foliorum myrthi
Hypociſtidis ana drach. i.
Cinnamomi drach. i.
Olei lentiſcini
Roſacei omphacini
De abſynthio ana vnc. i.
Farinæ hordeaceæ vnc. iii.
Vini rubri adſtringentis q. ſ.
Miſce & f. emplaſtrum. ſ. a.

Anodina non ſunt applicanda ventriculo abſque permixtione adſtringentium.

Probatur & emplaſtrum Avicennæ ex granatis. Si dolor urgeat, omenta veruecis oleo roſaceo, & cidoniorum fervefacta proderunt. Et pro vino ad conficienda emplaſtra lac aſſumetur, aut ſapa, ſeu muſtum decoctum, ex quo etiam, & furfure, ac farina hordeacea, & roſaceo omphacino elegans anodynum parari ſolet. Nec oleum vitellorum ovorum ſpernendum erit. Sola tamen anodyna ventriculi robur diſſoluunt, proinde neceſſaria eſt adſtringentium permixtio.

Amygdalarum dulcium oleum, etſi mirificè ventriculi dolores ſedare ſoleat per os exhibitum, in hoc caſu fugiendum, quantum enim dolori prodeſt, tantum, vel amplius obeſt vulneri. In creſcente phlegmone digerentia permiſceantur cum repellentibus, in pauca tamen quantitate, aut leuiora. Eiuſmodi erunt oleum camæmelinum, anethinum, de abſynthio, de mentha, de maſtiche, de ſpica, flores camæmeli, meliloti, ane-

thum, fœnugræcum, ſquinanthum, ſpica, ladanum, emplaſtrum de meliloto. Cum iis, quæ per os aſſumuntur permiſceri poſſunt ſpica, ſquinanthum, cinnamomum, cariophilli, mentha, ſpecies aromatici roſati, & ſimilia. In vigore phlegmonis, æqua vis debet eſſe repellentium, ac digerentium, in declinatione verò digerendi vis augenda, vt & ad oleum Matthioli, & magnas antidotos deuenire liceat. Periclitabitur natiuus calor, niſi cum digerentibus permiſceantur adſtringentia. Victus conuenit, qui & in aliarum præcipuarum partium inflammationibus, tenuiſſimus ſcilicet. Pauca, ſed ſæpius exhibeantur, ne oneretur ventriculus, potus ſit aqua chalybeata, in qua fruſta cidoniorum fuerint incocta, aut vinum granatorum, vel cidoniorum, parcè tamen bibant. Reliqua ex vniuerſalibus haberi poſſunt. Sicuti autem fugienda ſunt purgantia, ita & vomitus, & hac ratione, quoniam ventriculum agitat, & vulneris coalitum impedit: quocirca ab omnibus illis cauendum, quæ illis nauſeam afferunt. Quod ad vulnus attinet, maximè deligenda ea curatio eſt, quæ ſine turunda, vel tubulo perficitur. Si verò neceſſarius fuerit vſus, tubuli, illud ſit nobis curæ, ne ab eo comprimatur ventriculus.

Eadem fere curatio conuenit inflammato ex plaga jecinore, nam & revellentia præſidia ſtatim à principio ſunt neceſſaria, & præcipuè venæ jecorariæ ſectio in dextro cubito, aut manu, & alterantia reſpectu materiæ in toto exiſtentis, & fervoris jecinoris, ita tamen vt dulcia caveamus, præcipuè in bilioſis, quippè quæ facilè bileſcant, cujusmodi erunt decoctiones ex cichoraceis, acetoſa, portulaca, plantagine, lactuca, & ſimilibus, aut ſucci eorum denſati, & eorumdem ſtillatitiis aquis diſſoluti. Et reprimentia, quæ nonnihil adſtringant, cujusmodi ſunt oleum roſaceum omphacinum myrtinum, cidoniorum, lentiſcinum, vnguentum ſantalinum: ſuccus cichorii, endiviæ, cidoniorum, grana- *Serapio.* *Repellentia*

torum, rubi plantaginis, vinum auſterum aquoſum cum quibus penetrationis gratia permiſcere conſuevi aut acetum, aut aliquod calidum tenuium partium, præcipuè verò calida deligo, quæ ſimul adſtringentem habeant facultatem : tale eſt oleum de abſynthio, maſtichinum, nardinum, vinum auſterum, aut aliud, in quo incoctum fuerit abſynthium : neque tamen reprobanda ſunt calida tenuium partium adſtrictionis expertia, modò inſit in reliquis hæc facultas. Abſynthium oleo roſaceo, & cidoniorum fervefactum optimum eſt, pulpa cidoniorum vino decocta, & cum oleo de abſynthio, roſaceo omphacino, ac farina hordeacea adhibita, & emplaſtrum Avicennæ de granatis, addito oleo de abſynthio, aut nardino, aut aliqua portione emplaſtri de meliloto. Ex oleis, quoque jam propoſitis, ac cera opportuna vnguenta conficiuntur. Verum quoniam crebro detegi vulnus nollem, ita præparanda eſſet materia medica, vt diutius vis ejus poſſit perdurare, aut aſſidua fiat irrigatio liquoris cujuſpiam, aut olei. Probantur ſucci jam propoſiti, nec non & decoctio, cichorii, endiviæ, plantaginis, cidoniorum, rubi, ſantalorum, roſarum rubearum cum portiuncula aceti : In augmento inflammationis permiſcenda erunt digerentia, & quo magis à principio receſſerit, eo magis augenda eſt vis digerentium : nunquam tamen ablegenda eſt vis adſtringens, quæ robur hepatis omnibus partibus neceſſarium conſervat, dum caloris naturalis diſſolutionem prohibet. Et quia ſubſtantia hepatis, cum habeat neſcio quid lutoſi, eſt ſcirrhis expoſita, digerentia verò primum tenuiorem partem abſumunt, adſtringentia materiam cogunt, idcircò, vt evitetur ſcirrhi generatio, quæ applicantur ita vim digerendi habeant, ut iis quoque aliqua vis inſit emolliendi. Propterea cataplaſmatis addentur radices altheæ, ſemina fœnugræci, meliloti, oleum amygdalarum amararum, ſeminum lini, & hujuſmodi, aut eligantur digerentia, quæ ſimul emolliendi vim habeant, vt eſt ammonia-

Digerentia.

moniacum, bdellium, galbanum, opopanax. Hinc non immeritò laudatur emplaſtrum de meliloto, vt pote, quod omnes habeat numeros. Fœliei cum ſucceſſu vſus ſum emplaſtro ex floribus camæmeli, roſarum rubearum, meliloto, anetho, fœnugræco, abſynthio, ſeminibus, lini oleo, roſaceo omphacino, de abſynthio, nardino, farina hordeacea, & vino rubro adſtringente. Poſt revulſiones univerſales, hirudines ſed utiliter ad modum applicantur. Victus convenit, qui in phlegmone partis præcipuæ. Vulnus ſine turundis tractandum, vt de ventriculo dictum eſt. Pharmaci vſus improbatur. *Victus ratio.*

Parum vel nihil ab hac diſtat inflammati ſplenis curatio. Vbi tamen digerendum eſt, magis attenuantia conueniunt, quoniam alimento magis craſſo nutitur, hinc probantur radices tamaricis, & capparum. Minor etiam debet eſſe vis adſtrictoria, quoniam non ita promptè vis eius diſſoluitur, neque neceſſaria eſt toti & facilius generatur ſcirrhus: quam ob cauſam, & emollientia cum digerentibus permiſcenda. *Curatio inflammationis lienis.*

Inflammatis verò inteſtinis à vulnere poſt venæ ſectionem in cubito dextro, & alia reuellentia præſidia, quæ in huiuſmodi affectu adminiſtrari poſſunt, nam clyſteribus ſuppoſitoriis, ac pharmaco locus non eſt, euacuationis gratia ab inflammato loco ſedi applicandæ erunt hirudines. Repellent oleum cidoniorum, roſaceum, myrtinum, violaceum. Si dolor vrgeat, omentum veruecis aliquo ex dictis oleis calefactum optimum eſt, aut oleis dictis addatur oleum camæmelinum, anethinum, vitellorum ouorum, clyſteres quoque, ſi vulnerata ſint craſſa inteſtina, refrigerantes, ac lenientes, vt ex lacte chalybeato, ptiſana hordeacea ex hordeo toſto, cum amylo & ſief albo ſine opio, non mediocrem vtilitatem afferent. Vnctuoſa, & pinguia fugienda, ne plagæ coalitum impediant, niſi tamen doloris ſæuitia aliter ſuadeat, quo in caſu oleum roſaceum, violaceum, de vitellis ouorum, butyrum ſtillatitium, & hirci adeps addi *Curatio inflammationis inteſtinorum.*

 poterit.

poterit. Progrediente inflammatione miſcenda digerentia cum repellentibus, vt & de aliis dictum eſt. Neque hìc habenda eſt roboris ratio, quoniam inteſtina non habent actionem toti communem, proinde materiæ in vniuerſalibus propoſitæ vſurpari poterunt. Turundæ in curatione vulneris ſunt ablegandæ, ſi fieri poſſit. Victus tenuis ſeruandus, donec miteſcat inflammatio.

Cura inflammationis renum.

Si renes corripuerit phlegmone, ſtatim ſecare venam expedit in brachio è directo, ſi vires ferant, aut in manu, ſi fuerint imbecilliores reuulſionis gratia, poſteà uerò in poblite, aut malleolo à parte àxterna, & è directo euacuationis gratia; nec improbantur hirudines ſedi admotæ. Repellentia erunt oleum roſaceum, myrtinum, violaceum, nenufarinum, aqua, vel ſuccus ſolani, ſemperuiui, plantaginis, lactucæ, aqua roſacea, violacea, vinum granatorum, ſpecies confectionis de tribus ſantalis, vnguentum ſantalinum, infrigidans Galeni, ex quibus parari poſſunt vaiæ medicamentorum formulæ, penetrationis tamen gratia addendum erit acetum, emplaſtra quoque ex foliis plantaginis, ſolatri, ſemperuini, roſis rubris, violis, raſura cucurbitæ, ſantalis, oleis iam propoſitis, farina hordeacea, & poſca, ſeu oxycrato non improbantur, poſt inflammationis principium addenda, quæ digerendi vim habeant, vt in aliarum partium inflammationibus. Clyſteres conuenient primò ex lacte, ptiſana hordeacea, oleo roſaceo, violaceo, butyro, adipe gallinaceo, anſerino, ſuillo, atque decoctione maluæ, violariæ, ſolani, & huiuſmodi, poſteà reſolutionis gratia locum habebit oleum camæmelinum, liliorum alborum, ſeminum lini, anethinum, & in decoctionibus flores camæmeli, meliloti, anethum, fœnugræcum, ruta, & ſimilia. Verùm non multa materiæ quantitas iniiciatur, ne repleta nimis inteſtina renes comprimant. Alterantia conuenient, quæ in aliis internis inflammationibus. A diureticis cauendum præterquam in declinatione. Victus conuenit, qui in aliis internis inflammationibus.

Eodem

Eodem modo tractanda eſt veſica vulnerata, cum inflammatur. Quia tamen ſæuos dolores concitat hæc inflammatio, idcirco repellentia ſint etiam anodyna, non adſtringentia, neque valde frigida, tum hac ratione, tum propter exiguum naturalem calorem ipſius veſicæ. Opportunæ igitur erunt inunctiones ex oleo roſaceo completo, violaceo, nenufarino, vitellorum ouorum, cruris vituli, adipe ſuillo, gallinaceo, & cataplaſmata, ex foliis maluarum, bliti, violariæ, parietariæ, lacte decoctis, roſaceo, violaceo, aut nenufarino oleo, butyro, adipe gallinaceo, farina fabacea, aut tritici, & lacte, aut iure pingui. In vehementi dolore omentum veruecis roſaceo feruefactum præclaram operam præſtat. Procedente tempore ad ea, quæ digerant tranſeundum, vt in aliis inflammationibus. Per ſedem ſæpius iniicienda ſunt primò quidem lac, & ptiſana hordeacea, cum oleo roſaceo, violaceo, butyro recenti, & adipe ſuillo, aut gallinaceo, deinde decoctio hordei, maluarum, violariæ, bliti, lactucæ, florum camæmeli, anethi cum roſaceo camæmelino, anethinoue oleo, aut liliorum alborum. Et ſenſim augeatur vis digerens, imminuatur vero reprimens. A diureticis pariter cauendum. *Cura inflammatæ veſicæ.*

Idem propoſiti ſunt ſcopi in curatione inflammationis vteri, vt enim inflammationis augmentum prohibeatur reuellentia conueniunt, & propterea quam primum ſecetur vena in cubito, & ea quidem interna, aut in manu. Frictiones aſperæ humeris, atque brachiis adhibeantur; deligentur arcte brachia, & calente aqua lauentur. Eadem ratione repellentia admouenda ſunt regioni vteri, quæ alibi fuere propoſita, & penetrationis gratia miſceatur acetum, aut artemiſia, & crocus. Etſi horum etiam ope aliquid à parte euacuetur, attamen, vt magis inaniatur poſtmodum ſecanda eſt vena in poplite, aut malleolo à parte interna. Nec ſpernendæ ſunt hirudines ſedi affixæ, & malleorum ſcarificationes. In progreſſu inflammationis neceſſaria ſunt, quæ digerant, *Cura inflammati vteri.*

vt

vt in aliis inflammationibus: neque verendum eſt de partis robore, cum vterus non habeat actionem toti communem. Itaque audacter vti relaxantibus poſſumus, abſque adſtringentium permixtione. Inter digerentia probantur artemiſia, matricaria, oleum liliorum alborum, & cheirinum. Cum vrget dolor, præter olea anodyna laudantur adeps gallinæ, anſeris, ſuillus, & huiusmodi & emplaſtra ſapa conficiantur. In vterum quoque immittantur peſſi ex cerato roſacco, & oui vitello, aut oleo vitellorum ouorum, butyro loto, adipe anſeris, aut gallinæ, ac medulla vituli. A principio vero repellendi gratia iniiciatur lac permixtum cum ſucco plantaginis, portulacæ, ſemperuiui, vmbicili Veneris, ac ſolatri, ſi maiore refrigeratione opus fuerit, vt quando inflammatio eſt eryſipelatis particeps, hoc enim in caſu ſemper magis refrigerantia conueniunt. Cum augetur inflammatio ad reſoluentia tranſeundum, vt in aliis. Quod ad reſoluentia, quæ extrinſecus adhibentur, illud non eſt obliuioni tradendum, in itinere vim eorum diſperdi, ob idque opus eſſe vi digerenti maiore, quam ſi in extremis partibus eſſet inflammatio, & iis, quæ tenuiorum ſunt partium. Acetum quidem ſolet eſſe vehiculum, ſed in effatu digna quantitate obeſt vtero. Ne verò reſoluta parte, quæ tenuior eſt, generetur ſcirrhus, non erit ab re cum digerentibus emollientia permiſcere, quæ quidem alibi fuere propoſita. Ratione materiæ in toto exiſtentis conuenient alterantia, quæ in aliis internis inflammationibus. Caueantur, quæ menſes promouent ante declinationem, niſi permiſceantur in modica quantitate,& gratia vehiculi. Victus ratio eadem erit, quæ in aliis internarum partium inflammationibus. Vulneris curatio eadem erit, quæ ventriculi.

Anodyna.

APPEN-

APPENDIX.

DE VVLNERIBVS SCLOPO INFLICTIS.

CÆSARIS MAGATI.

DEcreueram nullam peculiarem rationem habere eorum vulnerum, quæ tormento bellico, quod vulgus ſclopum appellat, infliguntur, etiamſi viri clariſſimi longos tractatus de curandis hiſce vulneribus ediderint, vt qui in hac ſemper fuerim ſententia, talia vulnera, non aliter eſſe curanda, ac contuſa, eoque magis ab hac tractatione ſuperſedendum exiſtimabam, quoniam, & multi ex his, qui in hanc rem commentaria ediderunt, eiusdem omnino ſententiæ comperiuntur & omnino validiſſimis rationibus conuellunt eorum ſententiam, qui hæc vulnera venenata eſſe ſtatuebant, ambuſtionemque adnexam habere, ideoque longe diuerſam curationem inſtituebant, ac in iis, quæ ſimpliciter ſunt contuſa. At ab hoc propoſito me euocauit, quod in illuſtribus adhuc vrbibus vigere eam curandi rationem obſeruaui, quam apud omnes iamdudum obſoleuiſſe exiſtimaueram, magno quidem cum ægrotantium damno, qui enim illic medicinam faciunt, talia vulnera venenata eſſe perſuaſum habentes, ne venenum ad venas attrahatur, abſtinent à miſſione ſanguinis, & omni purgatione, vt re vera abſtinendum eſſet, ſi forent venenata, præſidiis omnium ſententia adeo neceſſariis ad prohibendam fluxionem, & inflammationem, vnde quanta cum vtilitate laborantis id fiat, omnes noverunt, licet, & alii ſint, qui eam, parcam tamen, laudant, ſed poſtea raro vtuntur, laudantes forſan, ne ab aliorum opinionibus in cura diſcrepare videantur.

antur. Præterea, vt venenum in vulnerata parte exiſtens deſtruant, à recta curandi ratione deficiunt topicis, & maiorem veneni rationem habendam cenſentes, medicamenta componunt in vulnus inſtillanda, cum bezoarticis tum adſtringentibus & ſiccantibus vt eſt bol. Arm. tum calefacientibus vt eſt theriaca. Aliquando etiam ſcalpello vulneratam partem incidunt, carnem diſſecant, cucurbitulas euocandi veneni gratia admouent, quo fit, vt laborantes in maximum diſcrimen adducantur. Sed perferri magis poſſet hic error, quoniam tandem cum eorum uita deficeret, niſi & iuuentutem eundem modum quotidie docerent, & quod maius eſt niſi quoque libros edidiſſent, quibus aſtruere conantur ſuum dogma, & contrarias rationes euellere: quo fieri poteſt, ut prauum hoc dogma largius ſerpat, uel ab iis ſaltem, qui minus in rebus medicis uerſati ſunt, imbibatur, eoque magis cum noſtra hac ætate plerique eorum, qui curandis uulneribus incumbunt, ſins Empyrici, quod cum quanto mortalium diſpendio contingat, non ſatis dicere poſſem. Vt ergo penitus præſecentur huiuſce ſectæ radices, conatus ſum noſtro de uulneribus tractatui commentariolum hoc adiungere. Ex quo etiam innoteſcet, qua ratione noſter ille modus curandi huiuſce uulneribus adaptetur, & quamuis id non fuiſſet neceſſarium, cum ſatis id elici poſſit ex ſuperius poſitis, attamen propter imbecilliores, & tirones non erit inutile.

CAPUT I.

Num ambuſta, & venenata ſint vulnera ſclopo inflicta.

QVoniam igitur in hac ſumus ſententia, uulnera tormento bellico illata nullo pacto cenſenda eſſe uenenata, neque etiam ambuſta contra horum ſententiam neque alio modo curanda, quam contuſa, operæ pretium eſt, vt rei huius veritas eluſceſcat, videre, quantum

quantum roboris habeant rationes eorum, qui veneni, & ambuſtionis expertia hæc vulnera profitentur, & quam rectè ſoluantur à contrariam tuentibus ſententiam, & quam firmas etiam rationes pro hoc ſuo dogmate ſtabiliendo afferant. Etenim, ſi probatum fuerit, male ſolutas fuiſſe rationes eas, aduerſas verò non concludere, voti noſtri compotes dici poterimus.

Qui ergo ambuſtionem à vulneribus ablegant, talibus vtuntur rationibus, ſi vulnera hæc eſſent ambuſta, vtique à vulnerato actus ambuſtionis perciperetur, vis enim ignea maximè ſenſibilis eſt, vt norunt omnes, at nullus caloris ſenſus percipitur, nedum ambuſtionis: ergo nequaquam ambuſta cenſenda ſunt hæc vulnera. *Rationes ambuſtionem tollentes.*

Secundò, ſi pila illa plumbea ſclopo exploſa vim haberet comburendi, combureret, quod magis eſſet combuſtibile, at nullus ignis effectus percipitur impreſſus à pila in magis combuſtibili, quam ſit humanum corpus, ergo nullam vim combuſtiuam dicendum eſt habere illa pila plumbea, & ex conſequenti talia vulnera eſſe combuſtionis expertia. Conſequentia videtur manifeſta, agens enim omne tanto magis agit, quanto patiens eſt magis diſpoſitum. Aſſumptum probatur experientia ipſa, namque ſi lignum, aut indumentum, ſiue laneum ſiue ſericeum, aut alterius ſortis à pila transfixum inſpiciatur, nullum ambuſtionis veſtigium in eo conſpicitur, immo ſi in ipſum puluerem pyrium explodatur pila, puluis ille ignem non concipit. *Secunda ratio.*

Tertiò, ſi pila illa vim combuſtiuam ab accenſo puluere ſuſciperet, ſi quid aliud magis combuſtibile pro pila intra cannulam poneretur, magis actionem ignis deberet recipere, at non recipit, ergo neque pila recipiet. Conſequentia eſt manifeſta per dialecticum illud axioma, ſi cui minus videtur ineſſe, ineſt, ergo & cui magis videtur ineſſe, inerit. Aſſumptum experientia verum deprehenditur, pro pila enim plumbea ponatur lignum, ponatur ſtupa, aut charta, aut linteum, omnia actionem ignis effugere videntur. *Tertia ratio.*

Quarta ratio. Quartò, ſi pila tormento exploſa vim haberet comburendi, ab ictu ingentem præſeferre calorem neceſſe eſſet, atqui ab ictu manibus ſtatim abſque ardoris ſenſu tractatur, immò vix tepida perſentitur, ergo nullam vim comburendi habere poſſe dicenda eſt.

Vltima ratio. Poſtremò ſic arguunt; Vis cauſtica ſanguinem ſupprimit, at pila exploſa maximum profluuium ſanguinis concitat, ergo vi cauſtica eſt expers.

Rationes venenum tollentes. *Prima ratio.* Quod verò neque venenata ſint talia vulnera, duabus potiſſimum rationibus contendunt, quarum prima eſt, ſi talia vulnera eſſent venenata, hoc eſſet, quia puluis pyrius ſit venenatus, at non eſt venenatus, ergo neque vulnera. Conſequentia patet, nam cum plumbum non ſit venenatum, neque vulnera poſſint à plumbo venenum ſortiri, relinquitur, vt id habeat à pyrio puluere. Aſſumptum probatur: Illud compoſitum eſt venenatum, cujus componentia ſunt venenata, at ea, ex quibus componitur pyrius puluis, non ſunt venenata, ergo neque ipſe pulvis erit venenatus. Major eſt nota, quoniam compoſitum vim, & facultatem recipit à componentibus. Minor probatur, namque ea, ex quibus componitur pyrius pulvis, ſunt carbo, ſalnitrum, & ſulphur, quorum nullum eſt venenatum, innoxie enim vnumquodque, & extrinſecus applicatur, & per os aſſumitur, vt omnibus medicinam facientibus conſtat, ſulphur enim per os exhibemus ad aſthma ex tuberculo in pulmone, & ad ſcabiem. Ex nitro etiam pilulas conficimus de nitro appellatas. Præterea aquas ſulphureas, & nitroſas innoxie non ſolùm, verùm potius cum ſumma vtilitate in multis affectibus potandas exhibemus. Immò & Germani pulverem pyrium in multis affectibus non ſolùm citra damnum, verùm etiam vtiliter ingerunt, ergo neque componentia, neque compoſitum ſunt venenata.

Alter ratio eſt, ſi vulnera hæc forent venenata, neceſſariò ſupervenirent in omnibus vulneribus ſymptomata, quæ ex veneno evenire conſueverunt, at multa ex his

vul-

vulneribus videmus ſanari, nec ſupervenire vllum omninò pravum ſymptoma, nedum ſymptoma ex veneno, ergo veneni expertia eadem oportet confiteri.

At qui ambuſtionem, & venenum in hiſce vulneribus agnoſcunt, pro ſua tuenda ſententia, irrefragabiles, vt ipſi exiſtimant, afferunt rationes, & primò quidem ambuſtionem adeſſe ex duobus colligunt, videlicet ex ipſo ſenſu, & ex effectibus; ex ſenſu quidem, quoniam, dicunt, in multis hujusmodi vulneribus ambuſtio ipſa oculis obſervatur, unde negare ambuſtionem, videtur eſſe negare ſenſum ipſum, at qui negat ſenſum, indiget ſenſus ope. Ex effectibus, quoniam usque ad undecimam diem inflammatio creſcit, quod eſt proprium ambuſtionis, ut norunt & ipſæ mulierculæ: deinde à vulnere excernuntur acres, tetrique ichores, atque nigræ fuligines, apertiſſima uſtionis argumenta, ergo ambuſtionem horum vulnerum eſſe comitem aſſeverandum eſt. *Rationes hiſce vulneribus ambuſtionem ineſſe probantes.*

Sed quod ad venenum, ex aliis effectibus colligunt, primo enim vulnerati cordis tremore ſemper corripiuntur, quod manifeſtiſſimum eſt venenatæ qualitatis argumentum, ut quæ cor petat, & principiis vitæ omninò ſit infenſa. Deinde febres malæ conſequi ſolent, vulneris labia livida, & nigra conſpiciuntur, pravaque ſymptomata vulneratæ parti accidere conſueverunt, utpote putredines, gangrænæ, ſphaceli, &c. Et omninò difficilis eſt eorum ſanatio, argumenta quidem evidentiſſima malignæ, & venenatæ qualitatis. Nolo ſilentio præterire egregium argumentum cujusdam ſenis magni nominis in logicis valdè exercitati, qui in opuſculo ſuo de vulneribus ſclopo inflictis nititur probare, hujusmodi vulnera eſſe venenata, ſic enim arguit: Quod ex venefica cauſa prodit, vt veneni naturam ſapiat, neceſſe eſt, at vulnus, quod vi ſclopeti infligitur ob pulverem venenatum, qui tormentum iſtud ingreditur, venenoſum reddi neceſſe eſt, tale igitur vulnus veneno haud caret. Eſſe autem qualitatem veneficam in hoc pulvere, duo præcipuè de- *Rationes venenum aſtruentes.*

clarant, quorum primùm eſt natura elementorum ipſius, qualia ſunt ſcalpetræ, ſeu ſalnitrum, ſulphur, & carbo, quorum aliqua calida ita ſunt, vt dum intenduntur, ad quartum caliditatis, ſiccitatisque gradum pervenire omnibus pro cònfeſſo habeatur, atque ex conſequenti venena fieri: alterum autem eſt, quod, qui pulverem iſtum conſtruunt, ne ab ejus halitu venefico lædantur, os nareſque ſibi occludunt. Hæc divinus ſenex.

Solutio priorum argumentorum.

Ne autem huic ſententiæ contraria argumenta officiant, ea ſolvere conantur, vnde ad primum, quod ambuſtionem tollat ex eo, quòd combuſtio à vulnerato non percipitur, reſpondent hoc contingere, quia prævalet dolor à contuſione procedens, quod enim maior ſit contuſionis vis, obſcuratur vis combuſtiva, juxta illud Hippocr. 2. Aph. 46. Duobus doloribus ſimul noſtrum corpus infeſtantibus, major minorem obſcurat. Prætereà dicunt contuſionem perſentiri, non autem ambuſtionem, eò quòd ambuſtio non fit affatim, ſed ſucceſſivè, & ſenſim, contuſio verò confeſtim. Mutatio autem, quæ dolorem, aut voluptatem infert, affatim fit.

Ad 2. & 3.

Ad ſecundam, qua vis combuſtiva tollitur à pila plumbea, eò quòd non comburat magis combuſtibilia, qua ſint membra noſtri corporis, reſpondet negando conſequentiam, ad probationem dicit, non eſſe parem rationem de partibus humani corporis, & de linteis, ſtupis, & hujuſmodi, namque talia ob amplitudinem meatum tenuiſſima illa exhalatio facillime pervadit, intacta ſubſtantia, quod non evenit in humano corpore ob ejus denſitatem; idem enim hoc evenire dicunt, ac in fulminis ictu, quo illæſa vagina, enſis aut gladius colliquatur, vel in cinerem vertitur, & vinum exhauritur dolio intacto. Præterea dicunt hujuſmodi exhalàtio ad àctum reducitur à naturali noſtro calore, ideoque carnoſas partes vrit, quod non contingit in goſſipio, linteis, & aliis, propterea quod non poſſunt ad actum deducere hanc exhalationem. Ex quibus etiam patere dicit reſponſionem ad tertiam rationem.

Ad

Ad quartam inquiunt, & ſi pila ab ictu non ſentiatur fervens, nihilominus tamen in penitioribus ipſius meatibus deliteſcere tenuiſſimam illam exhalationem, quæ refrigerari ab ambiente tam cito nequit, ideoque ubi intra membra vnà cum globulo recipitur, ambuſtionem gignere. Inquiunt etiam, forſan hanc exhalationem ab ambiente ob tenuitatem ociſſime refrigerari, ideoque ſi pila ſtatim ab ictu manibus tractetur, vix tepida perſentitur, extincto videlicet calore, at eadem poſtea à calore noſtri corporis rurſus attenuatur, atque calefit, & ad actum reducitur, vt rurſus vim conbuſtivam accipiat. Sic veſicantia actu frigida ſentiuntur, at à naturali noſtro calore calefacta, & ad actum reducta veſicas excitant: quod ſi corpori applicarentur jam prope mortem conſtituto, quoniam à nativo calore actuari nequeunt, neque calorem, neque veſicas poſſunt excitare, vt quotidie experimur, ſignum, naturalem calorem eſſe cauſam multorum effectuum, qui aliàs non contingerent. *Ad 4.*

Ad poſtremam rationem, qua ambuſtio tollebatur, eò quòd copioſus emanat ſanguis, qui potius vi amburentium ſupprimitur, reſpondent primò, verum id eſſe, & propterea negant, in hiſce vulneribus fieri copioſas ſanguinis profuſiones, immo vt plurimum pravus emanat ſanguis. Secundò reſpondent, non omnino, quæ vſtionem efficiunt, ſanguinis fluxum cohibere, ſed quæ ſolummodo vltimum ambuſtionis gradum inducunt, eſcharotica vocata, at in hiſce vulneribus non inducitur ſemper hæc vltima ambuſtionis ſpecies, ſed prima aliquando, immo fere ſemper, intemperies videlicet calida, & ſicca, vnde non eſt mirum, ſi quandoque etiam ſequatur ſanguinis profluvium. *Ad poſtremum.*

Argumentis pariter, quæ venenum ab hiſce vulneribus tollunt, ſatisfacere conantur, & ad primum, quo probabatur, talia vulnera non poſſe eſſe venenata, eò quòd pyrius pulvis non ſit venenatus, vt patet ex componentibus quorum nullum eſt venenatum, reſpondent, admit- *Solutio argumentorum, quæ venenum tollunt.*

mittendo, componentia pulverem hunc non eſſe venenata, licet neque penitus id concedant, ſed conſequentiam negando, eò quòd dum pulvis ille accenditur, ita ejus qualitates immutantur, vt inde veneni naturam concipiant, non tamen veneni deleterii, ſed tamen exitioſi, ratione videlicet alicujus excedentis qualitatis, quia ſcilicet nimis excedat in caliditate, & ſiccitate, ſicuti ſunt euphorbium, aut thapſia. Et quoniam potuiſſet aliquis dicere, quomodo ignis actione poſſit generari res venenata, cum potius ignis conſuevit omnem vim deleteriam abſumere, ſubjungunt, verum quidem eſſe de venenis à tota ſubſtantia necantibus, non autem de tali veneno, quale dictum eſt, id eſſe, quod ex accenſione pulveris generatur. Et quod aliàs etiam vi ignis generentur venena, ex iis arguit, quæ vi chymica quotidie parantur, nonne alumen, & ſalnitrum, dicunt, venenatæ qualitatis ſunt expertia? Et tamen per deſtillationem extrahitur aqua omnino venenata. Pariter ex Mercurio, & ammoniaco conficitur ſublimatum appellatum, & mille alia: non eſt ergo mirum, ſi vi ignis etiam ex pulvere illo generetur venenum. Et, quamvis pulvis innoxie devoretur, nihil ad rem facit, ſubjungunt, quoniam in accenſione venenum generatur.

Ad 2. Ad alteram rationem, qua aſtruebatur, vulnera hæc non eſſe venenata, eò quòd non ſemper appareant ſæva illa ſymptomata, quæ à venenis oriri ſolent, dicunt primo, multo plures eſſe, qui gravia illa ſymptomata patiuntur, quam qui non. Secundò, veneni hujus vim à tota ſubſtantia non eſſe, ſed à qualitate manifeſta, ideoque vt ſequantur illi effectus, neceſſarium eſſe vt adſit certa quædam quantitas dictæ exhalationis, & neque à vulnerati membri temperie, neque alia re obſtante expurgetur; namque vbi exigua eſt illius exhalationis quantitas, vel expurgatur à vulnere, vt nonnunquam contingit, non eſt, quod ſequantur illa ſymptomata. Itaque concludunt, talia vulnera eſſe &

cum

cum contuſione, & cum ambuſtione, & cum venefica qualitate. Nunc videamus, quantum roboris inſit iis argumentis, quibus ambuſtio, atque venenata qualitas à vulneribus tollitur, & quam recte ſolvantur.

Quod ad primum argumentum attinet, à ſenſu ipſo depromptum, illud fateor eſſe maximi momenti, verum combuſtionem eſſe in aliqua parte, neque ſentiri, implicare videtur, vnde & reſponſio nullius momenti cenſenda eſt; non enim ſumus in Hippocratis caſu, immo ſi eſſemus in hoc caſu, potius dicendum eſſet, dolorem à vi ignea eſſe majorem eo, qui à contuſione excitatur, & ex conſequenti obliterari potius dolorem à contuſione, quam ab ambuſtione. Etſi exactius velimus rem perpendere, dolorem à contuſione non videtur excitari, vel parvum ſaltem, eo quod ſolutio illa continui ſubito fiat, & fere momento. Scimus autem ſolutionem continui momentaneam non inferre dolorem, hinc vulnerati, & transfoſſi pilis tormento bellico exploſis, multoties ignorant, ſe eſſe vulneratos; vnde cum contuſio non inferat dolorem, & laceratio illa partium affatim contingens, quomodo impediri poterit, quo minus pars ſentiat, ſi comburatur? Hoc nihil aliud eſt, quam vim ſentientem à parte auferre: quo nomine potius potuiſſent reſpondere illi argumento, vt videlicet ſenſatio combuſtionis tollatur, eo quod contuſio tollat à parte ſenſum. Sed cum labia vulnerum horum non expertia ſenſus, immo maximè ſentientia deprehendantur, vanum eſt etiam ad hoc confugere. Prætereà continui ſolutio ea eſt, quæ dolorem infert, non ſoluta continuitas, & propterea facta contuſio non inferet dolorem, quare, ſi adeſſet ambuſtio, non obſcuraretur dolor ab ea contingens à dolore vi contuſionis oborto. Manet igitur primum argumentum in ſuo robore, neque reſponſio illa quidpiam officit.

Corroborantur priora argumenta, & ſolutiones improbantur.

Secundum argumentum pariter maximam vim habet, quomodo enim corpus comburens rem facilè combuſtibilem non comburet, & difficiliùs combuſtibilem combu-

Corroboratur 2. & 3. argumentum.

ſtione afficiet? Velle autem conferre illam vim igneam cum fulmine, prorſus à ratione alienum eſt, nondum enim obſervatum eſt, tales effectus prodiiſſe ab hoc pulvere accenſo, quales à fulmine; & quam ſint diverſæ naturæ effectus ipſi oſtendunt. Quando obſervatum eſt ex accenſo pulvere pyrio in cella vinaria, vina omnia naturam immutaſſe, exuſtionem, & odorem ſulphureum adepta eſſe, & venenatam etiam qualitatem? Quæ tamen ab ictu fulminis contigiſſe ſæpius obſervatum eſt: quando liquavit, aut in cinerem reduxit nummos intacto loculo. Sed nimis in longum protraheretur ratio noſtra, ſi per omnes fulminis effectus vellemus diſcurrere. Ad rem propius accedamus, videamusque num tenuitate partium illius igneæ facultatis contingat, vt goſſipium, linteum, & hujusmodi non incendat, eo quod talia habeant meatus ampliores: equidem, ſi hoc eſſet, oporteret, vt alia etiam combureret, quæ denſiores habent poros, & non ſolùm humanum corpus; videtur enim à ratione alienum, quod inter tot corpora ſolum animal poſſit à tali vi ignea comburi, & tamen ſive in lignum, ſive in ferrum, ſive in lapidem, ſive in quodvis aliud denſum corpus ejaculetur pila nullum relinquit combuſtionis veſtigium, ergo in humano corpore illud relinquet? Sed falſitatem hujus ſuppoſiti ex eo etiam licet conjicere, quod ſi contingat, eum, qui vulneratur, à vulnerante parum abeſſe, in vulneratl veſtimentis ignis accenditur, immo illa prohibent, non obſtante raritate, ne flamma comburens ad vulnerati carnes feratur. Sed & ipſi viderunt reſponſionis illius vanitatem, & propterea aliam, nec minus appoſitam commenti ſunt, videlicet illud contingere, eo quod talia corpora inanimata, caloriſque naturalis expertia, non poſſint hanc igneam qualitatem ad actum reducere, quemadmodum facit naturalis humani corporis calor. Hac reſponſione propriam vocem ignorare ipſos fateri oportet, ſi enim vis illa ut comburat, neceſſarium eſt, ut ad actum reducatur, neceſſario quoque dicendum,

prius

prius extinctum fuiſſe ignem ex pulvere accenſo, namque ignis vivus, vt ita dicam, actu comburit, non potentia, & ita omnia comburit, ſi ergo vis illa, ſic enim appellare liceat, non comburit actu, ſed potentia tantum, alioqui & ipſa quæcunque combureret, extinctum eſſe ignem pilæ plumbeæ comitem fateri oportet: dein ſi combuſtio à pila fieri debeat, oportet, vt id, quod igneæ qualitati ſubjiciebatur, rurſus à naturali calore humani corporis accendatur,, ſicuti contingit veſicantibus medicamentis, & eſcharoticis, in his enim vis ignea ſopita, & veluti à contrariis qualitatibus ligata, in lucem profertur à calore noſtro, ſic igitur neceſſarium erit, vt ex combuſto pulvere pyrio remaneat corpus potentia calidum in quarto gradu; talia enim ſola comburere poſſunt, atqui hoc falſum eſt; comburatur enim pyrius pulvis, & fuligo, quæ remanet, acervetur, & quis experiatur qualitatem ipſius, comperit omnino talis igneæ qualitatis ipſam eſſe expertem. Etſi haberetur, quod ipſi adhæret pilæ, quando corpus humanum pervadit, adeo exiguum eſt, vt abſonum videatur, poſſe ab eo combuſtionem excitari. Cum igitur reſponſio vtraque nulla ſit, ſecundum, & tertium argumentum in ſuo robore permanent.

Ad quartum accedamus, quod probat pilam plumbeam non comburere, eò quòd ab ictu non deprehendatur in exceſſu calida, ſed vix tepida. Reſpondent id contingere, quoniam in penitioribus tantùm pilæ meatibus delitеſcit, rarum certè corpus, tenuis illa exhalatio, unde ſi manibus tractetur, non perſentitur ejus caliditas, at, dum humanum, corpus perfodit, vim ſuam manifeſtat, verſutum ſanè animal, quod ſic deliteſcit, ſed dum humanum corpus tranſverberat, egreditur doloſè, ſi enim dum recipitur, intra membrum etiam deliteſceret in penitioribus meatibus pilæ, neque etiam calefacerer ipſum, ſicut neque calefacit manum, dum tractatur; egrediatur ergo à latibulis oportet hic inimicus, poſteaquam tam imprudentes cenſendæ non ſunt humani corporis *Corroboratur quartum.*

 par-

partes, vt ipſum attrahant. Non minorem vim ingenii oſtendit altera reſponſio, quæ confugit ad calorem naturalem, qui vim ſopitam excitat, de qua abundè ſuperiùs dictum eſt.

Vltimum argumentum, fateor, parum efficax eſt, non enim ſemper vis cauſtica profluuium ſanguinis ſupprimit, cum nec ſemper ſufficientem eſcharam efficiat. Secet quis venam ſcalpello ignito, profluet ſanguis. Oportet, ut inducatur eſchara proportionata vaſi fracto; poſſet ergo, etiamſi pila eſſet ex ferro, & ignita, & combuſtionem efficeret, copioſum ſanguinis profluuium concitare. Hoc autem dico, quoniam non omninò faterer, pilam ferream ignitam comburere, tormento manuario exploſam, tanta eſt enim ictus celeritas, ut vix fieri poſſe credam, ut ignis vim ſuam poſſit exercere. Sed hæc obiter. Quòd ſi ſint quædam vulnera, à quibus profluat parum ſanguinis, id referendum non eſt in vim igneam, quæ ſupprimat ſanguinem, quoniam & ipſi fatentur, ab illa non induci eſcharam, ſed primum tantùm ambuſtionis gradum; verum inſignem contuſionem qua non minus ferè ſupprimitur ſanguis, quam ab eſcharotico.

Solvuntur argumenta contraria. Sed neque efficaciora ſunt argumenta, quæ ab ipſis aſferuntur pro ambuſtione, quod enim ad primum attinet, deſumptum ex ſenſu viſus, mihi nunquam datum eſt in hiſce vulneribus ambuſtionem hanc cernere, ipſi forſan occulatiores obſervarunt, ſed quo amictu veſtitam eam viderint, non referunt, unde adducor, vt credam, figmentum id eſſe ipſorum: Profecto ſi debet oculis innoteſcere, oportet, aut ut ſit eſchara, aut veſica, quales excitantur à veſicantibus medicamentis, aut accenſus, & flammeus quidam calor qualis a ſinapiſmis proficiſcitur. Eſchara ex ipſorum etiam mente non eſt, ſiquidem dicunt, vt plurimum primum ambuſtionis gradum eſſe eum, qui ab hac pila excitatur intemperiem videlicet calidam, & ſiccam. Licet poſtea, dum curationem tractant,

ctant, de eſchatæ lapſu mentionem faciunt. Sed tamen neque adeo ſui oblitos judico, ut de eſchara vi igneæ qualitatis excitata ipſos intelligere exiſtimem, ſed de ea, quæ ex inſigni contuſione oritur, dum atteruntur carnoſæ partes. Oportet ergo, ut conſpiciatur hæc ambuſtio, aut ſub ſpecie veſicarum, aut ruboris cum fervore, quorum tamen nullum ab actu obſervamus. Sed dicent forſan hoc contingere, quoniam in intimis vulneris partibus ambuſtio hæc reperiatur. Verum ſi hoc ita ſe habet, quomodo ipſi oculis eam viderunt? Sed ad aliud tranſeamus, pudet enim in hiſce futilibus diutius immorari.

Dicunt vim igneam adeſſe ex hoc poſſe colligi, quod inflammatio creſcit vſque ad nonum diem, quod eſt proprium ambuſtionum: norunt id ipſæ mulieres. Sanè hoc argumentum muliebre eſt, primò quidem neminem eſſe arbitror, qui uſtiones, & ab igne, & ab aqua feruenti, & à pyrio pulvere accenſo ſæpius tractaverit, & id proprium eſſe ambuſtionum compererit. Ego quidem non paucas vidi intra quartam terminatas, alias intra ſeptimam, alias uſque ad decimam quartam etiam vidi fuiſſe cum inflammatione auctas, & pluribus etiam diebus. Altera verò ex parte, dum vulnera hujusmodi tractarem, alia vidi citra omnem inflammationem ad ſanitatem perducta, alia, quibus ſupervenit inflammatio, quæ modò uſque ad ſeptimam, modò nonam, modò undecimam aucta eſt, & ulterius etiam pro affectarum partium varietate. Ideò, quod robur habeat argumentum illud, ipſi videant. *Ad 2.*

Alii alia afferunt argumenta pro aſtruenda hac ambuſtione, quorum primum eſt: Cauſa, quæ impellit globulum ad percutiendum, ignea eſt, ergo quod ex hac percuſſione ſequitur vulnus, ambuſtum erit. Secundò idem oſtendunt ex violento motu ipſius globuli, quo videtur rationi conſonum, globulum illum vim comburentem acquirere, poſteaquam motus maximam vim habet calorem, & eum inſignem producendi, vt notum eſt in *Alia argumenta ambuſtionem probantia.*

Philoſophia, hinc plumbum ſagitta delatum, dum violento motu per artem fertur ſagitta, ob conceptum calorem liquatur, pari ergo ratione, & pila illa ob violentum motum inflammabitur, vel ſaltem ob violentam attritionem carnoſa, & pinguja corpora cuti ſubjecta incendentur.

Solvuntur. Sed primum argumentum facilè ſolvitur, quamvis enim cauſa, quæ globulum impellit, ignea ſit non tamen ipſum impellit quatenus calida, ſed quatenus ignis in arcto nimis loco concluſus ad ampliorem locum cum impetu illo movetur, nam cum obſtet globulus, neceſſarium eſt, vt trudatur, itaque illo impetu expellitur, quo ignis ad ampliorem locum movetur, totam enim ignis actionem recipit. Etſi poſtea ignis ille vim haberet combuſtivam, non ob id fit, vt igneam vim globulus inde concipiat, nimis enim breve eſt tempus, quo cum igne illo verſatur, non poteſt autem momento imprimi vis illa ignea. Quod vero ad motum attinet, neque ab eo tantum calorem, quantus requiritur ad excitandam exuſtionem, concipere globulum exiſtimandum eſt, poſtea quam tenuiſſimum corpus, videlicet per aerem fertur globulus; ut enim ingentem calorem inanimatum aliquod corpus ſolidum per motum acquirat, oportet, ut ejusdem fiat attritio cum alio ſolido, hinc mirum non eſt, ſi ab ictu pila plumbea vix tepida, vel parum calida ſentiatur, vt innoxie manibus tractari poſſit, etiamſi in lapidem fuerit exploſa, vnicus enim ictus ſufficientem non facit attritionem. Sed neque tantum calorem concipere poſſunt ex attritione partes carnoſæ, ut quæ non conſiſtunt, ſed facile cedunt, immo nec ſolidiora corpora globulo trajecta tantum adipiſcuntur calorem, ut à ſenſu tactus perferri nequeat.

Cur ignis expellat globulum.

Argumentum efficax ambuſtionem reprobans. Vnica ergo ratione, & ea quidem irrefragabili mihi videtur tolli poſſe omnem ambuſtionis ſuſpicionem, & talis eſt, ſi vulnus à globulo tormento manuario exploſo factum ambuſtionis eſſet particeps, aut eam haberet à

pila

pila idſa, aut à motu; at neutrum eſſe poteſt: ergo nulla poteſt ipſi adnexa eſſe ambuſtio. Conſequentia eſt manifeſta. Aſſumptum verò probatur, & primò, quòd pila non poſſit ambuſtionem efficere, ſi enim pila ambuſtionem poſſet efficere, aut hoc eſſet, quia in ſui ſubſtantia eſſet ignita, aut quia haberet adnexam tenuem illam igneam exhalationem, at neutrum poteſt dici, ergo. Conſequentia eſt manifeſta; non enim datur tertius modus, quo pila id poſſit. Aſſumptum probatur, quòd in ſui ſubſtantia non ſit ignita, quoniam neque adeſt cauſa igniens, neque ab ea prodit effectus ignis; cauſa quidem deeſt, quoniam hoc haberet ab accenſo pulvere, aut à motu, at à neutro id habere poteſt: non quidem ab accenſo pulvere, neque enim totus ipſe pulvis ſemper accenditur, ſed plerumque multa grana ipſius integra exploduntur, & nihil paſſa ab igne, quod teſtantur illi, in quorum facie, aut oculis, aut alia parte multa hujusmodi grana ab hoc tormento injecta reperiuntur. Ego multoties id obſervavi, credo & alios obſervaſſe, neque unum granum tantummodo, ſed quandoque innumera extraxi. Si ergo hujus pulveris grana, quæ ſcintilla ignis accendi ſolent, nihil perpetiuntur, quomodo mente percipere poſſumus, inflammari globulum? Loco globuli imponamus chartam, hæc quoque incombuſta projicitur, & pila plumbea, aut ferrea igneſcit? Quod vero neque à motu tantum calorem poſſit concipere, ſatis ſuperius oſtenſum eſt, quod enim dicunt de ſagittis fabuloſum eſt. Amplius ignita erit pila, & ignis effectus in ſolo corpore vulnerato obſervabitur? Tantum calorem concipiet, & non eliquabitur plumbum, tam facile liquabile: Comburet, & ab ictu innoxie tractabitur? & vix calida percipietur? ignita erit, & projecta in pyrium pulverem ipſum non accendet? non accendet paleas, & alia, quæ adeo facili negotio comburunt, & humanum ſolum corpus miſerum id perpetietus? Sed quòd neque ab adhæſu exhalationis illius accenſæ poſſit combuſtionem excitare,

tare, ex hoc licet conjicere, quòd cito flamma in violento motu extinguitur, quapropter cum pilæ celerrimus ſit motus, citiſſime etiam deficiet accenſa illa exhalatio. Præterea ſi tanta eſſet hæc exhalatio, ut poſſet combuſtionem excitare, apparerent ejus effectus in aliis à corpore humano, atqui ut oſtenſum eſt, nullnm apparet veſtigium hujus adnexæ qualitatis igneæ, aut effectus. Sed quod neque attritione poſſint partes vulneratæ inflammari, jam oſtendimus. Quare omni ratione concludendum eſt, talia vulnera omnis ambuſtionis eſſe expertia.

CAPUT II.

Quod hæc vulnera non ſint venenata.

FAcilè eſſet oſtendere ex iisdem etiam, quæ à contrariam tuentibus ſententiam de hac venenata qualitate dicuntur, nullo modo poſſe hæc vulnera venenata eſſe: ſed quoniam non omnes in adſtruenda hac venefica qualitate conſentiunt; alii enim excedentem qualitatem eſſe aſſerunt, de quibus ſuperius actum eſt, alii verò venenum id aſſerunt eſſe à tota ſubſtantia deleterjum, opus eſt, vt rei veritas eluceſcat, paulò deligentius rem hanc in examen revocare.

Venenum quid. Supponendum autem nobis eſt, venenum id eſſe, quod omninò contrarium præſtat ei, quod præſtat alimentum, ſiquidem alimentum in ſubſtantiam vertitur noſtri corporis, ut dicebat Galen. 3. de temp. atqui venenum hoc habet peculiare, ut confertim deſtruat ſubſtantiam noſtri corporis, ob idque maximè ſit inimicum principiis vitæ; unde cum cor ſit fons vitæ, venena peculiari natura habent, ut cor petant, & ejus nativum calorem corrumpant, & ita interimant: quod tamen quandoque immediatè faciunt, quandoque verò intermedia aliqua particula, cantarides enim veſicam prius afficiunt, & lepus marinus pulmones.

Sup-

Supponendum quoque eſt ex venenis alia eſſe à tota ſubſtantia principiis vitæ inimica, & eorum deſtructiva, atque deleteria, utpotè putrefaciendo, vel aliter corrumpendo, vel attrahendo, &c. alia verò à qualitate manifeſta, & ea quidem vel calida, qua nativum cordis calorem abſumunt, non aliter ac magna flamma minorem extinguere ſoleat, vel erodunt, vel frigiditate, qua nativum calorem extinguunt, aut ſuffocant, non aliter, ac copioſa ligna viridia ignem extinguere conſueverunt, aut ſiccitate, qua pabulum calidi abſumunt, aut abradunt. Quamvis hæc non præſtarent, niſi tales qualitates eſſent inſtrumentum formæ humano corpori contrariæ; ſunt enim aliqua in quarto gradu calida, quæ tamen non ſunt venena, eò quòd non ſunt inſtrumenta contrariarum formarum, vt patet de aphta, & aqua ardente. *Venenorum differentia.*

An vero detur venenum, quod humida qualitate interficiat, ambigunt, quod enim Galen. refert de illo ſerpente, cujus morſu partes humiditate fluida ſcatentes putrefactæ tandem decidebant, non videtur referendum ad humidum venenum, ſed ad venenum à tota ſubſtantia deleterium. Neque de hydrargyro, quod aliqui venenum humidum ſtatuunt, ſatis conſtat, num humiditate interficiat. Sed in hujus veritate indaganda nunc non eſt conterendum tempus, vtpotè quod ad rem noſtram non pertineat; nullus enim fuit, qui vulnera ſclopo inflicta exiſtimaverit eſſe humida venena, ſed alii calida, alii vero à tota ſubſtantia deleteria. Sed quæcunque venena ſint, oportet, ſi interficere debeant, vt eorum vis ad cor perveniat, aut vt multiplicetur, ſicuti contingit ex morſu viperæ. Hinc quæ caliditate interficiunt, niſi & à tota etiam ſubſtantia ſint venena, ſi extrinſecus apponantur, quamvis partem, cui apponuntur, corrumpant, non interimunt tamen, niſi in magna quantitate applicentur, ſive integra ſit cutis, ſive etiam exulcerata, vel ſola, vel cum carne ſubjecta, ut quotidie experimur, apponen-

tes partibus exedentia venena, & cauſtica, tanquam medicamenta. At à tota ſubſtantia deleteria, quæ alterando agunt, appoſita, multa integra cute, pleraque exulcerata cor petunt, & interficiunt; immò, & quædam neque corpus immodicè tangentia mortem inferunt Omnibus tamen venenis id. eſt commune, vt quando vt venena ſunt in humano corpore, nequaquam ab ejus natura vinci poſſint; proprium enim veneni eſt vincere naturam, non vinci.

Vulnera ſclopo inſticta non poſſunt eſſe venenata.

Ex his primò infertur vulnera ſclopis inflicta non eſſe, neque eſſe poſſe venenata, veneno qualitate manifeſta, videlicet calida exitioſa, talia ſiquidem, vt dictum eſt, extrinſecus appoſita, etiamſi exulcerata ſit pars, non ſunt exitialia, niſi in multa quantitate apponantur. At ſi etjam exhalatio illa eſſet exedentis qualitatis particeps, nunquam poſſet in tanta quantitate intra vulnus reperiri, vt poſſit cor afficere. In minori verò quantitate poſſet quidem exedere, aut cauſtici medicamenti effectum edere, nequaquam autem interimere. Sed neque adſunt ſigna exedentis qualitatis, aut cauſticæ in hiſce vulneribus, neque enim eſchara illa conſpicitur, qualis excitari ſolet vi eſcharoticorum, neque cadaveroſa caro, quæ vi ſepticorum excitari ſolet. Neque dolor perſentitur à vulnerato, qualis ex vſu talium concitari ſolet; de veſicantibus enim, & ſinapiſmis non eſt, quod loquamur, cum omnibus in confeſſo ſit, talia non eſſe exitioſa, niſi per os aſſumantur, etſi enim cantharides interimant, hoc faciunt, quoniam & à tota ſubſtantia ſunt deleteria. Etſi tanta hujuſce exedentis qualitatis in vulnere foret quantitas, quæ poſſit ad cor vim ſuam transmittere, vt ipſi fatentur, vnde & inter ſigna ponunt cordis tremorem, neceſſarium profecto eſſet, hiſce vulneribus maximam ſemper adnexam eſſe corruptionem: quocirca cum nec eſchara dicta, nec cadaveroſa caro in effatu digna quantitate cernatur, aſſerendum procul dubio eſt, figmentum eſſe id, quod de hac venenoſa qualitate ab illis aſſeritur, & eo magis, quo-

quoniam hoc venenum ſimile eſſe dicunt euphorbio, aut thapſiæ, at quis euphorbium, aut thapſiam extrinſecus appoſitam enecare dixerit? Præterea ſi adeſſet venenata hæc qualitas, quoniam à natura vinci non poteſt, nullum ex hiſce vulneribus ſanari poſſet absque ope eorum, quæ pugnant adverſus hanc qualitatem, at innumeros vulneratos vidimus ſanitatem fœliciter recuperare absque vſu cujuſpiam horum medicamentorum; ergo dicendum talia vulnera non eſſe venenata. Ad hæc exhalatio illa, quæ ex accenſo pyrio pulvere oritur, non eſt venenata, ergo neque vulnus; antecedens experientia confirmatur, namque exulceratam quis habeat partem aliquam, & eandem ſupra accenſum pyrium pulverem teneat, nullo veneno inficietur, & ut & ii judicant, qui cariei virgæ impoſitum pulverem incendunt.

Sed & qui in hac opinione perſiſtunt, propriam vocem ignorare videntur, dicunt enim tale venenum non eſſe deleterium à tota ſubſtantia, ſed ratione alicujus exedentis qualitatis, ut eſt euphorbium, & thapſia, ſed curationem tractantes, dum ſermonem habent de medicamento pro venenata hac qualitate debellanda, remedia proponunt venenis à tota ſubſtantia convenientia, theriacam videlicet, & Mithridatium, bolum Arm. or. & in genere alexipharmaca. At quomodo exedens caliditas, & ſiccitas his tollatur, ipſi videant. Nonne potius utendum erat refrigerantibus, humectantibus, & iis, quæ obtundunt acrimoniam, & mordacitatem, poſteaquam venenum horum nihil aliud erat, quam excedens caliditas, & ſiccitas? ſaltem ſine his non poterat fieri hujus veneni deſtructio; namque & ubi quis, aut ſublimatum, aut euphorbium, aut quid aliud ex venenis calidis, & corrodentibus aſſumpſit, utimur talibus, cujusmodi eſt lac, butyrum, oleum olivarum, ſuccus lactucæ, portulacæ, cremor ſeminum cucumeris, cucurbitæ, papaveris albi, ſyr. viol. de papavere, ſaccharum viol. & permulta alia. Sed in hac explodenda ſententia non eſt, quod longiores

 ſimus,

ſimus, neque etiam opus erat quidquam contra ipſam afferre, cum enim ſuperius oſtenſum ſit talia vulnera neque ambuſtionem habere adjunctam, profecto ſatis conſtabat, neque eſſe venenata tali veneno; ubi enim tollitur majus in aliquo genere, videtur & tolli quod minus eſt; immo concedendo ambuſtionem, quam ipſi hiſce vulneribus adeſſe dicunt, ſatis apertè ex ipſorum verbis convincitur, vulnera hæc talis veneni eſſe prorſus expertia; dicunt enim ambuſtionem hanc non eſſe intenſam, ſed primum ambuſtionis gradum, atqui manifeſtum eſt adurentia venena longè majorem ambuſtionem parere. Quamvis ergo effugere conentur argumenta primò allata contra venenatam qualitatem, conſtat tamen in non minores difficultates eos incidere.

Improbantur reſponſiones adverſariorum.

Sed & quam rectè illis argumentis reſpondeant, conſideremus. Admittunt, ad argumentum à componentibus pyrium pulverem, quæ venenata non ſunt, deſumptum, reſpondentes, pulverem non eſſe venenatum, ſed tamen accenſione pulveris exhalationem gigni exedentis qualitatis, ſummè videlicet calidam, ac ſiccam, qua ratione eſt venenum, ſed hæc reſponſio eſt contra ipſos, qui dum ambuſtionem tractant, eam non eſſe ſummam aſſerunt, ſed primum tantum gradum ambuſtionis. Prætereà ſi talis gigneretur exhalatio ergo, & citrà ictum globuli aliàs corpus humanum ab ipſa pateretur, quod tamen non contingit, ut manifeſtum eſt in iis militibus, qui cariem Gallicam in pudendo proprio Marte curare volentes, apponunt ipſi pyrium pulverem, & accendunt, & tamen ex hoc nullum apparet talis venenatæ qualitatis veſtigium. Sed quoniam dicere poſſent, nimis parvam eſſe exhalationis quantitatem, alios reſpiciamus, qui ambuſtionem ex hoc pulvere, & copioſo experiuntur, in quibus nullum adeſt venenatæ qualitatis indicium, & tamen copioſa eſt exhalatio, unde, & tales ambuſtiones prorſus iisdem remediis curantur, quibus & reliquæ. Ampliùs accipiamus id, quod ex combuſto pyrio vulnere remanet, fuli-

fuliginem videlicet illam, & comperiemus, nullius excedentis caliditatis eſſe participem. Neque obſtat, quod ipſi dicunt, actione ignis in arte chymica generari ex non venenatis venena calidiſſima, & putrefacientia, ut ſublimatum ex ſale armoniaco, & Mercurio, aquam argentariorum ex ſalnitro, alumineque, immò & calx ex lapidibus vi ignis generatur, non enim par eſt ratio, ex non venenatis vi ignis generatur venenum, quando ignis diutius agit in materiam ſolidam, quæ igneam caliditatem retinere poteſt. Namque continua actione ignis fit, ut multæ partes igneæ etiam remoto igne in iis remaneant, quod patet de calce, & ſublimato, aut quia ex rebus calidis notabiliter portiones tantùm igneas elicit, qua ratione fit aqua illa argentariorum; cum enim ſalnitrum plurimas partes habeat acres, & igneas, hæ ignis actione ſeparantur, & in vapores abeunt, qui occurrentes capitello alembici frigidiori, condenſantur, veluti omnes vapores, & in aquam vertuntur ejusdem naturæ. At ignis in pyrium pulverem non tandiu agit, neque exhalationis materia eſt talis, ut recipere poſſit, ac retinere excedentem igneam qualitatem, immò potius ab igne abſumuntur igneæ partes, ut patebit, ſi quis ſalnitrum comburat. Et dato etiam, quod talis exhalatio eſſet venenata quod tamen omninò negamus, non ob id omnia vulnera eſſent venenata ſiquidem talis exhalatio non ſemper glandem exploſam comitatur, ſed usque ad certum terminum tantùm.

Quod verò attinet ad ſolutionem alterius argumenti, quod probabatur talia vulnera non eſſe venenata, eò quòd ſymptomata, quæ venena conſequi ſolent non conſpiciuntur, neque majoris momenti eſſe videntur; dicunt enim multò plures eos eſſe, qui talia ſymptomata experiuntur; ſed cur non omnes, ſi talia vulnera ſint venenata, quatenus glande ſclopo exploſa fuerunt inflicta? omnia ergo venenata erant ſtatuenda, non aliqua tantùm, non enim videtur major ratio de vno, quam de altero. Sed *Reprobatur ſolutio ſecundi argumenti.*

Sed & falſum eſt, multo plures eos eſſe, qui talibus ſymptomatibus corripiuntur, niſi vulnera eſſe pernicioſa contigerit, aut ratione partis affectæ, aut cacochymiæ, vel pravitatis aeris; demus enim centum corpora in bono aere, euchyma, vulnerata non in iis partibus, quarum vulnera lethalia eſſe ſolent, nullus talia ſymptomata patietur, modò recta inſtituatur curatio. Prætereà tunc tantùm prava ſymptomata arguunt veneficam qualitatem, quando vulneris magnitudini ſunt improportionata; at quando ſequuntur in hiſce vulneribus prava ſymptomata, ſunt illorum magnitudini proportionata.

Altera quoque reſponſio nullius eſt momenti; ipſa enim ſtatuitur, ea tantùm vulnera eſſe venenata, quæ ex propinquo loco infliguntur; eò quòd in ipſis ſolis adeſſe poſſit ſufficiens quantitas dictæ exhalationis: poſteaquam non in omni quantitate ſufficiens eſt vim ſuam exercere, quod & aliis venenis manifeſta qualitate exitialibus convenire videtur. Et tamen data vulneris paritate, eadem ſymptomata prorſus contingere obſervamus utrisque vulneribus. Verum, ſi ſola illa, quæ ex propinque infliguntur, ſunt venenata, non debebant univerſaliter concludere, vulnera ſclopo inflicta eſſe venenata, & omnibus inſtituere curationem, quæ vulneri venenato debetur, velut ipſi exiſtimant, cum multum interſit curatio vulneris non venenati à venenati curatione. Sed & in hoc manifeſtè deprehenditur, eosdem propriam vocem ignorare. Quod verò non contingant ſymptomata veneni, eò quòd à venenati membri temperie expurgatur hoc venenum, meræ ſunt nugæ; nihil enim poteſt per ſe natura contra venenum exitioſum.

Reprobatur opinio eorum, qui dicunt iſtud vene-

Sed ad eos tranſeamus, qui ſtatuunt venenum hoc eſſe deleterium à tota ſubſtantia, eo quia à tota ſubſtantia putrefaciat, aut aliter alteret, & corrumpat. Ad quod tollendum mihi videtur illud unum argumentum ſuffi-

ſufficiens, quod cum talis deleteria qualitas ab ipſa natura vinci nequeat, ſed potius eam vincat, niſi alexipharmacorum ope tollatur, ut enim dictum eſt, venenum eſt alimento contrarium, & ſicuti proprium alimenti eſt à natura vinci, & aſſimilari, ita veneni naturam vincere, & deſtruere, neceſſarium penitus eſſet, vulneratos hoſce, in quorum curatione idoneis alexipharmacis non utimur, interire, & tamen plurimos quotidie ſervari videmus. Prætereà in omnibus vulneribus venenatis (non enim major eſt ratio de uno, quam de altero) ſigna apparent deleterii veneni, puta cordis tremores, animi deliquia, ſudores frigidi, &c. quæ tamen non conſpicimus, niſi in pernitioſis vulneribus, aut ratione partis affectæ, aut cacochymiæ, vel pravitatis aeris. Inſuper ſi talia vulnera eſſent venenata veneno à tota ſubſtantia exitioſo, miſſio ſanguinis citiorem afferret interitum, ut quæ venenum ad majores venas attrahat. Abſurdum enim omninò eſt, quod quidam dicebat, convenire ſanguinis miſſionem in hiſce vulneribus, etiamſi ſint venenata, quoniam & cucurbitula parti affectæ appoſita venenum poteſt extrahere: pulchra conſequentia, ex uno remedio, quod à centro ad circumferentiam trahit, alterum inferre, quod à circumferentia trahit ad centrum, attamen quotidie experimur, ſanguinis miſſionem longè faciliorem reddere horum vulnerum ſanationem. Non aliter, & repellentia parti applicata citiorem afferrent interitum, cum à circumferentia ad centrum compellant, eſſentque in cauſa, ut citius ſeſe in corpus inſinuaret vis illa venefica. Sed & irrefragabile videtur eſſe argumentum, quod primò afferebatur ex componentibus pyrium pulverem deſumptum; quomodo enim venenatum poteſt eſſe vulnus vi pyrii pulveris inflictum telo non venenato, non exiſtente venenato ipſo pulvere, ſicuti oſtendunt, quæ ipſum pulverem conſtituunt. Sitque conſtitu-

num eſſe à tota ſubſtantia deleterium.

tutum talia vulnera, & ambuſtionis, & venenatæ omninò qualitatis eſſe prorſus expertia.

Deceptionis cauſa. Quod autem decipit omnes, qui venenata hæc vulnera adſtruunt, primò fuit prava diſtinctio, metiebantur enim horum vulnerum magnitudinem ex magnitudine aliorum vulnerum, exiſtimantes æqualia eſſe vulnera, quæ æquè profunda ſunt, & ampla, à quovis telo contingerent: & tamen animadvertere debebant, ſi dentur duo vulnera in dimenſionibus æqualià, longè tamen majus futurum id, quod ſclopo inflictum eſt propter inſignem contuſionem à telo obtuſo celerrimè, & cum tanto impetu tranſeunte factam, qua non ſolùm partes, quæ à tela fuerunt tactæ, patiuntur, ſed proximæ quoque: & ideò à vulnere eò quòd ſclopo inflictum eſt, [evenient ſymptomaɟa, quæ aliàs non evenirent, eoque magis, quoniam contuſionem inſignem ob innati caloris diſpendium facillimè corruptio ſequitur, quam poſtea alia prava ſymptomata ſequuntur. Neque cum à magno vulnere magna excitantur ſymptomata, vulnus venenatum eſſe dicendum eſt, ſed tunc tantùm, quando ſymptomata improportionata ſunt vulneri, hoc eſt majora, quam vulnus per ſe concitare poſſit.

Alia deceptionis cauſa. Decipit eos quoque quod vulnerum horum magnitudinem metiti ſunt ex dimenſionibus, & partibus, unde videntes aliquando, ex parvo vulnere, neque in principe parte, ſequi prava ſymptomata, & mortem, exiſtimarunt id provenire ex venenata qualitate. Sed & aliud eſt, quod magna, & verenda facit hæc vulnera alioqui parva, videlicet cacochymia corporis, vt contingit in iis, qui diutius parva victus ratione ſunt uſi, quemadmodum ſæpè accidit militibus tempore belli, talia ſiquidem corpora imbecilla ſunt, & invalido calore prædita, unde vulnus contingens cum contúſione magna, licet non ſit profundum, neque in parte nobili, attamen maximè debilitat partem illam, & paucum ejus innatum

tum calorem diſſolvit, ex quo corruptiones. Prætereà ex vulnere partim exagitantur pravi ſucci, ex quo pernicioſa putredo in ipſis accenditur, partim etiam fluunt ad vulneratam partem imbecillam, quare cùm ab ea moderari non poſſint, corrumpuntur, ut enim dicebat Gal. 2 de dif. feb. cap. ult. Humor, quem proprius calor non obtinet, nihil habet reliquum, niſi ut ad putredinem convertatur, hinc prava ſymptomata, & mors, ſed vulnus non erat exiguum, ſed maximum ratione naturæ corporis. Magna etiam eſſe vulnera hæc contingit ob pravam aeris conſtitutionem; namque ob ſummum frigus mortificationes contingunt, & ob conſtitutionem calidam, & humidam, atque peſtilentem putredines exitiales, non quia venenata ſint: neque talia ſymptomata dicenda ſunt improportionata illis vulneribus in tali tempore, & tali aeris conſtitutione; in mala enim aeris conſtitutione magnum eſt vulnus, quod aliàs parvum eſt. Ex quibus patere poteſt, nihil mirum eſſe, ſi talia vulnera ſæpiùs comitentur corruptiones, ſphaceli, abſceſſus, deliria, animi deliquia, & febres malæ; ubi enim mala putredo in aliqua eſt parte, facilè transmiſſis pravis halitibus, malè afficiuntur præcipua membra, magis autem ſi & pravi humores in toto exiſtentes ſimul corrumpantur.

Concludamus ergo vulnera ſclopo inflicta, eſſe & ambuſtionis, & venenatæ qualitatis expertia, omnia autem contuſa: aliter enim contingere non poteſt, dum obtuſum telum, qualis eſt glans illa, perfodit corporis partes.

CAPUT III.

De generali curatione vulnerum ſclopo inflictorum.

CVm ergo vulnera ſclopo inflicta ſint ambuſtionis, atque venenatæ qualitatis expertia, nemo eſt, qui non videat, quam vanum ſit ea adhibendo, quæ ad ambuſta valent, venenatæque exhalationi obſtant, & ab iis remediis, quæ opportuna forent, abſtinendo, ſanationem horum vulnerum remorari, aut etiam difficiliorem reddere; ſi enim velimus cucurbitam adhibere, fluxionem accerſimus; ſi refrigerantibus uti; ſuppurationem prohibemus, ſi theriaca, aut ſimili, intemperiem concitamus, atque fluxioni occaſionem præbemus. Si voluerimus, ut quidam conſuevere, oleo fervente inurere, quos dolores ſumus concitaturi, conſtat. Si à ſanguinis miſſione, & purgatione abſtinuerimus, notum eſt, à quantis abſtineamus præſidiis pro arcenda fluxione, & inflammatione.

Indicationes. Omiſſo igitur pravo hoc curationis modo, falſo innixo fundamento, curanda ſunt hæc vulnera non aliter atque in doctrina generali curationis vulnerum dictum eſt. Et ideo quoniam nullum ex his ſimplex eſt, ſed omnia compoſita, ſemper enim adeſt jactura alicujus ſubſtantiæ, & contuſio juxta naturam eorum, quæ in compoſitionem veniunt, inſtituenda curatio ab unoquoque eorum propria indicatione deſumpta, ſubſtantia enim deficiens reparari poſtulat, quæcunque ea ſit, contuſa verò caro, ut amoveatur, ſiquidem aliena & ipſa eſt à natura: Cum autem amoveri poſſit ſuperflua caro & per exciſionem, & per ſuppurationem, ex his eligenda eſt ſuppuratio, ut quæ minori diſpendio fiat, & quæ non amoveat, niſi quod admovendum eſt. Quod ſi ſimul adſit oſſis fractu-

ra,

ra, unire os fractum oportebit. Verùm quoniam neceſſariò & os contuſum eſt, partes contuſas abſcedere neceſſarium eſt. Si verò peregrinum aliquod corpuſculum intra vulnus contineatur, & illud amovendum, idque duplici ratione, namque & ſolvit non raro continuum, doloremque concitat & impedimento eſt, quo minus reliqua pro ſanatione vulnerum neceſſaria poſſint adminiſtrari. Si dolor urgeat, & ipſe tolli poſtulat. Quoniam autem fluxio, & inflammatio imminent, ſi vulnera fuerint effatu digna, his quoque occurrere oportebit, demendo inflammationis, & fluxionis materiam tum tenui victu, tum totius evacuatione, & qui remanent humores partim ineptos ad motum reddere conveniet partim ad contraria revellere: atque ut magis impediatur fluxus, viæ, per quas poſſunt confluere, modò liceat, ſunt aſtringendæ. Repellendi quoque erunt à parte affecta humores, & ſedandus dolor, ne ſit fluxionis occaſio, & omnes aliæ fluxionis occaſiones tollendæ erunt. Si corruptio immineat, aut cæperit, huic occurrere oportebit per ea, quæ apprimè ſiccando, & ſuperfluas humiditates abſumendo, putredinem, & corruptionem inhibent, de qua, ſicuti & de ſimilibus aliis vulneribus ſupervenientibus ſymptomatis actum eſt in primo lib. Quoniam autem affectus ſunt complicati, ſervanda eſt ea methodus, quæ in complicatis affectibus ſervari ſolet, ut videlicet ſi adſit urgens, huic primò proſpiciamus, cæteris tamen, ſi fieri poteſt, non neglectis. Quod ſi adſit cauſa, ſine qua non poſſit conſuli urgenti, ea quamprimum ſubmovenda. Quod ſi non adſit urgens, verum aliqua principalis cauſa ſanationem vulneris prohibens, illi primò occurrendum erit. Sin minus, cauſæ, ſine quibus perfici vulnerum curatio non poteſt, ſubmovendæ.

CAPUT IV.

Quid primò agendum, & quid deinceps in curatione horum vulnerum.

NIſi igitur adſit quidpiam, quod urgeat, & ad ſe curationem trahat, ſi quod peregrinum corpuſculum intra vulnus extiterit, quoniam eſt cauſa, ſine qua non poteſt curari vulnus, immò non raro eſt morbifica cauſa, hoc in primis extrahendum eſt, ſi fieri commode poſſit, eo prorſus modo, qui in 1. lib. traditus eſt; magis autem in prima operatione conari oportet, vt illud extrahamus, quoniam poſtea ulcus inflammatur, doloroſumque redditur, quæ extractionem impediunt.

Scopi. Extractis peregrinis corpusculis, quando id fieri licet, duo ob oculos habere oportet, vnum eſt, ut inflammatio prohibeatur, alterum, ut, quod contuſum, eſt, quamprimum ſuppuretur, tum quoniam vulnus, quod citiſſimè ſuppuratur, ut dicebat Hip. lib. de vuln. cap. & lib. de ulc. n. 3. & alibi minus inflammatur, tum quod cavitas repleri non poteſt per novæ carnis generationem, niſi prius contuſa caro auferatur per ſuppurationem, unde eſt tamquam cauſa ſine qua fieri non poteſt vulneris ſanatio, & ideo Hip. in lib. de ulc. n. 3. dicebat, ſi qua caro ex telo contuſa, & diſſecta eſt, eam curare oportet, quo quam celerrimè ſuppuretur; nam & minus inflammatur, & neceſſe eſt carnes contuſas, ac diſſectas, putreſcere, ac pus fieri, & eliquari, ac conſumi, & poſtea novas carnes naſci.

Quoniam autem ſuppuratio, ut alias dictum eſt, calidi nativi eſt opus, id ſolùm modo nobis erit agendum, ut calorem naturalem foveamus, ac roboremus, & jacturam;

ćturam, quam paſſus eſt, reſarciamus. Hoc aſſequemur, ſi medicamentum aliquod ſuppurans applicuerimus, & in vulnus inſtillaverimus, tectumque ſervaverimus vulnus; ſic enim tegumento foventes, prohibebimus ejus diſſolutionem, & ne ab ambiente malè afficiatur, brevique jactura ex ſupervenienti pabulo reſarcietur: non parum etiam faciet ad ſuppurationem emplaſticum medicamentum, quoniam obſtruendo poros, prohibet adhuc magis caloris nativi diſſolutionem, præparatque contuſam carnem ad ſuppurationem, eam humectando. Itaque intra vulnus inſtillari poterit terebinthina, vel ſimplex, vel butyro recenti admixta, aut etiam oleum roſaceum, e. g.

℞. *Terebinthinæ claræ, aqua maluarum lotæ* *Medicamenta*
Butyri recentis
Olei violacei ana p. æq.
Miſce, & liquatum inſtilletur.

Optimum eſt etiam digeſtivum lotum appellatum cera, & oleo roſ. confectum, quod pariter liquari debet. Quod ſi dolor affuerit, aliquod addi poterit, quod majorem vim habeat ſedandi doloris, cujuſmodi eſt oleum vitellorum ovorum, & butyrum, ipſamque terebinthinam aqua maluarum lavare oportebit. Oleum catellorum maximè erit ex uſu, nam & dolorem ſedat, & maximè ſuppurationem adjuvat. Mirificè autem ad hoc facit, quod

℞. *Olei vitellorum ouorum vnc. s.*
Butyri recentis aqua maluarum curioſè loti. vnc. i.
Olei catellorum vnc. i. s. Miſce.

Aliud.

℞. *Olei vitellorum ouorum*
Roſati completi.
Amygdalarum dulc. ana vnc. ſ.
Terebinthinæ claræ aqua maluarum lotæ vnc. i.
Ceræ modicum. Miſce & liquatum inſtilletur.

Oleum catellorum, quod à Paræo deſcribitur lib. ſuo de vuln. ſclopo inflictis ſic conficitur.

℞. *Olei violàti lib. iv. & in eo coquantur duō catelli nuper nati, vſque ad oſſium diſſolutionem, addendo vermium terreſtrium, vt decet pp. lib.* I. *coquantur ſimul lento igne, deinde fiat expreſſio, addendo terebinthinæ vnc. iii.*
Aquæ ardentis vnc. j. Miſce.

Tempus ſolutionis.

Vnguentum baſilicon cum oleo ſem. lini, & amyg. dul. non eſt ſpernendum. Extrinſecus apponendum erit vel terebinthina, vel digeſtivum lotum linteo extenſum, dein lintea aliquo repellente madefacta ſuperimponenda, inde deligatio ad retinendum facienda, & in congruo ſitu collocata parte, ut videlicet orificium vulneris deorſum ſpectet, tectum ſervandum erit vulnus usque ad decimam quartam, & ulterius etiam, niſi quid interim ſuperveniat, quod aliter faciendum ſuadeat. Secundo hoc apparatu exſiccans aliquod medicamentum inſtillabitur, & quod detergeat, naturalemque calorem roboret. Terebinthina cum hypericino oleo, & modica aqua ardente liquata valdè erit ex uſu, aut aliud ſimile. Extrinſecus verò vel terebinthina ipſa, vel quid aliud ex propoſitis in I. lib. apponi poterit. Sæpiſſime tamen curavi hæc vulnera, nullo medicamenti genere

nere in vulnus immiſſo. Si materia convenientem effluxum habuerit, & quæ ad fluxionem attinent, probè fuerint intellecta, ſatis erit idoneum tegumentum, quo ſolo decem, & octo dierum ſpatio vulnera graviſſima hujus ſortis ad ſanitatem perduxi.

Procurato igitur, vt decet, vulnere ſtudendum, ut inflammatio prohibeatur, nec non & corruptio, quæ in his vulneribus eò magis imminet, quò talia vulnera debiliorem reddunt partem. Itaque congruas evacuationes, & revulſiones, atque alterationes inſtituere oportebit, idoneaque victus ratio præſcribenda, de quibus cum jam egerimus, ſuperfluum eſſet modo eadem velle commemorare. Quod ad reliqua topica attinet, eodem modo procedendum, qui p. lib. traditus eſt. Si autem à principio conjectaremus, imminere malam aliquam putredinem, & corruptionem, hanc vehementer exſiccantibus, & acribus prohibere oportebit. Præcipitatum maximè erit ex uſu, ſed principem locum obtinet Ægyptiacum unguentum, addito præſertim præcipitato, nec non & myrrha, & aloe. Aliquando etiam additur maximo cum fructu calcanthum uſtum, & in maximè intenſa corruptione oleum ex calcantho. In levi itaque corruptionis ſuſpicione ſatis erit ſuppurantibus addere præcipitatum, e. g. *Evacuationes, & revulſiones.*

℞. *Olei roſ. comp.*
Catellorum
Terebinthinæ claræ
Butyri recentis loti ana vnc. j.
Præcipitati ſub pulv. drach. ij.

In majori corruptione

℞. *Vn-*

℞. *Vnguenti Ægyptiaci vnc. iij.*
Præcipitati drach. j.
Olei ex calcantho vel ſulphure drach. ſ. M.

Si ægre ad fundum vulneris medicamenta hujuſmodi perveniant , lixivio , vel aqua ſalſa , vel aceto liquata ſiphone injici poterunt. Sed & extrinſecus emplaſtrum , quod putredinèm inhibeat , non erit abre. Eodem ſpectant , quæ intus aſſumpta , aut exterius illita regioni cordis adverſus malam putredinem faciunt. De quibus ibidem.

FINIS.

IOANNIS BAPTISTÆ MAGATI

TRACTATVS, QVO RARA VULNERVM CVRATIO defenditur contra Sennertum.

Apparatus ad duas Quæſtiones de Vulnerum curatione.

I. Vtrum melius ſit quotidie vulnera ſoluere, an pluribus interdictis diebus.
II. Vtrum Turundarum, & penicillorum vſus in curatione vulnerum ſit neceſſarius.

EA eſt humani intellectus natura, ut quieſcere neſciat, ſemper nova evolvat, reconditiora perſcrutetur, nunquam inventis contentus. Innatus ille ſciendi appetitus in homine expleri non poteſt: cum aliquid didicerit, magis inflammatus alia meditatur, ad altiora contendit; ut mirum videri minimè debeat, ſi Scientiæ, & Artes ad ſummum apicem numquam pertingant, ſed quotidie aliquid in lucem prodeat, quod majores noſtros latuit. Se-

mina ipſi reliquerunt, ex quibus poſtea nobis ſuccreſcerent germina, & fructus uberrimi, poſterisque. Hinc per additamenta fieri Artes dicuntur, & adjiciendi nullus eſt terminus. Quòd videre eſt in reliquis, id Medicinæ contigit. Diu viguit, & nunc etiam viget ſub Hipp. & Gal. doctrina, ſed quot detexit tempus illis prorſus abſcondita? Theophraſtus Paracelſus Helvetius non ne Patrum noſtrorum memoria novam medicinam condidit, nova principia, novas morborum generationes, novum curandi modum excogitavit? nova remedia ille protulit, novas medicamentorum formulas, ac præparationes quàm operoſas tam nobiles, & ad conterendos morbos efficaces, quæ nec olfecerunt Antiqui, cumque ejus veſtigia multi poſtea ſint perſecuti. Medicina multa incrementa, atque ornamenta ſuſcepit, ut quaſi altera evaſerit, quam fortaſſe non amplius agnoſceret Hip & Gal. præſertim verò remediis ditiſſima, iisque longè præſtantioribus, quàm nobis exhibuerit Antiquitas. Laudandus igitur, & extollendus eſt Paracelſus, qui inter anguſta veterum ſepta coerceri ſuum ingenium minimè paſſus eſt, ſed liberum debere eſſe homini, intellectu prædito amplum Naturæ campum explorare, fodere, evertere, ac theſauros promere ſibi perſuadens, ſeipſum, & Alumnos ſuos, immò totam Rempublicam ditare totis viribus ſtuduit. Olim Romani Chirurgi, ne ſua laude fraudentur, longa, & ſedula obſervatione novum curandi vulnera modum, quo rariſſimè ſolvuntur, adinvenere, qui cum experientiæ potiùs, quàm rationi, & procerum noſtrorum doctrinæ inniti videretur, eum Cæſar Magatus frater meus non multis ab hinc annis ad Methodum reducere conatus eſt; duobusque libris rem hanc abſolvit: An verò, quod contendebat, obtinuerit, aliorum eſto judicium. Modus Ludovico Septalio Mediolan. Patricio, Medico celeberrimo, & de Re Medica optimè meritò, valdè arriſit, ipſumque ad praxim fælici ſucceſſu adhibuit, & præterea ſuis ſcriptis commendavit, laudandi igitur ſunt Magatus,

&

& Septalius, quod non ſolùm in commune bonum labores ſuos contulerint ſed & ab arctis Antiquorum limitibus erumpere, atque ut liberi animi eſt, plus ultra progredi ſtuduerint. Daniel Sennertus qui Rem Medicam doctiſſimis, & luculentiſſimis ſcriptis illuſtravit, cernens, vulnera à Magato diu incurata ſub tegumento detineri, ac veluti deſpici, probare modum non potuit, quòd & rectæ rationi, & Antiquorum placitis, & communi praxi adverſari videretur, ac veritus, ne fortè cum vulneratorum diſpendio quispiam hac via incederet, 5. ſuæ Praxis p. 4. judicium quoddam protulit, in quo eam curandi rationem impugnare, immò funditus evertere nititur, ſuam quoque laudem meretur Sennertus, qui de Republica cum ageretur, ut ejus commodo conſuleret, quod ſibi ſuadebat ratio, prodire in apertum voluit. Ferè ſub typis erat tertia pars noſtrarum Conſiderationum, quæ difficultates, ad putridarum febrium curationem attinentes complectebatur, cum quin tam illam partem Praxis Sennerti, in qua res Chirurgicas tractat, percurrens, in hoc judicium, quod ipſe de ea curandi ratione protulit, incidi, gaviſus ſum valdè, cernens modum hunc novum, qui jam in multis Italiæ locis, immo in illuſtrioribus ejus Vrbibus fæliciter obſervatur, à viris doctiſſimis agitari: mutatoque conſilio ad alterum Tomum Quæſtiones de Febrium curatione rejiciens, in hanc arenam, & ipſe deſcendere ſtatui, & in tertia Parte hujus Tomi, hoc negotium conficere, mihi minimè vitio dandum ratus, ſi à materia pulcherrima, & digna, in qua omnes elaborent, allectus, interrupto pauliſper noſtrarum conſiderationum ordine, nonnihil digrediar. Tantò autem libentius huc ſtudium meum contuli, quod jam à multis Opus Magati deſiderari intelligo: hinc etenim, ſi non plenè, ſaltem, quod magis ſubſtantiale eſt in eo curandi modo, haberi poterit: quod non æque facilè è Sennerto colligere fas erit, quippe qui, in conſcribendis libris totus, neque Magati, neque Septalii ſcripta viderit, ſed

 potius

potius ab aliquo ex ſtudiorum ſuorum ſociis, ac adjutoribus, cujus opera ad hoc uſus fuerit, quæ habet de hoc modo, minus fideliter decerpta, acceperit. Totum autem hoc negotium duabus Quæſtionibus, quod & Sennertus, & Magatus primò fecit, concludam, prima ad raram ſolutionem, altera quoniam hic modus Turundas ablegat, ad uſum Turundarum pertinebit, & in utraque propoſitis hinc inde argumentis de more, quid alii ſenſerint in medium afferam, deinde Conſiderationes ad rem declarandam, ac definiendam ſubjiciam: & in primis quanti roboris ſint, quæ Sennertus adverſus Magatum, & Septalium congeſſit, expendam.

Vtrùm melius ſit Vulnera quotidie ſolvere, & procurare, an pluribus interjectis diebus.

QVÆSTIO I.

Prima ratio. SOlvenda quotidie vulnera cava, & opportunis procuranda medicamentis, non autem ad plures dies protrahendam ſolutionem, ex his oſtenditur. Quòd in hujuſmodi vulneribus ob alimenti permutationem ex Gal. 3. Meth. 3. duo ſemper generentur excrementa, unum tenue, & alterum craſſum, quæ non ſolùm vulnerum ſanationem impediunt, tenue quidem vulnus humidius reddendo, craſſum verò ſordidum, ſed & novi mali poſſunt eſſe in cauſa, cum diutius retenta in vulnere pravam qualitatem ſibi aſciſcant, & malam interdum putredinem concipiant, & copia quoque partem diſtendant, dolores concitent, ac fluxiones commoveant, ideoque neceſſarium ſit quotidie vulnus ſolvere, ut imponatur medicamentum, quod tenue excrementum exſiccet, craſſum verò detergat, cum vires ſemel impoſiti medicamenti diutius perdurare nequeant, ſed à calore partis exolvantur, & à pravis halitibus, vulneriſque excrementis corrumpantur. Quòd ad perfectam vulneris emundationem

Secunda.

Tertia.

dationem neceſſaria quoque ſit manualis abſterſio, quæ ſit ope tenuis lintei, aut xyli, vel aridorum filamentorum. Quòd ex Gal. 3. Meth. 3. Quò vulnus eſt humidius, eò ſiccioribus ſit tractandum, & ideo quotidie detegendum ſit, ut quam humidum ſit, palam fiat. *Quarta.* Quòd ex Gal. eodem in loco in dies ſingultos obſervare oporteat medicamenti effectum, an videlicet quantum ſatis ſit exſiccaverit, ut habeatur, an ſit perſiſtendum in eodem, vel ſiccius, aut mitius ſit admovendum. *Quinta.* Quòd multa adverſa ſupervenire poſſunt vulneri, quæ nec prævidere fas eſt, antequam accidant, neque animadvertere, ubi ſupervenerunt, & opportunis remediis occurrere, niſi quotidie vulnus ſolvatur. *Sexta.* Quòd faſciæ, & lintea pura eſſe debeant, ac munda, ne ſorde, ac pure infecta morſus in parte excitent, & fluxionem accerſant; ne ve, ſi fortè ea liquore aliquo aſpergere oporteat, aut reſpuant, aut malè afficiant, quod aſpergitur. *Septima.* Quòd pravis halitibus exitum præſtare oporteat, quotidie ſoluto vulnere, ne concluſi partem mordeant, & malè afficiant. *Octava.* Quòd niſi quotidie detegatur vulnus, & ejus ſtatus expendatur, quid futurum ſit, præſagire non liceat. *Nona.* Quod crebro ſolutis vulneribus proſpera ſuccedat curatio teſte experientia, & propterea non ſit quærendus alius curandi modus. *Decima.* Quod niſi quotidie vulnus procuretur ſæpe vermes in eo generentur, ut patere poteſt ex Ambroſ. Paræo in ſuo Opuſculo de Vulneribus ſclopo inflictis. *Vndecima.* Quod raro ſolutis vulneribus congruis auxiliis deſtituantur vulnera. *Duodecima.* Quod hic modus omnibus vulneribus accommodari nequeat; malè etenim eo uteremur in vulnere acuto telo inflicto, profundo, anguſti, tortuoſi, ac ſurſum ſpectantis orificii, oris vero, ac internarum partium vulneribus adaptari tegumentum non poteſt. Hæc propemodum argumenta attulit contra raram ſolutionem Magatus: iiſdemque uſus eſt Sennertus, contendens, ea non plenè ſoluta fuiſſe à Magato. A.

Altera tamen ex parte modus curandi vulnera, qui rarò ea ſolvit, ac detegit optimus, ac Methodicus eſſe probatur, quòd ſub eo præcipua opera, quæ ad ſananda vulnera requiruntur, ut ſuppuratio, excrementorum expurgatio, carnis generatio maxima cum fælicitate celebrentur, naturali calore, cui accepta referuntur, ob tegumentum, quod ambientis arcet injurias, & ipſum calorem fovet, ac ejus difflationem prohibet, robuſtiori, ac vegetiori reddito. Quod rarò ſolutis vulneribus ea maximè avertantur, quæ ipſorum ſanationem remorantur, ac impediunt, præcipuè autem humorum fluxio, cum ob tegumentum robuſtior fiat naturalis calor, & conſequenter pars vulnerata, & ita ad recipiendum minus prona, & dum rarò tractatur pars vulnerata, evitetur omnis doloris, & fluxionis inde provenientis occaſio. Quòd ex Galen. 1. Meth. 3. Sive vulnera ſimplicia ſint, ſive cum cavitate, ex fugiendis, proſpiciendiſque iis, quæ opus Naturæ impediunt, eorum ſanatio perficiatur, inter ea autem, quæ opus Naturæ impediunt, ſit expoſitio vulneris ambientis injuriis, & dolor ſuperveniens, quæ præcaventur tecto, & rarò tractato vulnere. Quod ſub hoc modo oſſa, quæ ſub communi abſcedere conſueverunt, minimè abſcedant, & longè pauciora excrementa generentur, quæ manifeſtè arguunt, ita tractatis vulneribus magis roborari nativum calorem. Quod ſub hoc modo fæliciſſimè ſanentur vulnera, & longè citiùs, quàm ſub communi modo, ut crebra experientia comprobatum eſt.

B. C. D. E. 13.

Sed contra fundamenta hujus modi arguitur. Quod ſi Natura ex ſe abſque ope medicamentorum poſſet ſanare vulnera, id maximè verum eſſet in vulneribus internarum partium, in quibus quidem partibus maximè viget naturalis calor, hæc tamen nequeat abſque ope medicamentorum ad ſanitatem perducere ex Gal. ipſo, qui 4. Meth. 6. ait, Quæ vulnera ſunt in craſſis inteſtinis, iis, quæ per ſedem injiciantur, magis indigere, quæ in ſuperioribus ambo requirere, nimirum & quæ per ſedem

ſedem injiciuntur, & quæ per os aſſumuntur, & rurſus, communem internarum partium indicationem eſſe, ut ea eligantur, quæ ſunt Naturæ animalis valdè familiaria, reſpuantur vero contraria, & ſi ulcus in interioribus ſit, & ad cicatricem illud perducere, aut agglutinare ſtudeamus, eligenda eſſe alimenta tum auſtera, tum glutinoſa, tum quæ minimè mordeant, ſin emundare, quæ modicè abſtergant: certum eſt enim, non ſemel, aut raro offerri alimenta, & ex eo, quod ſemper in hujuſmodi vulneribus neceſſarius habitus eſt vulnerariarum potionum 14.
uſus. Quod vulnera cava citra abſterſionem curari nequeant ex Gal. 3. Meth. 3. quæ abſterſio eſt medicamentorum opus, non Naturæ teſte ipſo Gal. 3. Meth. 8. ob idque crebro ſolvenda ſint vulnera, ut abſtergentia ad- 15.
hibeantur. Quod ob ambientis injurias non ſit neceſſarium vulnus tectum ſervare, cum linteis calentibus, & vaſis ignem continentibus iis occurri poſſit, dum vulnus detegitur, ac procuratur: neque ob dolorem, qui ex vulneris procuratione oriri conſuevit, cum à perito Chirurgo dum vulnus detegit, emundat, eique medicamenta admovet, ita tractari pars poſſit, ut nullus inferatur dolor, nullaque præſtetur inflammationis occaſio, & propterea quamplura vulnera cernamus qualibet die ſemel, atque iterum detegi, ac procurari præter id quod ſuperveniat inflammatio.

Placita Doctorum.

HIppocratem raro ſolviſſe, ac procuraſſe vulnera, colligi poſſe videtur ex 3. de Fract. text. 2. com. 3. ubi Oſſium fracturam cum ulcere, modo oſſa fracta non extent, neque talis ſit fracturæ modus, ut timendum ſit, ne ab oſſe aliquod fragmentum ſeparetur, ſimplici modo eſſe curandam ſcribit: ſimplex autem hic modus eſt, ut raro pars ſolvatur, nimirum quarta die, poſtquam oſſa fracta fuere compoſita, & ſeptima, & poſtea non

non niſi ad vigeſimam, & ex textu 5. ejuſdem Com. ubi eos reprehendit, qui in hujusmodi fracturis cum ulcere ulcus ſine vinculo relinquunt, & refrigerari ſinunt, ulceris perfrigerationem multorum malorum cauſam afferens, perfrigerationem ulceris appellans, quæ accidit, ubi ulcus ſine vinculo relinquitur, & poſtea detractis linteis aliquod expurgans medicamentum imponitur. Idem confirmatur ex 4. Epid. t 4. ubi mala deſcribit, quæ die duodecima Metrophonti in capite vulnera ſupervenerunt ex perfrigeratione vulneris, quæ contigit, dum circumſtantes partes detergeret, ac perfricaret, non enim alia de cauſa videtur perfrigeratum vulnus, niſi quia in ea perfricatione à proprio loco amotum eſt tegumentum vulneris, & ambienti datus eſt ingreſſus ad vulnus, idem oſtenditur ex 2. de Morbis text. 18. ubi frontem ſectam impoſito ſplenio, cera, ac pice illito, usque ad ſeptimam non ſolvit, & ex 3. de Fract. text. 33. ubi præcipit, ne tertia, aut quarta die vulneribus manus admoveantur, eo quod illis diebus vulnera ſoleant recrudeſcere, & ex 4. de Artic. text. 26. & 27. ubi ulceribus luxationi adjunctis adhibenda monet medicamenta plurium dierum, hoc eſt, quæ pluribus diebus perdurant, neque alia ratione, niſi quia vult, ut pluribus diebus relinquantur. unde ſubjungebat, lanæque vino perfuſæ imponendæ, ac multo tempore relinquendæ, & Gal. in expoſitione ejus loci, Inſtituit enim, ut quemadmodum omnia in univerſa curatione eo ſpectare debent, ut vim leniendi habeant, ita & hoc, ut non ſæpè deligetur, & ſæpè ſolvatur ipſe ægrotans.

Cornelium Celſum raro ſolviſſe, ac procuraſſe vulnera, patet ex lib. 5. ſuæ Medic. cap. 26. ubi hæc habet. Primo apparatu inſtituto, biduo ſic vulnere habito, tertio id die aperiendum, detergendaque ſanies ex aqua frigida eſt, eademque rurſus injicienda ſunt. Quinto die quanta inflammatio futura ſit, ſe oſtendit, quo die rurſus deterſo vulnere, conſiderandus eſt color, &c.

Galeno

Galeno placuiſſe raram ſolutionem vulnerum ex eo quidam colligunt, quod 4. de Artic. t. 26. & 27. approbat curationem ulcerum cum luxatione ab Hippoc. inſtitutam per ea medicamenta, quæ poſt longum tempus reſolvuntur, ut non ſæpè deligetur, ac ſæpè ſolvatur ipſe ægrotans, & ex eo, quod 4. de Comp. Med. per Gen. 4. laudat Aſclepiadem, qui in ulceribus Chironiis, & curatu difficilibus appoſito quodam ſuo medicamento, triduo tantùm ſolvebat, & eos reprehendit, qui qualibet die non ſemel tantùm, ſed bis, & ter ulcus ſolvunt, ſi enim in pravis ulceribus, in quibus copioſa excrementa, & mala qualitate infecta, ſuccreſcunt, raram ſolutionem probat, & crebram damnat, multò magis credendum videtur, ipſum raram ſolutionem amaſſe in vulneribus, quæ pauciora excrementa, cæteris paribus, eaque benigna proferre conſueverunt.

Idem colligunt ex 2. de Comp. Med. per Gen. cap. ult. ubi recipit deſcriptionem emplaſtri Barbari Heræ ad cruenta vulnera, & alia, de quo ipſe Heras, inquit, Hyeme diebus ſeptem ſolvitur, per æſtatem quinque. Si verò neceſſitas urgeat, tribus. Sed & ulcera rarò ſolvuntur, approbante Galen. 4. de Comp. med. per Gen. 5. & 14. & 15. Quod etiam ulcera rarò ſolverit Gal. colligitur ex 10. ſimpl. p. 75. apud me, ubi de vrina humana verba faciens, hæc habet, At ulcera digitorum, pedis maximè, quæ ex illiſione, atque offenſione eſſent inflicta, ſæpè numero, ubi nimirum phlegmone carerent, & ipſe curavi, eaque in ſervis, & hominibus ruſticis, quos iter aggredi absque Medicis erat neceſſe. Siquidem linamento ulceri impoſito, ac inſuper linteo circumvoluto, ac ligato, quoties meiendi inceſſeret cupiditas, in digitum ferri urinam, præcepi, nec ante ſolvere, quam eſſet benè curatus 6. tamen Meth. 2 nervi puncturam manè, & veſperè ſolvit, ac procuravit.

Avicennas 4. 5. tract. 3. c. 2 raram ſolutionem in ulceribus proculdubio laudavit, ideo dicebat, & de illis,

quæ ſunt neceſſaria, eſt, ut dimittatur medicamentum ſuper ulcus tribus diebus, deindè diſſolvatur, nam ſi ipſum prius curaveris, vel ſi ante tres dies ſolveris, non faciet ſuam operationem, quamvis enim Gentil. Nicol. & Dinus aliter interpretentur Avicennam, nec aliud voluiſſe ſignificare contendant; niſi ut tribus diebus operationem medicamenti, quo uti propoſuit, ulcus eo curando obſervet, ut cognoſcere valeat, an conveniens ſit, vel potius validius, aut infirmius, quàm ulcus poſtulet, conſtat tamen hanc expoſitionem non poſſe adaptari Avicennæ verbis, & re vera nihil aliud voluiſſe Avicennam, niſi illud idem, quod habet Galen. in medicamento Aſclepiadis 4. de Comp. med. per Gen. à recentioribus ferè nihil prætereà habemus, eamdem enim doctrinam profitentur Ambroſius Paræus in ſuo tractat de Ulcerib. & Fabric. ab Aquapendente. At quod ad vulnera communis praxis eſt, ut quotidie ſemel, & iterum ſolvantur. Unus Theophraſtus Paracelſus, ut videre eſt in ſua minori Chirurgia, unica medicamenti applicatione poſſe vulnus ſanari cognovit, ſi videlicet paretur emplaſtrum ex mumiis fixis, additque eſſe quaſdam alias mumias ex balſamali mumia, quæ ſemel alligatæ vulneribus per tres, vel quatuor ſeptimanas ſuas retinent vires.

Adulfus quoque Occus lethalium vulnerum ſolutionem ad quartam differri conſueviſſe à peritis Chirurgis habet epiſt. 15. quæ eſt inter Epiſtolas diverſorum collectas à Scholzio, ita enim ſcribit circa medium, Servus quidam Sicarius percuſſit herum, ut illi pecuniam ſurripere poſſet, acuto gladio, quem piſtaleſum vocant, uno ictu caput amputare cogitans. Sed res parum feliciter ſucceſſit: inflixit quidem lethale vulnus, ſed prorſus interimere non potuit, proſiliit enim ex lecto, & quamquam lethale vulnus accepiſſet, tanto tamen robore præditus erat, ut & ſicarium contineret, donec opem illi ferrent vicini, & parricidam caperent. Acceſſerunt tandem Chirurgi, qui cum viderent vulnus lethale, cæpurent deſpe-

deſperare de illius ſalute, & relinquebant eum prognoſticis, putabant enim fore, ut quarto die moreretur. Cum accederent circiter quartum diem, & vulnus aperirent (quemadmodum in talibus vulneribus lethalibus fieri ſolet à peritis Chirurgis, ut ante quartum non detegantur) id reperiebant citra ullam inflammationem purum, & bonum, quia tamen lethale prorſus erat, putabant; eum ſeptimo die eſſe moriturum, ſupravixit tamen ſeptimum diem, & in dies magis, ac magis convaluit, &c. Saltem ergo in hujus viri regionibus viget hæc conſuetudo, ut graviora vulnera ante quartam non detegantur.

Cæſar Magatus rem hanc pertractans in primis vulnus ſecat in ſimplex, & cavum; monetque de cauo potiſſimum controverſiam eſſe; quòd ſimplicia brevi agglutinentur, & non pauci eorum, qui crebræ ſolutioni ſunt addicti unica medicamenti impoſitione hujuſmodi vulnera ſanare profiteantur. In curatione igitur vulneris cavi c. 31. lib. 1. animadvertit, prætermiſſam fuiſſe à Galen. indicationem maximi momenti, ob idque coactum fuiſſe ad inutiles, & minus neceſſarias confugere, quibus ut ſatisfiat, crebra ſolutio requiritur; hanc verò indicationem eam eſſe, quæ à læſione temperamenti, ſeu naturalis caloris deſumitur, cum enim ejus ſit vulnera ad ſanitatem perducere, utpotè qui, & diviſa labia agglutinat, & cavitatem carne replet, & quod ſuppurare debet, in pus convertit, & alia opera exequitur, quæ vulnera ſananda deſiderant, ejus quoque maximam habendam eſſe rationem contendit, cum à vulnere, non modicam læſionem contraxerit. Probaverat autem cap. 10. ejuſdem libri, à vulnere lædi temperamentum partis, tanquam fundamentum accipiens, partium temperamentum, quatenus viventes ſunt, conſtitui ex elementali earum temperamento, innatoque ac influente calore: cum enim inflicto alicuius momenti vulnere diſpendium non contemnendum patiantur nativus, & influens calor,

temperamentum partium, quod actionum naturalium cauſa eſt, oblædi concludit. Quod verò lædatur naturalis partium vulneratarum calor, ibidem ex eo oſtendit, quod facta morboſa aliqua continui ſolutione in parte, non poteſt æque transmitti ad partem illam influens calor, ut prius, cum ad hanc transmiſſionem continuitas partium requiratur, & mutua quædam earum communicatio; quodque caloris naturalis ſubſtantia vaporoſa ſit, ac ſpirituoſa, quæ promptè diſſolvi poteſt, ſublato autem naturali partis tegumento ob vulnus, ac intimis, & reconditis partibus ob ſolutam unitatem ambienti expoſitis, fieri non poſſit, quin ſubſtantia naturalis caloris diſſipetur; & quia unà cum ſanguine vitales ſpiritus effundantur, ob idque non poſſit non offendi ipſe inſitus calor, qui à ſanguine, & ſpiritibus illis fovebatur: quodque per vulnera partes, quæ nunquam antea aerem ambientem fuerant expertæ, eidem exponantur, ambiens autem, quantumvis calidus, ſemper comparatione ipſius naturalis caloris ſit frigidus, & proindè neceſſe ſit malè affici, & hebetari quodammodo naturalem calorem. Quid etiam perpetiatur occurſu ambientis naturalis vulneratæ partis calor declarat eodem cap. conferens fracturas, & luxationes, quæ ſine manifeſto ulcere contingunt, cum iis, quæ ulcus adnexum habent, quod enim tanta negotia & Medicis, & ægrotis, quæ ſunt cum ulcere, faceſſant, cum, ſi ulcus abſit, coaptatis partibus nullo negotio ſanentur, quamvis fieri non poſſit, quin adſit divulſio in intimis partibus, cauſam refert in ambientis occurſum, idem pariter oſtendit exemplo abſceſſuum, qui interdum ope digerentium evaneſcente materia nullo negotio, & brevi ſanantur, diſſecti autem ſemper moleſtam habent curationem. Ex eo quoque quod non ſtatim ab inflicto vulnere incipit generari caro, colligit lædi temperamentum partis, cum enim præſto ſit materia, ex qua generanda eſt caro, ſanguis ſcilicet, ſi opifex, ideſt temperamentum

tum eſſet naturaliter diſpoſitum, nihil obſiſteret, inquit, quominus ſtatim ex ea carnem gigneret, at verò cum per aliquot dies veluti ociari videatur, hujuſce operis quaſi oblitus, aliquod diſpendium perpeſſum eſſe concludit, idem probat ex ipſomet Gal. 3. Meth. 3. ubi omnem qualitatis alimenti mutationem alterum tenujus, alterum craſſius excrementum ſequi ſcribit, tenujuſque in univerſo corpore eſſe ipſam inviſibilem perſpirationem; quam ſubinde fieri viſibilem aſſerit, quoties vel naturalis calor languet, vel nutrimento utitur homo quàm juſtum ſit, ampliore, vel motus quispiam vehementior animali contingit, & hæc eadem excrementa in ipſa prima carnis generatione ſuccreſcere in vulnere, tenujusque eſſe ſaniem, ſeu ichorem, ex quo vulnus humidius redditur. His ita ſe habentibus arguit Magatus. In vulnere inviſibilis perſpiratio fit viſibilis, cum fiat ſanies, igitur aut hoc accidit, quia naturalis calor langueat, aut quia corpus ampliori, quàm juſtum ſit, utatur alimento, aut quia motus aliquis vehementior vulnerato contingat, at duo poſtrema locum non habent in vulneratis, cum ipſis tenuis præſcribatur victus, & quies imperetur, igitur concludit, in caloris naturalis languorem cauſa referenda eſt, idem colligit, ex 3. Meth. 4. ubi vires partium ex vulnere reddi imbecillas affirmat, cum enim vires nihil aliud ſint, quam partium facultates, & facultas ſit temperamenti proprietas ex Gal. lib. de Plen. 3. immo facultatum omnium eſſentia ex eodem 5. loc. Aff. 7. & 1. de Præſag. ex pulſ. 4. in peculiaribus partium temperantiis conſiſtat, ſi vires redduntur imbecillæ ex vulnere, infert neceſſariò dicendum eſt, læſum eſſe temperamentum. Cum inſuper fateatur Gal. ſi caro ſana eſſet, & nullum vitium eſſet in affluente ſanguine, neque quod ad qualitatem, neque quod ad quantitatem, nihil eſſe præterea quod obſtet, quominus prima carnis generatio proſperè ſuccedat, idque nullius

externi medicamenti ope, ſemper verò ex ipſomet Gal. ſuccreſcant in vulnere duo illa excrementa, quæ carnis generationi obſiſtunt, cum tamen ſæpenumero nullum ſit vitium in ſanguine, colligit ex eodem loco Magatus c. 31 lib 1. exiſtimaſſe Gal. Carnem minimè ſanam eſſe in vulnere, & neceſſariò læſum eſſe temperamentum ex Gal. ſententia, cujus eſt carnem gignere. Itaque concludit, ſi læſum eſt, quoniam primas partes in ſanatione vulnerum obtinet, rationi quoque conſonum eſſe, ut ab ipſo ſumatur indicatio. Neque hanc indicationem reſpexiſſe Gal. contendit, quando lib. Artis Med. 90. Salubrem partis ſubſtantiam conſervandam proponit, quod mediocriter ſiccantibus, id nos aſſecuturos moneat, quæ excrementa reſpiciunt, non autem læſum temperamentum ob caloris naturalis imbecillitatem.

Quoniam autem hanc indicationem parvifecit, aut non advertit Gal. inde factum eſſe eodem capite ſubjungit Magatus, ut exiſtimaverit, idque tradiderit 3. Meth. 3. totam excrementorum curam exſiccantibus, atque abſtergentibus medicamentis demandandam eſſe, nec poſſe tranſigi hoc negotium citra eorum uſum, immo nullum eſſe tempus, in quo non utrumque medicamentorum genus deſideretur, ſicuti nullum tempus eſt, in quo non generentur ea excrementa in vulnere, atque hujusmodi medicamenta debere undique vulnus tangere, & proinde crebrò ſolvendum eſſe vulnus, ut appoſita medicamenta adhibeantur, quam quidem curioſam diligentiam, addit, evitare potuiſſet, ſi roboris naturalis caloris potiorem habuiſſet rationem, cum eo robuſtiori facto non ea colligantur excrementa in vulnere, quæ id expetant, inde etiam accidiſſe, animadvertit, ut minus probè imminenti fluxioni conſulverit, cum enim inter fluxionis principia ſit dolor, partisque imbecillitas, & ſolvi, ac tractari vulnerata pars, & ipſum vulnus emundari, & procurari citra omnem dolorem, ac irritamentum nequeat, dum verò ambienti exponuntur partes, naturali tegu-

tegumento deſtitutæ, ſemper aliquid diſpendium experiatur naturalis calor, quod imbecillitati partium vulneratarum favet, ſi crebrò id fiat, non exiguam præſtari fluxioni occaſionem perſuaſum habet Ipſe igitur, ut haſce ſalebras devitet, maximam habet caloris naturalis providentiam, itaque vulnus tractat, ut quàm minima præſtetur fluxioni occaſio. Et quoniam duo mala perpeſſus eſt naturalis calor, cum aliquid ejus ſubſtantiæ in auras abierit, & vivifica ejus qualitas occurſu ambientis fuerit hebetata, curat, ut ejus ſubſtantia reparetur, & qualitas ad priſtinam commoderationem reducatur, reparari ejus ſubſtantiam autumat, ſi deinceps difflari prohibeatur, cum enim inquit, nunquam ceſſet ejus generatio, ſi difflari prohibeatur, reparari quidquid ejus deperditum eſt, neceſſe eſt: Qualitatem verò reſtitui, ſi foveatur, & amica qualitate recreetur, quia verò ob naturalis tegumenti defectum diſſipata eſt ejus ſubſtantia, & in noſtra manu non eſt aliud naturale tegumentum denudatis partibus obducere, novum arte parandum, concludit, quod naturalis vicem ſuppleat, & quàm rariſſimè fieri poſſit, removendum, & hoc eodem tegumento foveri poſſe, & recreari naturalem calorem, atque ad priſtinam commoderationem reſtitui, arbitratur; quia nimirum ea ratione parari poſſit, ut qualitatem habeat Naturæ amicam, & à proprietate etiam totius ſubſtantiæ roborare valeat ipſum naturalem calorem, addito ſcilicet medicamento, quod eam vim habeat. Ex quibus infert, ſi ſumenda ſit indicatio à temperamento, ſeu naturali calore, tantùm abeſſe, ut neceſſarium ſit quotidie, ſeu crebrò vulnus ſolvere, quin potius, quo longius fieri poſſit, protrahenda ſit ſolutio, quò ſub tegumento vegetior reddatur naturalis calor, & opera quæ ad vulnerum ſanationem requiruntur, ſibi debita, promptius ac felicius exequatur; ita quoque melius occurri fluxionis periculo certum habet cum rariſſimè tractetur pars vulnerata, ac vulnus irritetur. Cap. verò 32. Quid vulnera deſiderent, proponit,

&

& ſingula oſtendit, melius haberi ſub tegumento, ac rarò ſolutis vulneribus quàm ſi quotidie, ſeu crebrò, ſolvantur. Requiri ad ſananda vulnera, ait, ut peregrina corpora intra vulnus contenta removeantur, ut vulnus, ſi ſimplex ſit, agglutinetur, ſi cavum, ut carne repleatur, ſi caro ſit contuſa, aut quid aliud ſit in vulnere, quod ſuppurare debeat, ut in pus convertatur, ut fluxio, quæ omnia perturbat, avertatur, ac inhibeatur, & ab excrementis, quæ neceſſariò ſuccreſcent, vulnus expurgetur: in ſingulis igitur propoſitum oſtendit. Peregrina corpora, quæ à principio educi manu Chirurgi non potuere, melius à Natura propelli, dum ei hoc onus incumbit, ex eo probat, quod, ſi rarò ſolvatur vulnus, naturalis calor, cujus eſt ea expellere, robuſtior evadat ſub tegumento, crebrò autem ſolutis vulneribus difficilius, ac tardius reſtituatur, cum in qualibet ſolutione aliquod detrimentum ſubeat, ſi verò manu Chirurgi ſint extrahenda, etiam faciliorem reddi extractionem, quòd ſub tegumento ob naturalis caloris robur citius ſuppurent vulnera, & ſi qua tenſio ſubſit in parte, aut inflammationis rudimentum, citius ſubſideat, indeque magis pateat via ad extractionem. Agglutinationem quoque, nec non & ſuppurationem, atque carnis generationem, cum hæc Naturæ ſint opera, melius perfici ſub tegumento, & raro ſoluto vulnere ſibi perſuadet, quod naturalis caloris reſtituatur robur, isque in opere ſuo, quàm minimum interturbetur, crebro vero ſoluto vulnere, & interturbetur, & offendatur.

Melius etiam præcaveri fluxionem, ait, raro ſoluto vulnere, quod ea ratione magis proſpiciatur robori partis, unde fit, ut ipſa non ita fluxionem admittat, & reliquæ partes non ita promptè ad eam transmittant, quodque ſub tegumento roboratus calor, ſi quis flatus, aut humor partem diſtendat, & dolorem excitet, facilius diſcutiat, & partem æquabilem reddat: & cum raro tractetur vulnerata pars, quàm minimum etiam doloris inferatur,

tur,

tur, irritamentive; tractari enim partem vulneratam, ſi vulnus alicujus momenti ſit, & in parte præſertim exquiſitionis ſenſus, prorſus citrà dolorem vix poſſe, arbitratur, quod plerumque à ſitu, & figuratione, in qua collocata fuerat, eam removere cogimur, ut vulnus ſolvamus, & jam conſpurcata medicamenta detrahamus, ac recentia imponamus; deindè partem ſolvimus, quæ erant appoſita ad vulnus, detrahimus, vulnus abſtergimus, circumjacentes partes emundamus, tandemque medicamenta apponimus, & rurſus deligamus, & partem in congrua figuratione, ac ſitu, collocamus: quæ omnia citra dolorem præſtare arduum exiſtimat, & citra fluxionis periculum. Hæc autem incommoda cum perbellè devitemus raro ſoluto vulnere, nullam nos præſtare fluxionis occaſionem, multas verò arcere concludit, ita curantes, indeque fieri, ut reliqua opera ad vulnera ſananda expetita felicius abſolvantur.

Porro excrementa non cogere ad crebram ſolutionem probare nititur c. 33. & primò id oſtendit de craſſis, quorum gratia abſtergentia neceſſaria eſſe monebat Gal. deindè de tenuibus, craſſa non cogere, ex eo deducit, quod ſuppuratæ inflammationes, non exiguum purulentæ materiæ numerum continentes, ex ipſo Gal. 13. Meth. 5. ope diſcutientium pharmacorum evaporata materia ad ſanitatem perducantur; quod minimè fieret, ſi ad amovenda craſſa excrementa, quorum non minima portio in ea cavitate colligitur, neceſſarius eſſet abſtergentium vſus, idem oſtendit ex abſceſſibus externis, qui ſoli oſculo admoto medicamento quandoque carne replentur ſecluſo omni abſtergentium vſu, profunda quoque vulnera ſæpè carne repleri etiam ſub communi modo ſola brevi turunda immiſſa, quæ nec propè ad ima accedit, quotidianam obſervationem adducens, affirmat: ut & viſcerum vulnera, & abſceſſus internos plurimam purulentam materiam fundentes, ex quibus infert non ſemper craſſa excrementa uſum abſtergentium requirere, ſed tunc tan-

tùm cum ita affixa ſunt parti, ut adnata videantur, id ex Gal. colligens, qui lib. Art. Med. 92. ubi curativas indicationes in cavis vulneribus proſequens, & ad ſorditiem deveniens, non ait abſolutè indicari abſterſionem, ſed ſub conditione loquitur dicens, ita & ſi ſordities aliqua fuerit adnata, intentio quidem erit abſtergendi, ex iiſdem arguit ad removenda tenuia excrementa non eſſe omnino neceſſarium ſiccantium uſum, cum in propoſitis caſibus tàm citra ſiccantium, quàm abſtergentium uſum caro generetur. Et proinde concludit, non ſolis medicamentis ſtolli excrementa vulnerum, ſed & à naturali calore, qui partem ipſorum per halitum inſenſibilem digerit, partem verò ſenſibiliter per vulneris orificium expellit, indeque eſſe, quod cum vulnera ſolvimus, ac detegimus ſæpè numero non modicum purulentæ materiæ à Natura extra vulnus pulſæ comperiamus, nec ſolùm cum orificium vulneris deorſum ſpectat, ſed & cum ſurſum, & quoniam idem obſervatur ſub vulgari curationis modo, quin longè efficacius conterenda, expellendaque ſint excrementa ſi tegumento foveatur, roboreturque naturalis calor, non dubitat, neque obſtare, ait, quod expultrix ſit imbecillior quàm ſanitatis tempore, quoniam patentiores quoque habet vias, per quas expellat, orificium nimirum vulneris, quod ſi minus idoneum ſit, arte expeditius parari poteſt, neque timet, ne ob humidum excrementum caro humidior ſuccreſcat, & in removendo vinculo, quo ſordes veluti alligantur vulneri, calor deficiat, quòd naturalis calor robuſtior factus ſuperfluum humorem partim extra vulnus propellat, partim per inſenſibilem halitum digerat, ut ſi caro humidior pullulet, non multò poſt abſumpta humiditate ad juſtam commoderationem reducatur: idque exemplo calli, quo oſſa fracta connectuntur, & primis diebus mollis eſt, poſtmodum verò abſumpta humiditate oſſeam duritiem adipiſcitur, oſtendit.

Monet

Monet tamen eodem c. 35. aliquando nullam adeſſe viam, per quam jam exiſtens, aut quæ mox colligenda materia eſt, poſſit expelli, quia videlicet, aut nulla fuerit à telo parata, ſeu adeo anguſta, ut illico delituerit, aut quæ facta eſt, etiamſi amplior, ab aliquo corpuſculo, puta à telo ipſo ſit occluſa, vel adſit quidem, ſed minùs appoſita, utpotè, quæ anguſta eſt, aut talis futura, inæqualis, tortuoſa, ſurſum ſpectans, ob idque impediri expulſionem, & propterea in id elaborandum eſſe, ut materia convenientem habeat effluxum, hoc eſt, ut adſit recta via, & patens, per quam fiat expulſio, & ſi fieri poſſit, ut deorſum vergat, quapropter ſi corpus aliquod viam occluſerit, illud auferendum monet, ſi via deſit, arte aliquam machinatur congruis nimirum ſectionibus: ſi, quæ adeſt, minus proba ſit, arte reddit idoneam, vel novam parat, & in hoc opere plurimum defert Chirurgi judicio.

Quod verò ad tegumentum, animadvertit cap. 35. Non quodlibet, & utcumque paratum aptum cenſendum eſſe ad tuendum, & roborandum naturalem calorem, ſed quod partes proprio, & naturali tegumento deſtitutas ab injuriis ambientis poteſt vindicare, caloris evaporationem, ac diſſolutionem prohibere, ipſumque fovere, & ne minimum offendere, & proinde aeris ſtatum conſiderandum, corporisque, ac vulneratæ partis naturam, vulnerisque magnitudinem, ſeu amplitudinem, eo quia quod in uno corpore, aut in una parte, aut in uno vulnere, aut in uno tempore appoſitum tegumentum eſt, in altero corpore, in altera parte, in alio vulnere, ac tempore incommodum, ac noxium eſſe poſſit. Itaque parat tegumentum ex duplicato, aut triplicato linteo, pluribusve linteis pro ratione temporis, aut ex tenui ſtuppa, vel molli lana, aut goſſipio confectis ſpleniis, vel puluillis, ſi firmiori tegumento opus ſit, adeo amplum, ut ſatis de parte ſana comprehendat, neque tamen illi ſit oneri, lintea verò, ut ne minimum offen-

dant, lævia, æqualia, ac mollia deligit, & cavet ab arcta deligatione, ne adſtrictione, atque compreſſione dolor inferatur, & fluxio commoveatur, ſimulque à comprimentibus linteis occludatur oſculum vulneris, & pus retineatur, pravorumque halituum impediatur diſſolutio, hæc enim pericula laxiori deligatione evitari profitetur; ſed & eam damnat, quæ adeo laxa eſt, ut tegumentum elabi ſinat, ſi fortè moveri partem vulneratam contingat. Ut verò nihil deſideretur in tegumento, antequam vulnus linteis contegat, oſculo vulneris apponit linteolum, medicamento aliquo illitum, quod poſſit diſſolutionem caloris naturalis prohibere, & impedimento eſſe ne ita imbibantur, conſpurcenturque appoſita pro tegumento lintea effluentibus à vulnere excrementis, cujusque ſubſtantia diutius perduret, nec tamen poſſit ſubfluxiones tollere; cujusmodi eſt, quod medium eſt inter molle, & durum, quodque emplaſticum eſt, ac viſcidum, oleoſumque, cavet, ne qualitatem habeat naturali calori infenſam, quæque ad ciendam fluxionem faciat, probat verò, ut ſuppurans ſit, ſi vulnus ſuppuratione indigeat, agglutinans verò, ſi unam agglutinationem vulnus poſtulet, exſiccans autem, ſi cavum ſit, & ſuppuratione non egeat, maximè autem, ut habeat qualitatem naturali calori amicam, amicam ſcilicet caliditatem, immò ut à proprietate totius ſubſtantiæ in expetitis operibus ipſum adjuvet. Ut etiam magis caloris difflationem prohibeat, laudat cap. 61. ut quod primò imponitur, aliquam inſuper adſtringendi vim habeat: neque timet, ne ab hujusmodi qualitate ſordes magis affigantur, quòd à principio tantùm hæc qualitas adhibeatur, cum nondum generatur effatu digna excrementorum copia, ea vero non multo poſt evaneſcat. In aptis etiam medicamentis deligendis non ſpernit conſiderationem Naturæ ipſius vulnerati, & propriæ illius curationis, & ejusdem Naturæ proprietatis ineffabilis ex Gal. 3. Meth. 7. neque ſtatus ambientis, qui cum & totum corpus, & particulam ipſam affici-

afficiat, & propterea excedente qualitate poſſit eſſe moleſtus, ejus exceſſui cum Gal. eodem loco medicamentis occurrendum cenſet, ita ut calidioribus temporibus frigidiora, frigidioribus calidiora adhibeantur: quamvis cap. 57 quoniam Natura eſt, quæ curat, & tegumentum perbellè ejus robori conſulit, non abſurdum exiſtimet aſſerere, unica medicina, quæ facultatem inimicam non habeat, poſſe omnia vulnera ſanari.

Oblato igitur aliquo vulnere cap. 61. ſiquidem ſimplex ſit, labia adducit ad mutuum contactum, detractis peregrinis corpuſculis, ſi quæ ſint in vulnere, & extrinſecus medicamentum agglutinans apponit, ſolutionemque ad perfectam agglutinationem differt, niſi prius ſcindenda ſint puncta. At ſi vulnus ſit cavum, in primis conſiderandum monet, an adſit conveniens effluxus pro expurgatione excrementorum, quæ paulo poſt ſuccreſcent, & niſi adſit, præparandum aut ejusdem, aut contrarii loci diviſione, aut turunda ſemel, aut iterum immiſſa; ſi vero adſit, videndum, an cavitas reddi poſſit minor præter id, quod tollatur idoneus effluxus, & adducenda labia, licet non ad mutuum contactum, & exactè, ſed ad excrementorum purgationem relicto aliquo interſtitio, ut minus aeris vulnus admittat, & juxtà ſe poſita labia ſe mutuo foveant, minorique carnis portione vulnus repleatur: adducenda vero ſutura, aut glutine, ſive autem adducenda ſint labia, ſive ſecus, aliquid medicamenti liquati in vulnus inſtillat, & cum vulnus ex gravioribus eſt, etiam fila evulſa, eodem medicamento liquato imbuta, extrinſecus ori vulneris apponit, inde applicat linteum, (quo ſolo etiam contentus eſt in levioribus vulneribus) quod idem medicamentum habeat, cæterum minimè liquatum: proximasque partes litu calentis roſacei conſolatur; tandemque addit pulvillos, ſeu tot lintea, quot ad abſolvendum tegumentum, quod partem haud oneret, ſatisfuerint, & faſcia idonea deligat ad retinendum, atque appoſito ſitu, ac figuratione partis curat, ut

procul abſit omnis dolor, & orificium vulneris deorſum ſpectet, quantùm fieri poteſt, ut materia faciliorem egreſſum habeat, ſtupatas illas ovorum albumine imbutas, niſi fluxus ſanguinis urgeat, quem tamen ſæpè ſola digiti impoſitione ad oſculum vaſis, & appoſita compreſſione ſe ſupprimere affirmat, aut amplum reddendum ſit vulnus ad aliquam Chirurgicam operationem, damnat, quod exſiccatæ contrahant vulneratas partes, & infeſtæ evadant, ac dolores promoveant. Medicamentum, quod in eum uſum probat, eſt veluti reſina Terebinthina, & abietina, quibus interdum, præſertim ſi vulnus ſit gravius, oleum addit Hyperici compoſitum, & etiam aquam ardentem, ſeu vitæ appellatam, ſi vulnus ſit profundum, & paulò anguſtius, aut balſamum peruvianum, vel ante factum; & cum ſolidiori medicamento opus eſt, addita cera, & quandoque tacahamaca Inda, unguentum expeditæ conſiſtentiæ præparat. Si vulnus ſuppurationem deſideret, ſuppurans quoque medicamentum probat, cujusmodi eſt digeſtivum lotum appellatum, unguentum baſilicum, & hujusmodi. Vulneris ſolutionem usque ad id tempus protrahit, in quo vulnus carne repletum eſſe conjicit, vel parum ab hoc ſtatu abeſſe, niſi quid interim occurrat, quod magis poſſit ad indicandam ſolutionem, quàm fluxionis periculum, & naturalis caloris imbecillitas ad indicandum tegumentum, ut docet c. 38. Quæ autem magis poſſunt ad indicandam ſolutionem ea eſſe tradit, quibus ſine manuali operatione ſuccurri non poteſt, aut quia ſic illis poſcentibus aliquid manu addendum ſit, aut detrahendum, aut quia medicamentum aliquod apponendum, & niſi eis quamprimum ſuccurratur, magnum aliquod malum minantur, aut moleſtiam, quæ vix perferatur. Inter ea igitur, quæ ad ſolutionem cogunt, fluxum ſanguinis recenſet, corruptionem, & ſphacelum partis, ingentem putredinem, ac ſorditiem, purulentæ materiæ ſuppreſſionem, niſi ſupprimatur à ſuperpoſitis linteis, quæ nimis comprimant, quo in caſu

ſatis

ſatis eſſe ait compreſſionem tollere laxata deligatione, & lintea usque ad vulnus forcipe incidere, ut materiæ paretur exitus, quamvis poſtea, quæ extrinſecus ſunt, conſuenda moneat. At ſi ſuppreſſa fuerit ob erratum in paranda ſubfluxione commiſſum, ſolvendum vulnus ait, erratumque corrigendum. Inter eadem collocat ſupervenientem inflammationem, peregrinum corpuſculum, quod negotium faciat, Abſceſſum ſupervenientem, Dolorem vehementem, tantam caloris imbecillitatem, quæ non ſit expellendis excrementis, Oſſa extra proprium locum prolapſa, & fœtorem, ac pruritum importunum. Ea pariter, quibus ſine manuali operatione ſuccurrere non poſſumus, quamvis nihil grave ſint allatura, ſed tantummodo, niſi ipſis conſulatur, impedimento ſint, ne optatum finem conſequamur, magis poſſe ad ſolutionem, addit quando jam naturalis calor, quæ majoris ſunt momenti, præſtiterit, hujusmodique eſſe ſupercreſcentem carnem, ut quæ ſine medicamentorum ope removeri non poſſit.

Si igitur nihil urgeat, ut tradit cap. 62. differt ſolutionem, donec vulnus carne repletum ſit, vel prope abſit ab hoc ſtatu, quando tamen vulnus ex iis eſt, quæ tardè carne replentur, animadvertit, intermedio tempore adeſſe, quod ſolutionem poſtulet, & proinde ſolvendum vulnus, atque emundandum, ut & circumſitæ partes, & procurandum, ut primo apparatu factum eſt, niſi fortè à principio ſuppurantia adhibita ſint, quæ deinceps ableganda monet, & uſurpanda exſiccantia. Si vulnus comperiatur carne repletum, aut ferè repletum, epulotica poſt abſterſionem apponenda, ait, inter quæ laudat Ceratum Palmeum, Barbarum, de Ceruſſa, & hujusmodi. Si fortè caro ſupercreverit cap. 68. aliquid apponit, quod eam erodat, cujusmodi eſt Alumen combuſtum, Præcipitatum, unguentum Iſis, & ægyptiacum.

Et quoniam implicare videbatur, quod tectum ſervandum ſit vulnus, & detegendum, quando hoc, aut illud vulneri

vulneri ſupervenit; cum enim vulnus oculis minimè ſubjaceat, nec videtur, poſſe animadverti, quando hoc, vel illud adſit, quod ſolutionem poſtulet, idcirco cap. 39. oſtendit poſſe intelligi ſtatum vulneris, quod linteis tegitur, & rectè ſe habere, quæ ad vulnus attinent, quando à vulnere bonum pus emanat, & pro ratione vulneris, nullusque, aut parvus adeſt dolor, gravitas, ac tenſio nulla, aut pauca, & proximæ partes molles ſunt, & boni coloris, nec vulneratus febricitat, ſaltem febre, quæ animadverſionem requirat, addit, qui opera Naturæ obſervare conſuevit, haud multo negotio exploratum habere poſſe, quando vulnus carne repletum eſt, ſeque longa experientia didiciſſe, quando nihil mali vulneribus ſupervenit, mediocria vulnera ſeptem circiter dierum ſpatio carne repleri, leviora unius diei ſpatio indigere, majora, quæ tamen oſſa non attigerint, & contuſa non ſint intra decimam quartam, Contuſa intra vigeſimam, ut & maxima carnoſarum partium citra contuſionem. Quibus acceſſit oſſis læſio, niſi abſceſſus oſſis ſit expectandus, circa vigeſimam quartam. Quando tota oſſis ſubſtantia perfracta eſt, pro magnitudine, qualitateve oſſis modò ad trigeſimam, modò ad trigeſimam quintam, aut quadrageſimam repletionem protrahi; At ſi oſſis abſceſſus ſit futurus, repletionis tempus ex tempore receſſus oſſis conjectandum, monet tamen multum differre tempus à tempore, ætatem ab ætate, Naturam à Natura, & læſionem à læſione.

Quæ ſuperveniunt, aut ſymptomata eſſe ait, quæ per ſe manifeſta ſunt, aut ſine ſymptomatis non accidere, à quibus produntur, atque ita dolorem, pruritum, eroſionem, & fœtorem latere non poſſe. Inflammationem ex dolore, calore, tumore, & febre innoteſcere, & propriis ſymptomatis affectæ partis, Abſceſſum ex præcedente inflammatione perſeverante tum ore cum dolore, & pulſu, & copioſioribus excrementis; ſed & incidi poſſe forcipe lintea, animadvertit, ac elevari, ut oculis inſpiciatur ſtatus

ſtatus circumjacentium partium, & judicium quoque tactus adhibeatur. Puris ſuppreſſionem ex gravitate, tenſione, dolore, ac febre, & effluentis puris paucitate, ac ſymptomatis propriis partis. Putredinem, atque corruptionem ex natura corporis, & affectæ partis, Cœli ſtatu, præcedente victu, vulneris qualitate, & ſubſtantia, quantitate, colore, odoreque eorum excrementorum, quæ extra vulnus effluunt, ac febre, quæ exercet vulneratum. Gangrænam ac ſphacelum ex præcedenti inflammatione, ac dolore ingenti, qui derepente ſine manifeſta cauſa obſcuratur, ex effluente virulentia pravi coloris, ac fœtentis, febre malè morata, quibus nonnunquam ſæpe adjungi, ait, Cordis morſus, animi deliquia, ſingultus, ac mentis alienationes. Retentum peregrinum corpus extrinſecus adveniens ex prima inſpectione manifeſtum eſſe accipit. Os verò, quod abſceſſerit ex qualitate fracturæ, ex punctione ſuborta ac tempore abſceſſus oſſis colligit. Tandem concludit, nihil mali poſſe ſupervenire vulneri, quod peritum, & oculatum Medicum lateat. In caſu ancipiti, cum quis nondum probè aſſecutus eſt Methodum, ſolutionem ſuadet.

Comparans autem cap. 40. modum hunc curandi, qui rarò ſolvit vulnus, cum vulgari, qui crebrò vulnus procurat, non veretur hunc aſſerere longè præſtantiorem, quod Naturæ robori magis proſpiciat, eamque à pluribus, quæ illi officere, & impedimento eſſe poſſunt in ſuis operibus, melius tueatur, quàm ille alter, cum neceſſe ſit, dum vulnus crebrò denudatur, & ambienti exponitur, calorem naturalem vulneratæ partis non leviter offendi, ac debilitari, unde fit poſtea, ut minus proſperè, quod ſuum eſt peragat, & copioſiora excrementa impedimento ipſi Naturæ futura, generentur, & ipſa pars fluxionis periculo magis pateat, quod etiam periculum augeri profitetur ex ſolutione vulneris, motu, ac tractatione partis, vulneris deterſione, penicillorum, aut linamentorum immiſſione, atque à materia non rarò, quæ ab ipſis ſup-

ſupprimitur, puriſque expreſſione, quam adhibere conſueverunt, & nova deligatione. Inſuper quoties vulnus detegitur, toties interturbari, & à proprio munere diſtrahi Naturam affirmat, itaque curationem longius protrahi. At verò dum vulnus tegumento tegitur, caloris naturalis diſſolutio prohibeatur, & ab injuriis ambientis denudatæ partes protegantur, ob idque non ſolum non offendatur naturalis calor, verum potiùs vegetior, ac robuſtior fiat, & ad propria munia magis potens, atque ob ejus robur pauciora excrementa generentur, & pars robuſtior facta non æque promptè fluxiones admittat, & quia pars raro tractatur, multæ præcaveantur fluxionis cauſæ, & à crebra ſolutione non interturbetur Natura, & à proprio munere non diſtrahatur. Neque illud obſtare, ſubjungit, quod vulnera quotidiana abſterſione careant, quod ſive manus opera, ſive per medicamenta fiat, illa non ſit neceſſaria, ſed ex accidenti tantum requiratur, ob defectum ſcilicet naturalis caloris, & læſum partis temperamentum; neque etiam quòd vulnus ſubſidio medicamentorum careat, quod Natura, robuſtior facta, quidquid ferè medicamentis expectatur, ipſa perficiat, majusque detrimentum, quàm commodum ex crebra medicamentorum impoſitione referamus. Addit neque omnino beneficio medicamentorum deſtitui vulnera hoc modo curata, ſed opportunè, licet rarius admoveri. Neque pauci momenti habendam tradit cap. 36. operationem medicamenti, quod una tantum, vel altera vice, aut ſaltem quàm raro apponitur, ipſum verò proprias vires intra vulnus propter excrementorum permixtionem conſervare diutius nequeat, tantòque minus, ſi ex illis fuerit, quæ promptè diſſolvuntur, immò quando etiam tale non fuerit, quòd à Natura non multò poſt tamquam quid alienum extra vulnus propellatur, perſuaſum habens ſemel admotum poſſe naturali calori non modicum roboris comparare, & aliàs inſuper utilitates afferre non contemnendas, & robur, quod ab una illa

im-

impoſitione recepit calor, deficiente medicamenti virtute non deficere, ſed conſtanter retineri à calore ſub tegumento.

Quia ergo objiciebatur neceſſariam eſſe crebram vulneris ſolutionem, ac detectionem, ut apponi poſſint medicamenta exſiccantia, ac detergentia duo illa excrementa tenue, & craſſum, quæ aſſiduò generantur in vulnere ex Gal. & reddunt vulnus humidum, & ſordidum, cum medicamenta diutius proprias vires retinere nequeant, negat cap. 44. neceſſariam eſſe crebram illam medicamentorum appoſitionem, quòd tenue excrementum partim per inſenſibilem halitum digeratur, partim à calore robuſto extra vulnus propellatur, craſſum verò à principio adeò ſit exiguum, ut detergentibus, quorum uſu vulnus potius irritaretur, & incrudeſceret, non indigeat, procedente verò tempore cum pure confundatur, & unà cum eo à Natura roborata, ſi adſit idoneus effluxus, extra pellatur, ideoque vulnus, quod diu ſub tegumento latuit, cum ſolvitur, nulla prorſus ſorde inquinatum appareat, ex quo infert, neque neceſſariam eſſe crebram illam manualem deterſionem, cum excrementa in hoc curandi modo intra vulnus non retineantur, nec pus ipſum, neque etiam neceſſariam eſſe crebram illam ſolutionem, ſubjungit, ut pro diverſo vulneris ſtatu immutetur medicamentum, quod etiam objiciebatur, quòd medicamentis non fiat curatio, ſed Naturæ viribus, ut in hac curandi ratione illud Gal. locum non habeat, quandò magis humida ſunt vulnera, tantò ſicciora medicamenta ſunt adhibenda, unde ſequebatur, ut innoteſcat vulneris ſtatus, crebrò ſolvenda eſſe vulnera, neque appoſiti medicamenti effectum obſervare oporteat, quò nobis reddatur manifeſtum, an ſatis ſiccaverit, vel potiùs ultra, aut citrà, quod pariter crebram ſolutionem requireret. Objiciebatur quoque ad prævidendum, & præſagiendum futura neceſſarium eſſe vulneris ſtatum cognoſcere, & proinde crebrò detegendum vulnus, ut

ipſis oculis ſubjiciatur, at reſpondet oculis mentis optimè cognoſci vulneris ſtatum ſub tegumento, & quæ ſuperveniunt, plerumque ſe prodere alibi dixerat. Videbatur etiam crebrò ſolvendum vulnus, ut lintea pure conſpurcata detraherentur, & munda imponerentur, at reſpondet à principio munda apponi, procedente verò tempore non eſſe neceſſarium, ut quæ pure conſpurcata ſunt, auferantur, quòd non ſint aliquo liquore perfundenda, qua de cauſa in fracturis ea munda requirebat Hip. additque poſſe etiam detrahi conſpurcata, & munda ſubſtitui citra vulneris detectionem, videbatur etiam crebro ſolvendum eſſe vulnus, ut exhalare poſſent pravi, ac tetri vapores à tegumento præpediti, at reſpondet nos neque tot, ac talibus linteis deligare, neque adeo arctè, ut ſupprimi poſſint, & ſicuti pus exitum habet, ita & patere vaporoſis excrementis, & ſi quæ forſan retineantur, nunquam tantùm inferre detrimenti quantum ex crebra vulneris detectione, quod non intra vulnus, ſed ad circumſitas partes detineantur, neque crebro ſolvendum ſubjungit, ut ſtatu vulneris cognito congrua remedia poſſint adhiberi, quod optimè, & omnino quantum ad curationem ſatis eſt, innoteſcat vulneris ſtatus, etiamſi oculis quotidie non conſpiciatur, oculis inquam corporeis, cum oculis mentis percipiatur, &, quæ ſuperveniunt, ſenſui conſpicua, nobis ipſum vulnus ob oculos ponant, & quid futurum ſit, non edoceant, quidve facto opus ſit. Pruritum aliquando ad ſolutionem cogere non inficiatur, raro tamen accidere, ut ſit tantus, qui ad id compellat, animadvertit; talemque curationem eſſe non vulneris, ſed nexi ſymptomatis: immo alia ſymptomata ſuperveniire poſſe, quæ ad ſolutionem cogant, ut poſthabita interim vulneris curatione urgentioris habeatur ratio, at non ob id inferendum eſſe, quod melius ſit crebro vulnus ſolvere, quia coacti, & ratione urgenti ab ordinaria curatione, quæ vulnus reſpicit, recedimus, ut & in aliis morbis conſuevimus: neque exiſtimandum fallacem hunc mo-

modum, quod etiam objiciebatur, quia non ſemper in eo perſiſtere poſſumus, cum juxta artis præcepta faciamus, quando ei, quod magis urget, occurrimus, reliquis, ſi fieri poſſit, non neglectis, nec habenda ſit fallax curandi ratio, quæ à ſublatione cauſæ exorditur, quia non ſemper ita incedere, ſed non rarò primo occurrendum ſit urgentibus ſymptomatis: neque arguendum, hujusmodi curandi rationem non eſſe methodicam, quoniam pari ratione, & quæ quotidie vulnera detegit, & procurat non eſſet habenda methodica, cum omnibus vulneribus nec ipſa accommodari poſſit, ut vulneribus linguæ, & internarum partium: neque quòd congruis auxiliis videantur deſtitui vulnera cum re vera non deſtituantur iis remediis, quibus indigent, perſiſtente virtute tegumenti, poſtquam virtus medicamenti evanuit, neque etiam dici poſſit, ut habet cap. 40. in hac curatione ſubſidio medicamentorum carere vulnera, ſed adhibeantur, ubi opus eſt, neque incurri, ait, ſiderationis periculum, quia à diuturniori tegumento tollatur perſpiratio, qua de cauſa in luxatione calcis eam metuebant Gal. & Hipp. qui proinde ſæpius attollebant calcem, ut perſpiraret, negans, à tegumento perſpirationem tolli, quòd non ita comprimatur ſub eo pars, ut in calce luxato ex deligatione, ac decubitu.

Eos porro, qui hanc medendi rationem experiri voluerint, in fine operis monet, ut à levioribus vulneribus initium ducant, & ab iis paulatim ad majora progrediantur, ut nunquam ſuffluxionum obliviſcantur, turundas, & penicillos ablegent, & ſtuppatas ovi albumine imbutas, niſi fluxus ſanguinis urgeat, miſſas faciant, atque ita ſe exerceant, primò quarta quaque die vulnus procurent, & in unaquaque ſolutione diligenter vulneris ſtatum obſervent, ut quid ſub tegumento Natura poſſit, quod hujus curationis fundamentum ſtatuit, diſcant, inde ad quintam diem ſolutionem

 dif-

differant, quod intervallum temporis non eſſe timendum aſſerit, cum primis diebus non multa ſuccreſcant excrementa, atque ita paulatim ad raram ſolutionem ſe conferant, monet etiam primam ſolutionem docere, quouſque protrahenda ſit altera. Si dolor ſupervenerit, aut febris alicujus momenti, aut aliud ſymptoma, quod Medicum nondum ſatis verſatum ſollicitet, ac ancipitem, & anxium reddat, ſolutionem probat, ut cauſam mali exploret. Hac ratione poſſe quemlibet in operibus Naturæ ſe exercere, & aſſequi illius vires affirmat, ex quo poſtea inanes timores facilè à ſe abjiciet; & eo tandem deventurum pollicetur, ut quolibet oblato vulnere ſalutis, & mortis viam unico intuitu percipiat, & ſtatum præterea vulneris, & quamcumque illius immutationem ſub ipſis linteis exactè intelligat, ac maxima ſua laude prædicere valeat, & incredibilem ex hac curandi via percepturum voluptatem, dum cernet nullò negotio, & quaſi ſe nihil moliente, vulnera quæ aliis maximum faceſſunt negotium, & ſub altera curatione gravia ſymptomata excitare conſueverunt, feliciter ſanari.

Ludovicus Septalius 8. ſuarum Animad. num. 1. Duplicem animadvertit eſſe his noſtris temporibus vulnerum curandorum rationem, unam, quam Gal. & Hipp. ac reliqui Medicinæ proceres tradiderunt, & tum ipſi, tum cæteri omnes Medici ad noſtra uſque tempora ſectati ſunt, qua quotidie nedum ſemel, ſed & bis, & ſæpiùs ſolvuntur vulnera, ac procurantur immiſſis turundis, ſeu linamentis, aut liciniis, appoſitis medicamentis imbutis; Alteram novam noſtris temporibus natam, in qua raró deteguntur, & procurantur vulnera, ſed diutiùs tegumento foventur, & turundæ, atque linamenta ablegantur, priorem tot ſeculis experientia confirmatam profitetur ſe non reprehendere, alteram tamen excellere ait, ut quæ facilior ſit minus moleſta, & ſecura magis, per quam multò plures ſanitati

ſanitati reſtituuntur: ideòque excellere, ſubjungit num. 2. quòd cum Natura omnium morborum ſit medica, medicus miniſter, & medicamenta inſtrumenta, ſi enim caro ſit generanda, ſi oſſa fracta firmanda, ſi agglutinandum, ſi excrementa expellenda, hoc Natura præſtat, medicus huc ſpectare debet, ut Natura munera ſua exerceat, & ideò ipſe tamquam ejus miniſter, languentis Naturæ robur augere debet, & quæ ipſam offendunt, aut impediunt, avertere, ac removere, ut in eo repoſita ſit Artis perfectio, ut laboranti Naturæ quàm melius ſuccurratur, & quia id melius adimpletur, ſi decenti tegumento vulneri appoſito calorem partis foveamus, raròque vulnus detegamus, magis enim Natura fovetur, illiusque calor conſervatur, & à quamplurimis, quæ illi officere poſſent, & impedimento eſſe, defenditur, quàm ſi vulgari modò tractentur vulnera, infert præſtantiorem habendum eſſe novum modum, qui raro vulnera detegit, quod verò minus conſulatur Naturæ, ac naturali calori, dum vulnus crebrò ſolvitur ex eo oſtendit, quod dum vulnus crebrò denudatur, & ambienti exponitur, neceſſe eſt calorem naturalem vulneratæ partis non leviter offendi, tum quoniam ob naturalis tegumenti defectum ejus ſubſtantia diſſolvitur, tum etiam quia ob ambientis qualitatem illius ſymmetria pervertitur, cum ſemper ambiens latentibus noſtri corporis partibus, & naturali noſtro calore ſit frigidior, unde fit, ut copioſiora excrementa, impedimento actioni ipſius Naturæ futura, generentur; & pars ob vulnus, & diſſolutionem caloris, ac refrigerationem debilior reddita, obnoxia etiam reddatur magis ad fluxiones humorum excipiendas, & ex dolore pariter, qui prorſus evitari non poteſt, & ſæpè etiam vehemens excitatur ex frequenti vulneris ſolutione, & contrectatione, ac motu partis, ex deterſione, penicillorumque ac linamentorum impoſitione, quæ & non raro materiam ſupprimunt, & compreſſione quandoque, dum ad pus eliciendum partes circumpoſitas premunt, & no-

nova deligatione. Addit quoties vulnus ſolvitur, ac detegitur; toties interturbari, & à proprio munere diſtrahi Naturam, & quamvis accedat utilitas ex nova recentium medicamentorum impoſitione, attamen majus eſſe detrimentum, quod ex crebra ſolutione ſequitur, quàm commodum ex nova medicamentorum impoſitione, quorum virtute nec deſtitui vulnera, ſubjungit, quæ novo modo curantur, licet raro apponantur. Rationi experientiam ſubnectit, teſtaturque, cum in magno Mediolanenſi Valetudinario, in quo per annos quadraginta medendis ægris operam dediſſet, ſpatio unius anni in portione illa, cujus curam ſuſceperat, plerique capite vulnerati antiquo more curati interiiſſent, abſenteque chirurgo, cui illorum cura demandari ſolebat, operario ſubſtituto injunxiſſet, ut deinceps nova hac medendi forma utetur, ex quatuordecim vulneratis in capite unum ſolum interiiſſe, & inter hos, tres extitiſſe, qui fuerant vulnerati cum oſſis calvariæ, & membranarum inciſione, & unum ex caſu ab alto cum oſſis introceſſione, & duo cum rima in oſſe: & cum Chirurgus rediiſſet, & antiquum modum reſumpſiſſet, & infeliciter ſuccederent curationes, ratione & exemplis tandem convictum, manus dediſſe, &, ut is curandi modus introduceretur, acquieviſſe felici cum ſucceſſu: & ex vulnerum capitis curatione, quæ magis negotii, quàm reliqua curantibus afferunt, vulnerum in aliis corporis partibus exiſtentium curandi modum collectum eſſe, & paulatim introduci. Multo faciliùs, ac citiùs hoc novo modo curari vulnera affirmat, quod ne vigeſima pars excrementorum generetur, neque ſemper in ea neceſſarium ſit os abſcedere, & ſi abſceſſus expectandus ſit, longè citiùs abſcedat novo hoc modo quam communi, & ſæpius etiam in minori quantitate, ex quibus infert etiam tutius ſanari vulnera, quia ex Natura ſit, quæ ſanat vulnera, ubi citius introducitur ſanitas, ſignum eſt adverſus impedimenta magis prævalere, at quo magis prævalet, inquit, eo etiam tutius ſit curatio.

Ex-

Excrementa illa tenue, & craſſum, quæ ex Gal. in vulnere generantur, & carnis generationem impediunt non cogere ad crebram ſolutionem, & medicamentorum ſiccantium, & abſtergentium impoſitionem, affirmat, quod ob robur ex tegumento naturali calori comparatum, ne minima excrementorum pars generetur, ac tenuior pars per inſenſibilem halitum digeratur, craſſior verò per idoneum paratum effluxum à Natura extra pellatur, aut per intervalla detergatur, & quoniam tota curatio Naturæ committitur, non autem ſolis medicamentis, & præſertim excrementorum cura, ſufficere, ait, ad curationem, ſi in ea ſovenda inſiſtamus, & vulnus ſolvamus quàm raro, ut neque opus ſit vulnus ſolvere, ut innoteſcat quantum ſiccaverit medicamentum, & quanta ſit partis humiditas, ut proportione reſpondentia ſiccantia medicamenta applicare valeamus.

Poſſe vulneris ſtatum cognoſci abſque crebra vulneris inſpectione affirmat cum Magato oculis mentis ex ſupervenientibus ſymptomatis, & elevato interdum à parte inferiori aliquantulùm vulneris tegumento, neque ut conſpurcata pure lintea detrahantur, & nova, ac munda ſubſtituantur, crebrò detegenda vulnera contendit, quod non ita conſpurcentur hoc novo modo curatis vulneribus, cum longè minor excrementorum copia generetur, & poſſint etiam immutari citra vulneris detectionem; neque ut pravis halitibus detur exitus, aut ne ſupprimantur, quod minimè arcta facta deligatione, ut puri, ita etiam ſubtiliori exhalationi pateat exitus, fatetur aliquando ob pruritum, & eroſionem partis aliquando nos cogi ad vulneris ſolutionem, licet rarò id accidat, atqui hanc non eſſe vulneris curationem, ſed ſymptomatum, monet.

Quamvis ergo in curandis vulneribus multæ ſint indicationes curativæ, veluti glutinandi, ſuppurandi, carnem generandi cicatricem inducendi, in duos tamen ſcopos per huncmodum curandi reduci concludit, conſerva-

tionem ſcilicet, & robur naturalis caloris, cujus proprium eſt ea, & ſimilia munia perficere, atque in remotionem eorum, quæ impedire, & irritum facere illius opus poſſunt, quamvis, & hac actione, calori naturali, & ejus actioni ſuccuratur, ut cum Magato affirmet, Medicum incurandis vulneribus minorem partem habere, quam in quovis alio morbo, Impedimentis removendis ſtuduiſſe Galen. animadvertit, potiorem verò ſcopum, qui robur, & conſervationem caloris naturalis, qui præcipuum eſt Naturæ inſtrumentum, reſpicit, prætermiſiſſe, & ita cauſam generationis excrementorum neglexiſſe, & proinde eò adductnm eſſe, ut crederet, curationem nullam vulnerum tranſigi poſſe ſine uſu ſiccantium, & detergentium, immò debere hujusmodi medicamenta undique vulneris partes tangere, quod ideò faciendum erat, quia non conſulebatur naturalis caloris robori, & ob ejus imbecillitatem multa generantur excrementa, à quibus imbecillis calor ſeſe expedire non poteſt, ideoque medicamentis committenda eſt eorum abſumptio. At ſi tegumento appoſito ſpirituum diſſolutio impediatur, & externa refrigeratio, foveaturque naturalis calor, quæ erant partes naturalis tegumenti, pauciſſima, inquit, ſuccreſcunt excrementa, & benè diſpoſita, quæ aut per inſenſibilem halitum, vel ſenſibiliter per paratum effluxum non ægrè efferentur.

Diſtinguens poſtea vulnera in ſimplicia, & cava num. 12. animadvertit, duo hæc genera vulnerum, licet in aliquibus diverſam habeant curationem, in uno tamen convenire, quod præcipua curandi ratio in utroque & indicatio poſita ſit in fovendo calore naturali tegumento aliquo, non multum diſſimili à tegumento naturali cutis. Oblato itaque vulnerato ſano alioqui, & boni habitus, in quo neque inciſum ſit vas aliquod magnum, neque nervus læſus, ſed in carne ſimplici facta ſit continui ſolutio, niſi tantum ſanguinis fluxerit, quantum expedire videbitur, ut & vulnus ſiccius reddatur, fluxioniſque tollatur

oc-

occaſio, permittendum monet, ut fluat, mox ſupprimendum, dein emundato diligenter vulnere, adducenda labia ad mutuum contactum, vel ſutura, vel glutine hinc inde colligatis labiis, inde convenienti tegumento veſtiendam partem, & quamvis ſatis ſit fovere naturalem calorem, & roborare, aut corpulentia medicamenti, aut qualitate, magis tamen probat, ut actionem Naturæ agglutinandi adjuvet exſiccanti facultate cum aliqua adſtrictione, quò defluens ſanguis pro vulneratæ partis nutritione ab omni ſuperflua humiditate expurgetur, & ad quandam viſciditatem deducatur, ut facilè fiat gluten, & labia facilius connecti poſſint, quale medicamentum eſt reſina terebinthina, vel abietina, quibus ſi fluidiores ſint addit aliquam ceræ portionem, probat etiam tacahamacam; cum oleo aliquo ejuſdem facultatis emollitam, ut oleo de momordica, hypericino completo, item balſamum pervanum, ſi molle fuerit, cum cera ad juſtam conſiſtentiam reductum, ſi gummoſum, emollitum cum aliquo ex dictis oleis, ceratum barbarum, palmeum, de betonica, cum tacahamacha, vel aliud ejuſdem facultatis, cujus aliquid extendi jubet ſuper lineum linteum benè contextum, longitudinis, & latitudinis, vulneris magnitudini reſpondentis, ita ut vulnus tegat, & aliquid etiam de adjacentibus partibus apprehendat; deinde illi ſuperponantur tot lintea duplicata, vel triplicata, quod ſatis ſint ad fovendum calorem naturalem partis, & ad arcendas ambientis injurias, adhibeaturque retentiva deligatio.

Tranſiens poſtea ad vulnus cavum, quod carnis generationem expoſcit num. 4. duplicem proponit ejus curandi viam ab Hipp. lib. de Ulceribus depromptam, unam per ſiccantia medicamenta, ut quàm pauciſſimum pus generetur, alteram per ſuppurantia, à quibus ad abſtergentia tranſeunt, poſtea ad carnem generantia, & poſtremo ad epulotica, ſeu cicatrizantia; & quoniam ab Hipp. & Gal. fluxerunt, & tot experimentis ſunt confir-

matæ, nullo modo eas reprobat, ſed tamquam bonas recipiendas eſſe profitetur num. 41. Cum tamen per novum medendi modum, qui raró ſolvendo incedit, longe facilius, citius, & cum minori moleſtia, & paucioribus etiam expenſis ſubſequatur ſanitas, & pauciſſimis viſitationibus indigeat vulneratus, eundem reliquis præferendum cenſet.

Oblato igitur vulnere cavo; & ſuppreſſo ſanguine abſque ovi albumine, ſi fieri poſſit, cum Magato primò videndum monet, num. 45. an vulnus convenientem effluxum habeat ad expurganda excrementa, quæ in dies generantur, & niſi adſit, parandum aut ejusdem, aut contrarii loci diviſione, aut turundæ dilatantis per duos, aut tres dies impoſitione. Si autem vulnus ſit amplum, conſiderandum, an cavitas reddi poſſit minor citra impedimentum effluvii, ut melius conſervetur naturalis calor, juxta ſe invicem poſitis ope fibulæ, & glutinis labiis, & citius carne repleatur, deinde parandum tegumentum, primo tamen labia vulneris illinit aliquo medicamento mediocris conſiſtentiæ, quod naturalem calorem foveat, & expers ſit mordicationis, & ita illinit, ut ad fundum usque pervenire medicamentum poſſit, amatque ut ejus vires non facilè evaneſcant, ſed aliquando tempore perdurent: & ſi vulnus ſit magnum etiam filamenta eodem medicamento imbuta apponit labiis, inde ſuperponit linteum quod idem medicamentum habeat, poſtea circumjacentes partes roſaceo inungit, hyeme calido, frigido æſtate, aut linteum admovet eodem oleo imbutum, poſtremo tegumentum parat ad conſervandum naturalem calorem ex puluillis, aut duplicatis, triplicatisve linteis, & faſcia ad retentionem deligat, & partem in conveniente ſitu conſtituit, ut citra dolorem, quantum fieri poteſt, jaceat, commodumque effluxum ad genitam materiam excernendam habeat: & in diebus proximè ſubſequentibus repellentia cum corroboratione adhibet circumjacentibus partibus, & ſæpius etiam commutat, laudat

dat ergo terebinthinam, & abietinam lacrymam inter adhibenda medicamenta, nu. 46. quibus, ut facilius medicamentum ad fundum vulneris perveniat, & melius etiam naturalem calorem foveat, & robur ejus adaugeat, addit Hypericinum oleum, & aquam ardentem, præſertim ſi vulnus ſit profundius, immò quando vulnus eſt magnum, aliquod addit ex iis, quæ à totius ſubſtantiæ proprietate naturalem calorem adjuvant ad propria munia obeunda, cujusmodi eſt oleum Hyſpanæ appellatum, oleum de Hyperico Magati, Balſama artificialia, aqua Balſami, Balſamum pervanum. Olea illa tenuiſſima ſola minus probat, quòd ob tenuitatem partium facilè evaneſcant, & in auras abeant, ſed aliquo craſſioris, tenacioriſque ſubſtantiæ, cujusmodi eſt terebinthina, & abiegna lachryma ea quodammodo alligat. At ſi vulnus fuerit cum inſigni carnis contuſione nu. 49. eligit ſuppurans medicamentum, cujusmodi eſt digeſtivum lotum, Tetrapharmacum, unguentum Baſilicum, & hujusmodi, immo laudat, ut melius foveatur naturalis calor, nu. 50. ut circumſitis partibus apponatur aliquod emplaſtrum, ſeu cataplasma, quod vim habeat fovendi, ac roborandi naturalem calorem cujusmodi eſt, quod paratur ex farina hordeacea, fabacea, pulvere florum camæmeli, roſarum rubearum, Dictamni cretenſis, anethi, oleo roſaceo, hypericino, terebinthina, vinoque rubro ſubadſtringente, & ſimilibus. Quandoque una deligatione, & medicatione ſatisfieri, ait, indicationi replendi carne vulneris, aliquando verò iterum, & tertiò ſolvendum eſſe quatuor, aut quinque diebus interpoſitis ad abſtergenda excrementa, ſi craſſiora fuerint, aut ſi qua fuerit carnis contuſio ſaniem copioſam producens, ſive pruritus ſubſit nimium moleſtus, aut aliqua alia ex enarrandis cauſa, animadvertitque maxima utendum eſſe diligentia, dum vulnus detegitur, ne calor naturalis jacturam patiatur, aut diſſolutione, aut refrigera-

tione ab ambiente inducta; & ſi vulnus nondum carne repletum ſit, eodem modo procurandum, ut primo apparatu factum eſt, ſi repletum ſit carne, vel non longè ab hoc ſtatu, epuloticum adhibendum.

Si anguſtum fuerit orificium, neque deorſum commodum habeat effluxum, aut impurum fuerit corpus, aut os aliquod læſum ſit, aut nobilis pars detecta, num. 56. deſperat, naturalem calorem ad priſtinum ſtatum poſſe reduci per tegumentum, & ex multa puris generatione, ſi non expurgetur, mala non parvi momenti expectat, & ideo curationem per turundas ſequitur, fiſtulatas tamen, ut materiæ exitus pateat, & de tertio in tertium diem vulnus procurat, quaſi media via incedens.

Numero autem 58. & ſequentibus caſus proponit; in quibus ſolutio, & detectio vulnerum eſt admittenda. Detegendum enim ait, Si manualis aliqua operatio requiratur, ut ſi manu aliquid addendum ſit, aut detrahendum, ut quando os excidendum, aut peregrinum corpus evellendum, aut medicamentum aliquod admovendum; aut ſi quid ſupervenerit, quod integram ſanitatem impedire poſſit, ut quando caro ſpongioſa ſupercrevit; aut ſi carne humidiori repletum ſit vulnus, cum apponendum ſit medicamentum, quod ſiccando, & adſtringendo carnem, cicatricem inducat, aut ob Cacochymiam corruptio in parte, inflammatio, Gangræna, aut Sphacelus ſupervenerint, ut congruis remediis his malis occurratur: atque ſi ingens putredo, abundantia ſordidorum excrementorum, & vermes ſuccreverint, cum etiam ſuſpicamur, minus commodum paratum eſſe effluxum, ſolutionem probat, eandemque neceſſariam exiſtimat, ubi retentum corpuſculum aliquod peregrinum, quod primis diebus extrahi non potuit, ſine manuali operatione, aut medicamentorum ope extrahi non poteſt, aut aliqua oſſis portio à Natura ſeparata, non tamen expulſa carnem pungit, aut effluxum obſtruit, ſolvit etiam vulnus

vulnus ob ſuperveniencem abſceſſum, ac dolorem vehementem, nec non ob ingentem eroſionem, & pruritum, concludens ſolutionem fieri non ut curetur vulnus, ſed ob ſupervenientia ſymptomata, cum abſunt ſymptomata, nullam nos neceſſitatem cogere, ſubjungit, ut ſolvamus vulnus, donec carne repletum ſit licet admittat, ut, carne ex parte genita, & periculo inflammationis ſuperato, in ægrotantis, aut aſſiſtentium gratiam ſemel, aut iterum vulnus ſolvatur, ac procuretur, idque potiſſimum concedit ob inſignem fœtorem, ac ingentem pruritum, aut quidpiam aliud, quod carnis generationem prohibeat, modò vulnus diligenter ab injuriis ambientis protegatur.

Statum vulneris ſub tegumentis oculis mentis cognoſci affirmat num. 75 non ſecus, ac morborum internorum, eadem referens, quæ Magatus, & ſi quis animo anxius hæreat, unam, vel alteram ſolutionem probat, rem autem proſperè ſuccedere ex eo intelligit, quod à vulnere bonum pus emanat, & pro ratione vulneris, nullus, vel parvus adeſt dolor, tenſio, & nulla, vel pauca gravitas: & ſi proximæ partes boni caloris ſint, & molles, & ſi febris, aut non adſit, aut diminuatur.

Daniel Sennert. 5. ſuæ pract. part. 4. cap. 9. Examinans novam rationem curandi vulnera, quæ fit per raram ſolutionem Cæſaris Magati, & Ludovici Septalii, in primis ita eam proponit: ſi offeratur vulnus in corpore ſano, alioquin, & boni habitus, in quo nec ſit vas magnum, nec nervus læſus, ſed in carne ſimplici & ſanguis quantum ſatis eſt, fluxerit, jubent vulneris labia conjungere, & ad mutuum contactum adducere, deinde vulneri aliquid imponunt quod, & tegumenti loco ſit, & calorem nativum foveat, & ſimul vim ſiccandi cum aliqua adſtrictione habeat, quo affluens ſanguis pro vulneratæ partis nutritione ab omni ſuperflua humiditate expurgetur, & ad quandam viſciditatem deducatur, ex hujuſmodi medicamento aliquid linteo, quod vulneris magni-

magnitudini reſpondeat, & aliquid de adjacentibus partibus comprehendat, inducunt, ac vulneri imponunt; ſuper hoc vero tot lintea duplicata, vel triplicata, quot ſatis ſint ad ſervandum naturalem calorem partis, & ad arcendas ambientis injurias, applicant, ſolutionem ad quartam, quintam immo ſeptimam diem differunt, & ſic ſæpè unam deligationem ad vulnus aliquod ſanandum ſufficere, interdum bis, vel ter deligatione facta ſanari poſſe vulnus, ſcribunt. Ut tamen conſpurcata lintea quandoque detrahantur, mundaque illorum loco imponantur, permittunt, modo id fiat citra vulneris detectionem, ſimul & caſus quosdam excipiunt, in quibus hæc curandi ratio ſimplex locum non habeat, ſed antiquo modo utendum ſit.

Hanc curandi rationem primo generatim reprehendit, deinde particulatim rationes, quibus innititur, impugnat. In primis igitur nodum ſibi in ſcirpo quærere & cauſis minimè ſufficientibus motos antiquum curandi vulnera modum reprehendere, & novum commendare, ſibi videri affirmat, quod negari non poſſit hoc modo per tot retro ſæcula multa, & graviſſima vulnera feliciter curata fuiſſe, & novum modum, negari non poſſit, ſolum habere locum in vulnere ſimplici vulnerato ſani, bonique habitus exiſtente, in quo neque magnum vas ſit inciſum, neque nervus læſus, quod, & ipſe admittit, cum talia vulnera nihil periculi adjunctum habeant, & à ſola Natura etiam ſine medicamentorum ope ſanari poſſint; improbat tamen intempeſtivam diligentiam ſeu curioſitatem eorum, qui ſine cauſa urgente vulnus ſæpius, & quotidie non ſemel ſolùm, ſed bis, & ter ſolvunt, multa dari vulnera etiam ex eorum virorum conceſſione profitetur, in quibus curandis talia Naturæ impedimenta offeruntur, ut ſi ea à Medicis non tollantur, Natura ad vulnus uniendum par non ſit, & proinde ſimplex ille apparatus non ſufficiat, & omnino ſi quid in vulnere agendum occurrat, quod ſine manuali operatione perfici non poſſit,

&

& periculum adſit, cui ſtatim ſuccurrendum ſit, ſolutionem vulneris eosdem concedere aſſerit, & Septalium hos caſus ponere, ſi corpus ſit cacochymum, vel vas magnum aliquod ſectum, aut nervus læſus, ſi caro ſit contuſa, quæ ſuppuratione opus habeat, ſi vulnus ſit anguſti orificii, neque pus exitum habeat, ſi os aliquod ſit læſum, aut nobilis pars ſit detecta, & proinde manuali operatione opus ſit, ſi multum puris, & excrementorum in vulnere generetur, à quibus dolor, partis corruptio, inflammatio, vermium generatio provenire poſſit, ſi caro luxuriet, ſi dolor vehemens adſit, ſi inflammatio, vel Gangræna metuatur, ſi oſſiculum, vel aliud corpus, quod eximendum eſt, in vulnere hæreat, aut, ut caſus hos recenſet Magatus lib. 1. cap 38. ſi caro nimis excreſcat, ſi hæmorrhogia urgeat, ſi Gangræna, & corruptio partis immineat, ſi ingens putredo, & ſordities adſit, excrementa multa cumulentur, inflammatio partis immineat, peregrinum corpus in vulnere hæreat, abſceſſus superveniat, dolor adſit, pruritus, fœtor, oſſa fracta ſint, in omnibus iſtis caſibus ſimplicem illam deligationem non ſufficere, ſed antiquorum operoſiorem apparatum neceſſarium eſſe, ultro ipſos concedere, ex quibus infert, exceptiones regulam ſuperare, & ei derogare, & rariſſimè novum illum curandi vulnera modum ſufficere, & plerumque graviſſima mala, ſi vulneris ſolutio ad quartum, quintum, vel ſeptimum diem protrahatur, ſupervenire poſſe contendit. Quapropter licet concedat, vulnera citra neceſſitatem non ſæpiùs detegenda, & aeri ambienti temerè exponenda non eſſe, tamen cautionem quoque adhibendam monet, ne ſi tardius, & rarius detegantur, mundentur, & neceſſaria medicamenta imponantur, damni, & periculi aliquid ægro attrahatur, concluditque affirmari, at non probari, novam iſtam curandi vulnera rationem antiqua eſſe faciliorem, breviorem, minus moleſtam, ac tutiorem, & quamvis admitte-

mitteretur faciliorem, breviorem ac minus moleſtam eſſe, negat tamen eam eſſe tutiorem, pro certò habens, neminem fore, qui eam tutò in vulneribus illis profundis, & anguſtis, quæ pungendo, & acuto telo, non craſſo inferuntur, adhibere, & vulnus tale tegumento aliquo ſaltem impoſito Naturæ committere, & ante ſeptimum diem non ſolvere, auſit, cum accidere poſſit, ut Natura in ſuperficie vulnus conglutinet, antequam in profundo ſit conglutinatum, & ita in profundo pus colligatur, quod maxima pericula inferat, & proinde tale vulnus iterum aperiendum ſit, ut experientia ſæpiùs docuit.

Suum curandi modum experientia firmavit Magatus & pluribus rationibus, quas refert Sennert. cap. 9. ejusd. tract. p. 512. at experientiam rejicit p. 520. Rationes verò nullius eſſe momenti oſtendere nititur eod. cap. p 521. & ſeq. Animadvertit etiam Magatus nonnullos defectus communis modi cap. 40. 1. lib. & eos refert Sennertus eod. cap. p. 514. malèque objici communi modo oſtendit pag. 524. & ſequen. Attulerat quoque Magatus à principio nonnulla argumenta quibus crebram ſolutionem, & procurationem neceſſariam eſſe ad curanda vulnera, oſtendi videbatur, & ea diſſolvit cap. 44. & ea pariter adducit Sennertus cum Magati reſponſionibus p. 515. & reſponſiones redarguit p. 526. & ſeq.

Fundamenta igitur eorum aggrediens, eaque expendens, primò experientiam parvi facit, quod pariter experientia conſtet infinitos graviſſimè vulneratos communi modo curatos fuiſſe, ſe tamen non impedire, ſubjungit, quin quilibet experientiam conſulat, & inquirat, an melius inveniri poſſit, modò id ſine ægri damno, & periculo fiat. Vulnera capitis, quæ refert Septalius curaſſe in valetudinario Mediolanenſi, & plures convaluiſſe, quàm ſub antiquo modo, ipſum non movent, quod in ſpecie non explicet, qualia illa fuerint, cum ex capitis vulneribus alia poſſint eſſe lethalia, alia curabilia. Magatum verò, & ſi vulnerum capitis, quorum exempla affert,

ſert, qualitates deſcribat, tamen id non probare, ægros ob novum iſtum modum curandi ſanatos fuiſſe, & non convalituros fuiſſe, ſi antiquus modus adhibitus fuiſſet: & adducit ipſum Magatum ſæpius inculcantem, Naturam eſſe, quæ vulnera curat, & fortem Naturam Chirurgi errores in curandis vulneribus tolerare, & vincere, quaſi in dictis vulneribus Natura robuſta errores curantis ſuperaverit; & enarrat inſuper caſum cujusdam ſtudioſi, per thoracem transfoſſi pulmone vulnerato, intra menſis ſpatium curati, cujus vulneris curam cum internum fuerit, Naturæ potiſſimum defert, & neque antiquo, neque novo curandi modo ſanatum fuiſſe, & vulnus œſophagi 24. die cicatrice obductum ex Glandorpio in ſpeculo Chirurgico obſerv. trigeſima, poſſe denique ait, Chirurgos, qui antiquo modo utuntur, ſimilia exempla producere. Concedit, crebras illas terebrationes, quæ interdum exercitii potius, quam neceſſitatis cauſa inſtitui videntur, non ſemper tutas eſſe, & ſæpè ægro plus damni quàm commodi afferre; quod verò capitis vulnera ante quintum, vel ſeptimum diem detegenda non ſint, non facilè admittit, cum talia vulnera varias partes tranſeant, & varia excrementa cumulent, & plerumque ſanguis intra cranium, & membranas colligatur, qui propterea maturè evacuandus eſt, & ea de cauſa terebratio, & perforatio cranei interdum neceſſaria ſit, ne detentus putreſcat, & gravia ſymptomata, immò mortem ægro afferat: quod etiam facilè fieri poſſe certum habet, ſi tàm raro vulnera ſolverentur, ac detegerentur.

Rationes Magati, & Septalii, negat, tanti momenti eſſe, ut per eas vulgatus curandi modus ſit rejiciendus. Hoc eos urgere, aſſerit, & in eo ferè fundamentum iſtius ſententiæ poſitum eſſe, calorem partis vulneratæ conſervandum eſſe, & arguendum Gal. quod maximi momenti indicationem omiſerit, & aliis parvi momenti rebus, & excrementorum expurgationi intentus fuerit, eorum autem generationem inhibere non curaverit, cùm ſi calor

nativus ſervetur, pauca etiam excrementa, quæ vulneris glutinationi obeſſe non poſſunt, generentur, fatetur Naturam eſſe vulnerum Medicatricem, eamque ſolam caloris innati beneficio, non vero medicamentum glutinationem vulneris perficere, & propterea calorem, ac temperiem partis naturalem ſtudiosè ſervandam eſſe, ac fovendam, quod, & ſi Galen. ubi ex profeſſo de vulnerum curatione agit, præteriiſſe non negat, tamen in aliis locis paſſim inculcare, contendit, nullam fieri poſſe vulneris ſanationem, niſi pars ſuam naturalem temperiem obtineat, & ea ipſa medicamenta, quæ dicuntur ſarcotica, ad partis calorem conſervandum comparata eſſe. Animadvertit, hic duo quæri: primum, an novo iſto medendi modo rectius calor nativus conſervetur, quàm antiquo, pluraque neceſſario in antiquo modo, in novo pauciora excrementa generentur, alterum, an ſolius caloris nativi conſervatio ad ſanandum vulnus ſufficiat, & utrumque negat. Raram vulnerum detectionem calori innato ſæpè plus officere, quàm prodeſſe, contra vero frequentiorem, & quoties opus eſt, vulneris detectionem calori innato non officere affirmat, ideoque non ob vulneris detectionem, ſed ob caloris imbecillitatem, aut conſtitutionem partis aut corporis excrementa generari. Cum enim in vulnere ſanguis effundatur. hinc calorem, & ſpiritum diſſipari, partemque debiliorem reddi non dubitat, indeque in coctione, quæ fit in parte, plura excrementa generari, quod vero nunc plura nunc pauca excrementa generentur in vulnere, non fieri ideo quia vulnus rarius, vel frequentius detegatur, ſed quia totum corpus, & pars vulnerata ad excrementa plura, vel pauciora generanda diſpoſita ſunt.

Quod ad alterum, calorem innatum ad vulnus ſanandum non ſemper ſufficere ex eo probat, quod tot impedimenta ſæpè objiciantur, ut niſi ea à Medico, & quidem ſæpiſſimè ſingulis diebus removeantur, nullo modo Natura finem ſuum aſſequi valeat, nimirum pus, & ex-

cre-

crementa quæ in vulnere colliguntur, evacuanda, iisque etiam interdum, & ubi opus eſt per turundas parandum exitum contendit, & medicamenta, quæ calorem foveant, excrementa exſiccent, eorumque generationem impediant, ac vulneris glutinationem adjuvent, ſæpius imponenda, cum ſemel impoſita à pure, & ſanie abluantur, ac debilitentur, & à calore partis eorumvis diſſipetur. Addit, quod etiam paulò ante dixerat, licet Gal. ubi de medicamentis ad vulnera ſananda neceſſariis agit, in ſpecie medicamentorum calorem naturalem foventium non meminerit, (quod fieri debuiſſe non negat) tamen paſſim alibi monere, calorem, ac temperiem partis vulneratæ eſſe conſervandam, & niſi temperies partis rectè ſe habeat, vulneris ſanationem felicem fieri non poſſe: & medicamenta illa ipſa, quæ paſſim proponit ad excrementorum vulneris exſiccationem. calorem fovere, ſibique videri, medicamenta illa digeſtiva, & ſarcotica, & glutinantia potius ad caloris nativi conſervationem, quàm ad aliud quid præſtandum comparata eſſe.

Et quoniam dicebat Magatus in novo modo affluxum humorum non concitari, quòd, & partis calor conſervetur, & dolor, fluxionis cauſa, frequenti contrectatione non concitetur, hoc rejicit, aſſerens in rara iſta detrectione non melius conſervari calorem, quam in antiquo modo; dolorem verò neque in antiquo modo excitari, ſi à perito Chirurgo dextrè tractetur pars, & ſi fortè in vulneribus ſinuoſis ad pus eliciendum comprimenda pars ſit, leviſſima fiat compreſſio, quam neceſſariam eſſe, ait, in dictis vulneribus, ut, & puluillos, qui ad ſinus fundum pertingant, & ſi quis dolor prorſus evitari non poſſit, longè majus eſſe commodum, quod ex momentaneo illo dolore oritur, quàm incommodum.

Nullius momenti putat, quod in novo modo pars vulnerata rarius aeri exponatur, pro comperto habens, commodum ex vulneris emundatione proveniens, ac neceſſariorum medicamentorum impoſitione, longè majus eſſe

eſſe, quam damnum, quod aer ambiens admiſſus affert, & hoc etiam incommodum in vulgato modo præcaveri poſſe, ſi vulnus in calidiore, vel temperato aere detegatur, idque non ſæpius fiat, quàm neceſſitas poſtulet, atque ante vulneris detectionem omnia, quæ ad novam deligationem neceſſaria ſunt, prius apparentur, & omnia quam celerrimè agantur.

Negat præferendam eſſe novam Methodum antiquæ, quod in vulnere capitis os, quod abſceſſurum dutabatur, ſervatum fuit, quod nondum probatum ſit, quod idem non futurum fuiſſet, ſi antiquus modus adhibitus fuiſſet, cum obſervetur quotidie, etiam eo adhibito oſſa, quæ abſceſſura videbantur iterum agglutinari.

Pauciora excrementa ſub novo modo colligi quàm ſub antiquo affirmare, ait, Magatum, ſed id non probare, ac ſemper præſupponere calorem innatum rectius conſervari, ſi rarius detegatur vulnus, quàm ſi frequentius, concedit excrementa plura provenire vitioſa partis coctione, ſed negat, quod ea ſolum fiant à debilitate caloris ab aere contracta; cum hujus plures cauſæ eſſe poſſint, nimirum vitioſorùm humorum in corpore abundantia, & ad partem vulneratam confluxus, vaſa magna plurimum ſanguinem fundentia, læſa partis coctio, & ſimiles aliæ.

Concedit Oſſicula, & peregrina corpora felicius expelli à Natura, ſi calor partis ſit fortior, at probandum, ait, non præſupponendum, quod calor naturalis melius conſervetur, & roboretur in rara detectione, ſicut, & afferre ait, ſed non probare Magatum, quod vis medicamenti primò appoſiti ad perfectam agglutinationem integra durare poſſit.

Et quoniam contra antiquum modum objicitur, quod ambienti aeri pars vulnerata ſæpius objiciatur, unde calor debilitatur, & hinc copioſiora excrementa cumulantur, idcircò reſpondet, id imputari ambienti aeri, at non probari, & copioſa excrementa non ab aere provenire, ſed ob alias cauſas; & exiguum illum appulſum aeris,

aeris, quem tamen monet, quantum fieri poteſt, vitandum, tam magnam alterationem afferre non poſſe.

Objicitur etiam ex frequenti ſolutione, & contrectatione partis dolorem excitari, & fluxionem ad eam evocari, at reſpondet, quod ſuperius de hac re.

Objicitur 3. Quòd fiat caloris, & ſpirituum diſſipatio in vulneris detectione, at reſpondet, fruſtrà id metui, quod ſi quæ ſpirituum, & caloris diſſipatio fiat, ea fiat cum ipſa ſanguinis profuſione, hæc verò ubi ſubſtitit, vaſorum orificia iterùm conniuere, ut de tali ſpirituum diſſipatione metus nullus ſit, & Natura, aliàs de ſpirituum, & caloris conſervatione ſollicita, excrementa expellat, utilia retineat, ut in criticis evacuationibus fieri videmus.

Objicitur 4. Quòd quoties ſolvuntur, & deterguntur vulnera, toties turbetur, & à proprio munere diſtrahatur Natura, at reſpondet, fruſtrà hoc metui, quod Natura brevi illo temporis ſpatio, quo vulnus iterum obligatur, in opere turbari non poſſit, niſi magna alteratio accedat, ſed turbari potius, ſi vulnus ab excrementis non mundetur.

Cauſas, quibus adducti fuerunt antiqui, & noſtri temporis Chirurgi, ut vulnera toties ſolverent, ſolidè non refutare Magatum, & Septalium contendit; cum negent, idcircò ſolvenda eſſe, ut excrementa evacuentur, quod excrementum tenue partim per halitum digeri, partim à calore extra vulnus propelli poſſit, craſſum verò, ſi quod generatur, cum pure confundatur, & à Natura cum eo expellatur, negat ipſe tenue excrementum ſemper per halitum digeri, cum ſæpè vulnus valde humidum reddat, & magna copia affluat, craſſum verò, & ſi puri miſcetur, tamen ſponte totum non evacuari, & ſi evacuatur, tardius id fieri, & propterea retentum acrimoniam acquirere, & dolorem, ac novum affluxum parare, ideoque mature, antequam hoc fiat, evacuandum, & abſtergendum, & propterea vulnus, quoties opus eſt, detergendum. Addit, Neque Natu-

Naturam excrementa hæc expellere, ſed Naturam utile ab inutili ſeparare, at ubi excrementum jam ab utili ſeparatum eſt, & in vulneris cavitate hæret, non amplius in poteſtate eſſe Naturæ, neque id Naturam expellere poſſe, ſed vel ſponte, & pondere effluere, vel à ſuccreſcente carne potrudi: quod ſi non fiat, in vulnere relinqui, neque etiam ſemper partem vulneratam ita poſſe collocari, & ſituari, ut pus deorſum tendens gravitate ſua ſpontè effluat: cum ſi in partibus anterioribus inflicta ſint vulnera, non ſit commodum ægroto pronum jacere, ut pus effluat; neque ſi in poſterioribus, in partem vulneratam decumbere, cum tota corporis moles partem affectam premat; & minus in vulneribus penetrantibus capitis id haberi poſſit.

Non eſſe neceſſarium, ut vulnera ſæpius detegantur abſtergendorum craſſorum excrementorum cauſa, ſed excrementa craſſa, & pus ſine abſtergentium uſu evacuari poſſe, probant Magatus & Septalius ex Gal. 13. Meth. 9. ubi habet, Quin ſi pus aliquod notabile in ſuppurante particula ſit contentum, non expedit protinus incidere, immò exhalationem moliri medicamentis ad id valentibus quorum uſus ex affectu ſit conjectatus, ex quo inferri videtur, ſi diſcutientibus pus poſſit diſcuti, quod abſtergentibus non ſit opus, at ipſe reſpondet non abſolutè concedendo hoc tutò fieri, ad id uſum fuiſſe Gal. medicamentis diſcutientibus valentibus, & fortibus, quæ non adhibentur in vulneribus.

Idem ex eo probabat Magatus, quod in abſceſſibus ruptis ſæpè ſinus notabiles, & copioſum pus emittentes carne repleantur nullo abſtergente in cavitatem immiſſo, ſed ſoli oſculo admoto medicamento, cujus nihil ad fundum pervenire poſſit. At reſpondet, non ſemper id fieri, ſed ſæpè abſtergentibus injectis opus eſſe, aut ſinus compresſione, ut pus effluat, & exprimatur, idque ſæpè faciendum eſſe, atque ea de cauſa vulnus etiam ſæpè detegendum, nec pus in tali ſinu detinendum.

Quod-

Quodque interna vulnera ſanentur, etiamſi ſordes, & excrementa non abſtergantur. At reſpondet, hoc non ſemper fieri, ſed in iis ſaltem partibus, quibus pauca excrementa colliguntur, & patentem, ac pronum habent exitum: aliàs ſi excrementa detinentur, vulnera illa non ſanari, & ſæpè vulneris parietibus pus, & excrementa tenaciter adhærere, ut ſpontè non effluant, ſed manuali etiam operatione ſint detergenda.

3. Probabant, quod non ideò detegendum ſit vulnus ut pro vario vulneris ſtatu nunc digeſtiva, nunc abſterſiva, nunc carnem generantia, nunc eamdem ſuperfluam adimentia adhiberi poſſint, cum totum negotium Naturæ committatur, ideoque ſatis ſit, ſi tegumentum ſaltem quod corpulentia ſua caloris effluxum prohibeat, vulneri imponatur, quod calorem conſervet, & ideò uno medicamento diverſis temporibus vulnus aliquod curari poſſit. At reſpondet, falſa hic principia præſupponi, primum, quod Natura omnia, quæ ad vulneris ſanationem neceſſaria ſunt, ſola præſtare poſſit, cum excrementa ſeparata ſola poſſit expellere, ſed ſæpè ea tenacia ſint, & parti adhæreant; neque etiam illa per ſe ſpontè effluant, aut membrum ita locari poſſit, ut ſpontè effluant, ideoque tum medicamentis opus ſit, quæ ea abſtergant, immò ſæpè manuali opera, quæ eam detergat. Alterum verò, quod Natura in opere ſuo nullis medicamentis, quibus adjuvetur, indigeat, quod falſum eſſe ipſa experientia conſtare ait, quæ docet, digeſtiva in principio utilia eſſe, in progreſſu morbi noxia etiam ex ipſo Magato, qui fatetur lib. 1. cap. 38. ſe obſervaſſe, digeſtivi uſu vulnera ſclopetorum graviſſima ſuppurata, expurgata, & carne repleta fuiſſe, ſed poſtea ob nimiam humiditatem ſupercreviſſe carnem, quæ erodentibus indiguerit. tertium, quod hinc conſequitur, falſum eſſe affirmat, Quod ſcilicet unum medicamentum toto morbi tempore ſufficiat, modò corpulentia ſua tegumenti loco eſſe poſſit;

poſſit; quia ſi hoc ita ſe haberet, loco emplaſtri corium aliquod imponere liceret, aut quodcunque emplaſtrum pro quocunque uſurpare, modò non deleterium, acre, & mordax eſſet, quod tamen neminem prudentem facturum ſibi perſuadet, & hic notat contradictionem in Magato, qui c. 36. rectè ſcribit, quodlibet tegumentum utcumque paratum aptum eſſe ad tuendum, & roborandum calorem naturalem, ſicut cujusque partis temperiei convenit, & quod in una parte decens tegumentum eſt, in alia parte inconveniens, immo noxium eſſe poſſit.

4. Contendebat Magatus non eſſe detegenda vulnera, ut effectus medicamenti cognoſcatur, & an vulnus humidum ſit nec ne, ut convenientia ſiccantia apponi posſint, cum totum negotium Naturæ committatur. At reſpondet Sennertus malè hoc ſtatui, cum Natura ſemper id, quod optimum eſt, intendat, ſemper tamen, quod intendit, obtinere nequeat, vel quia debilis eſt, vel quia objecti, in quod agit, copia obruitur, ideoque & temperies vulneratæ partis fovenda eſt medicamentis, & quidem aliis alio tempore, & excrementa, quibus Natura obruitur, exſiccanda, & vacuanda, & propterea Naturæ rem omnem committere, & otioſum ſpectatorem eſſe, temerarium eſſe, cum facilè fieri poſſit, ut humiditate in vulnere abundante, id in ulcus degeneret.

5. Quod non ſint detegenda vulnera frequenter, ut vulneris ſtatus cognoſcatur, & ſuperventura ſymptomata præcaveantur, contendebat Magatus, quod ex aliis ſignis, pruritu, dolore, fœtore, & omnino rectius artificioſa conjectura, & oculis mentis quàm corporis cognoſci posſit, cum illi acutius quàm hi videant. At reſpondet, conjecturas ſæpe incertas eſſe, immo quædam vulneribus accidere poſſe quæ non niſi oculari inſpectione innoteſcant, ut fungi cerebri, vermes in vulneribus, caro ſupercreſcens, Et licet quædam tandem ſignis ſe prodant, tamen haud tutum eſſe, ut Medicus otioſus ſpectator ſit, donec talia ſigna, dolores, febres, fœtor, & ſimilia accedant:
cum

cum his ſupervenientibus æger plerumque in magno periculo ſit conſtitutus, quod oculari inſpectione prænoſcere, & avertere par erat, ac tutius, & ſæpe unius diei, immo paucarum horarum ſpatio, grave aliquod malum ſupervenire poſſit; ut refert Paræus, ſibi viſa vulnera, in quibus niſi quotidie ſolverentur, & medicamenta nova imponerentur, vermes oriebantur.

6. Contendebat non eſſe detegenda vulnera ſæpius, ut faſciæ, puluilli, & linteamina conſpurcata detrahantur, & munda imponantur, quod id non multum referat aut ſi omnino ea immutare libeat, id fieri posſit citra vulneris detectionem. At ipſe objicit, cogitare debuiſſe, ſi faſciæ immundæ ſunt, multo magis vulnus, & propria vulneris tegumenta immunda futura, cum ſanies ea maximè, quæ vulnus contingunt, proximè inquinet.

Tandem non eſſe detegenda frequenter, & immutanda lintea contendebat, ut halitus pravi in vulnere ex pure, & excrementis geniti, exhalare posſint, qui detenti, & concluſi partem vulneratam afficiunt, eamque immutant, quod tot & talibus linteis vulnus obligandum non ſit, ut vapores illi ſupprimantur, & ſi pus exitum habeat, multò magis vaporoſa illa excrementa difflanda: & ſi omnino retineantur, non tantum allatura damni, quantum ex vulneris detectione, & ambientis alteratione provenire poteſt. At objicit quocunque modo etiam vulnus obligetur, facilè vapores illos detineri, immo ipſis linteaminibus & faſciis ſeſe inſinuare poſſe, & hinc fœtore ſuo partem vulneratam offendere: & id etiam in quæſtione eſſe, an pus omne evacuari poſſit, niſi vulnus ſæpius detegatur. Alterationemque quæ fit ab aere externo tam noxiam eſſe non poſſe, cum nullius pravæ qualitatis ſit particeps, quàm ea, quæ à vaporibus putridis, & fœtidis à pure, & ſanie ortis provenit.

Malè propoſitam fuiſſe à Sennerto Septalii, & Magati curandi vulnerum rationem.

CONSIDERATIO I.

QUod Empiricorum ſecta de tota Medicina contendebat apud Celſum in præfatione ſuæ Medicinæ, reperta ſcilicet prius fuiſſe remedia experientia duce, deinde homines de rationibus eorum diſſerere cœpiſſe, nec poſt rationem Medicinam eſſe inventam, ſed poſt inventam Medicinam rationem eſſe quæſitam, nos de ratione curandi vulnera quam ſcriptis mandavit Magatus, affirmare poſſumus, prius videlicet inventam fuiſſe, poſtea rationem eſſe quæſitam. Iam enim in multis annis Romæ obſervabatur, & nihil de ea traditum habebatur: primus omnium Magatus rationes quæſivit, quas evulgaret, & propterea nihil erat, cur à Sennerto in dubio reùocaretur, an eo modo curari poſſent vulnera; de eo namque, quod eſt, dubitari, an ſit, non poteſt, & ſi dubitandum erat, potius videbatur vocandum in dubium, an veras rationes excogitaverit, & ſatis firmis fundamentis eum curandi modum munierit, an aliquid prætermiſerit. Quia tamen de ipſo modo dubitavit, immo perſuaſum habuit, & perſuadere conatus eſt, minus rectum eſſe, & rationi parum conſentientem, multaque Septalio, & Magato objecit, neque nobis vitio dandum erit, ſi quod eſt, an eſſe poſſit, diſſeruerimus. Verum tamen, ut omnis evitetur confuſio, & rectum judicium de hac medendi ratione ferre poſſimus, neceſſe eſt, ut verus ſenſus Magati, & Septalii clarè pateat, Hoc etenim totius hujus machinæ fundamentum eſſe debet, & quoniam Sennerti objectis tegitur, hinc exordiendum, & quanti roboris ſint, quæ ipſe adverſus utrunque excogitavit, expendendum.

In

In primo ipſo Quæſtionis limine maximus irrepſit error, qui nulla ratione tegi poteſt, longè enim aliter Sennertus eam curandi rationem proponit, ac viri illi tradiderint: ita enim eam deſcribit quinto ſuæ pract. cap. 9. Si offeratur vulnus in corpore ſano alioquin, & boni habitus, in quo nec ſit vas magnum, nec nervus læſus, ſed in carne ſimplici, & ſanguis, quantum ſatis eſt, fluxerit, jubent vulneris labia conjungere, & ad mutuum contactum adducere, deinde vulneri aliquid imponunt, quod, & tegumenti loco ſit, & calorem nativum foveat, & ſimul vim ſiccandi cum aliqua adſtrictione habeat, quo affluens ſanguis pro vulneratæ partis nutritione ab omni ſuperflua humiditate expurgetur, & ad quandam viſciditatem deducatur. Ex hujusmodi medicamentis aliquid linteo, quod vulneris magnitudini reſpondeat, & aliquid de adjacentibus partibus comprehendat, inducunt, ac vulneri imponunt, ſuper hoc verò tot lintea duplicata, vel triplicata, quot ſatis ſint ad ſervandum naturalem calorem partis, & ad arcendas ambientis injurias, applicant, ſolutionem ad quartam, quintam, immo ſeptimam differunt diem, &c. Ut verum fatear, quamnam curandi rationem hic proponat Sennertus, non ſat intelligo. Vulnera ſiquidem, quibus eam adhibet, ſimplicia videntur, unde pag. 518 modum illum curandi examinans, ait, deinde nec hoc diffiteri poſſunt, novum iſtum modum ſolùm locum habere in vulnere ſimplici, vulnerato ſani, bonique habitus, &c. At curatio partim ad ſola ſimplicia, partim generaliter ad omnia ſpectare videtur: adductio enim labiorum ad mutuum contactum in ſimplicibus vulneribus fit, at quod ſubjungit, ſolutionem differunt ad quartam, quintam, immo ſeptimam diem, ad ſimplicia non pertinet, hæc enim in via Magati, & Septalii, & à multis etiam eorum, qui communem modum ſequuntur, tractata, unica medicamenti impoſitione, & intra quartam ſanari conſueverunt, & propterea in ipſis nihil eſt, cur ſolutio ad quartam, aut ſeptimam dif-

Ut Sennertus propoſuerit curandi rationem Magati.

Ut defecerit Sennertus in proponendo eo curandi modo.

differatur. At ſi conſiderentur, quæ ſubjungit, & quæ objicit videtur exiſtimaſſe, Magatum, & Septalium ita curaſſe vulnera omnia; ſubjungit enim, Atque iſtam novam curandi rationem Antiquæ longè præferunt, & primò eam faciliorem, & tutiorem arguunt, additque rationes, quibus eam comprobant; p. verò 518. ut eam infirmet, & labefactet, objicit, quod ſolum locum habeat in vulneribus ſimplicibus, vulnerato ſani, bonique habitus exiſtente, & quod viri illi agnoſcunt, & fateri neceſſe habent, multa dari vulnera, in quibus curandis talia Naturæ impedimenta afferuntur, ut ſi à Medico non tollantur, Natura ad vulnus uniendum par non ſit, & proinde ſimplex ille apparatus in iis non ſufficiat, cum hæc, & alia multa ejus generis objiciat, tamquam infirmantia eorum curandi rationem, profectò exiſtimavit, ab iis in omnibus vulneribus fuiſſe uſurpatam, quod ſi feciſſent, verè digni ſcutica fuiſſent; quid enim ineptius excogitari poteſt, quàm in quolibet vulnere labia adducere ad mutuum contactum? haberetur ne ratio excrementorum, quæ neceſſariò ſuccreſcent in vulnere? nonne neceſſariò ſupprimentur, retentique ulcus illud ferinum gignent ab Hipp. decantatum; & quis labia adduceret, aut adducere ad mutuum contactum poſſet in vulneribus ſclopo inflictis, & aliis contuſis, & in quibus ſubſtantia carnis, & cutis deficiat, aut in quibus peregrina corpora ſunt: iure animadvertit Sennertus, hunc curandi modum tantùm habere locum in vulnere ſimplici, & in ſolo ſimplici Septalium, & Magatum eum adhibuiſſe, facilè comperiet, quisquis eorum ſcripta evoluerit. Magatus enim lib. 1. cap. 59. & 60. ita expreſsè ſimplex vulnus tractat: cap. enim 59. quod etiam inſcribitur de agendis in ſimplici vulnere, expurgato diligenter vulnere, inquit, Operæ pretium erit adducere labia ad mutuum contactum, & ut adducta maneant, curare, aut deligatione, an ſutura, vel glutine, & cap. 60. addit tegumentum idoneum, & vulnus usque ad perfectam agglutinationem

Modus propoſitus a Sennerto ſolis ſimplicibas vulneribus adhibetur à Magato non invis.

tionem tectum ſervat, At in curatione vulneris cavi longè aliter incedit capit. 61. Illud enim in primis conſiderandum monet, (jam de extrahendis telis, & aliis peregrinis corpuſculis egerat cap. 28.) an adſit conveniens effluxus pro expurgatione excrementorum, quæ neceſſariò ſuccreſcent, & cum non adeſt, parandum eſſe, & cap. 33. tractans de excrementorum, quæ in vulnere generantur, expurgatione, quam à naturali expultrice partium egregiè promoveri affirmabat, ubi robur ſuum naturali calori reſtituitur, ſubjungit, Medicum, ut Naturæ miniſtrum, & adjutorem, in hac actione præſto ei eſſe debere, quoniam interdum adſunt impedimenta, quæ difficilem, & interdum quæ impoſſibilem reddunt excrementorum expulſionem, iisque occurrendum eſt, & hæc impedimenta ſpectare, ait, ad vias, per quas fieri debet expulſio. Etenim, hæc ejus ſunt verba, ſi nulla adſit via per quam jam exiſtens, aut, quæ mox colligetur, materia poſſit expelli, quia videlicet aut nulla fuerit à telo parata, aut, quæ facta eſt, ab aliquo corpore, puta à telo, ſit obturata, vel adſit quidem, verùm minus conveniens, utpotè quæ anguſta eſt, aut talis futura, inæqualis, tortuoſa, ſurſumque ſpectans, nemini dubium eſt, impediri expulſionem, itaque in id elaborandum, ut materia convenientem habeat effluxum, hoc eſt, ut adſit recta via, & patens, per quam fiat expulſio, & ſi fieri poſſit, ut deorſum vergat, quamvis enim, & ſurſum expellat Natura, rationi tamen conſonum eſt, à ſuperioribus ad inferiora faciliùs expelli materiam, ut quæ deorſum ob innatam gravitatem ſpontè feratur. Hic autem exactum judicium in Medico deſidero, ut oblato, atque inſpecto vulnere ſtatim proſpiciat, num per viam, quam ſibi fecit vulnerans cauſa, ſatis expurgari vulnus poſſit, an aliquid addendum ſit, vel etiam novam machinari oporteat, & qua ratione hoc, vel illud ſit agendum ne in neceſſariis deficiens, mortis, aut alicujus magni mali ſit cauſa: quæ verò minimè neceſſaria ſunt, aut nequaquam conveniunt,

Quæ obſervet Magatus in curatione vulneris cavi non animadverſa à Sennerto.

unt, adjiciens, abſque ratione ægrum torqueat, ſanationem differat, & fortaſſis in diſcrimen vulnerati ſalutem adducat &c. Hæc Magatus de præparando effluxu in cavis vulneribus. Eademque habet Septalius 8. ſuarum animad. num. namque 12. cum diſtinxiſſet vulnera in ſimplicia, & cava, in ſimplicibus labia adducit ad mutuum contactum ſuppreſſo ſanguine, & emundato vulnere, & ſutura, aut glutine ea colligat, agglutinanſque apponit, inde tegit partem, & ad retentionem deligans, tectum ſervat vulnus ad perfectam ſanationem. At ſi vulnus ſit cavum, n. 45. conſiderandum monet, an vulnus convenientem effluxum habeat ad expurganda excrementa, & niſi adſit, parandum aut ejusdem, aut contrarii loci diviſione, aut turundæ dilatantis per duos, aut tres dies impoſitione. Hæc ad verbum ex Magato, & Septalio, quæ quantum ab iis diſcrepent, quæ de eorum medendi ratione Sennertus tradidit, nemo non videt, cum vulnus, cum vulnere confundat, & curationem cum curatione, quæ optimè diſtincta habentur apud illos viros, ut manifeſtè conſtet, eorum mentem minimè fuiſſe aſſecutum: ob idque adduci nunquam potui, ut crederem, Sennertum ipſum ſcripta legiſſe Magati, & Septalii, ſed potiùs mihi perſuaſi, quia vir eruditiſſimus in conſcribendis libris, & in illuſtanda ſuis luculentiſſimis ſcriptis Medica Arte totus erat, & proinde minus otii illi ſuppetebat, in depromendo eorum ſenſu opera uſum fuiſſe alicujus ex ſuis ſtudiorum ſociis, & adjutoribus, & hunc ipſum, pluribus fortaſſe intentum, virorum illorum ſcripta raptim nimis percurriſſe, & ideò germanum eorum ſenſum elicere, & Sennerto examinandum exhibere non potuiſſe, & cum in fundamento ipſo error contigerit, mirum videri minimè debet, ſi multa ſibi viſa ſint, non multùm rationi conſentanea, & multa objecerit: quæ ſi attentè conſiderentur impugnant quidem curandi rationem, quam ipſe proponit, ſed nihil ad Septalium, aut Magatum, qui nec eam ſomniarunt, miror quomodo non

Confundit Sennert. vulnus cum vulnere, & curationem cum curatione.

non multò plura objecerit, adeò abſurda eſt ea curatio, & ſi parvus error in principio, in fine fit magnus, quid ſi magnus error in ipſo principio committatur? ſed proſequamur curandi modum Magati, atque Septalii ex capit 61. 1. lib. Magati, & 8 Animad. Septalii numer. 45. ſi vulneris cavitas ampla ſit, ut vulneratæ partes ſe mutuò foveant conſiderant, an cavitas reddi poſſit minor præter id, quod offendatur idoneus effluxus, cum ejusmodi eſt, adducenda monent labia, non tamen ad mutuum contactum, ſed aliquod intervallum relinquendum, quo expurgari poſſint excrementa. Ex his manifeſtè apparet, quod de ſolis ſimplicibus ipſi tradiderunt, univerſaliter de omnibus vulneribus accepiſſe Sennertum, & proinde negavit, omnibus vulneribus accommodari poſſe, ſed ſolis ſimplicibus, ſed malè credidit, Septalium, & Magatum ita curaſſe vulnera omnia, cum longè aliter caua tractaverint, ut ſuperiùs patuit; jure timuit ab excrementis, dum vulneris labia ad mutuum contactum adducuntur, at ſi vidiſſet, quæ de effluxu parando ad expurgationem excrementorum tradiderunt, proculdubiò omnem abjeciſſet timorem, mirum, quomodo vir exercitatiſſimus rem tanti momenti, quam circa totius hujus curationis cardo volvitur potiſſimùm, præterierit, non Magati, aut Septalii inventum, ſed ipſius Gal. animadverſionem tum lib. Art. Med. 90. tum etiam 3. Meth. capit. ult. ut nec ejus meminerit in generali curatione vulnerum, intentiones generales proſequens in vulnerum curatione ſpectandas, & ab ipſo Gal. lib. Art. Med. 90. propoſitas, quamvis ibi Gal. expreſsè hujus effluxus mentionem fecerit, & rationem quoque ejus parandi tradiderit. In eo enim quod ſequitur tempore dicebat, per ſuffluxiones tertia intentio perficitur, ipſam verò ſuffluxionem ex ejusdem, & contrarii loci diviſione, & figura opportuna comparandum, quæ res tamen, quòd majorem admirationem movet, nec Guidones, nec Brunos, nec Bertapalias latuit, neque hodie vel minimum noſtrorum Chirurgorum latet, quanti

Quod de ſolis ſimplicibus tradiderunt Magatus, & Septalius univerſaliter accepit Sennertus.

autem hoc referat, paulò inferiùs videbimus, purgato vulnere, adductis labiis, ut dictum eſt, inſtillant in vulnus opportunum medicamentum, extrinſecusque idem medicamentum filis evulſis, ac linteo, magnitudini vulneris reſpondente exceptum apponunt, totque linteis vulnus obtegunt, quot ſatis ſint ad fovendum naturalem calorem, & arcendas ambientis injurias, inde ad retentionem deligant, & ſolutionem eousque differunt, donec aliquid ſit, quod eam ſuadeat, aut ad eam cogat. Exiſtimavit Sennertus, modum hunc novum curandi, vulnera in eo poſitum eſſe, ut vulnus poſt certa temporis intervalla ſolvatur, & procuretur, cauſa exempli in 4. 5. aut 7. die, at minus eorum mentem percepit, ſi diligenter, quomodo in curatione incedant, quis conſideret, manifeſtè conjiciet, non ita inſtituiſſe hunc curandi modum, ut nunquam ſolvatur vulnus, neque ut certis diebus, ſed hoc tantùm, ut ſolvatur, quando neceſſitas poſtulat, hæc iſtius curationis ſumma eſt. Communis praxis quotidie vulnus ſolvit, nec ſemel tantùm, ſed bis ut plurimum, & ter quandoque. At viri iſti tam crebram ſolutionem non eſſe neceſſariam profitentur, ſed potiùs nocuam, & proinde extractis peregrinis corpuſculis, ſi quæ in vulnere ſint, & parato effluxu, cum opus eſt, in quorum gratiam toties vulnus ſolvunt, quoties expedire judicant, non ſolvunt vulnus, niſi quando neceſſitas poſtulat, & ſæpè ſolutionem ad integrum coalitum differunt. Non ob id tamen communem curandi modum condemnant, ut Sennertus credidit. Nam Septalius 8. ſuarum Animad. num. 1. expreſsè ait, ſe non reprehendere communem modum, & Magatus non eum reprehendit, aut reprobat, ſed ſolummodo novum modum illi præponit cap. 40. tamquam præſtantiorem, & in fine operis hæc habet, Id autem perſuaſum habeas, velim, hæc non eò ſpectare, ut communem curandi modum labefactent, aut miſſum faciant, teque ab eo diſtrahant: & paulò poſt, Integrum eſto poſteà, aut hanc amplecti viam, aut communem perſequi,

Damnant Magatus, & Septal. crebram ſolutionem ſolvereque vulnus profitentur ſolummodo cum neceſſitas poſtulat.

qui, & in præfatione fatetur, vulgari quoque modo curari vulnera, ſed felicius altero, ut & Septalius; & proptereà non ſunt dicendi nodum in ſcirpo quærere, & præter rationem eum modum commendare, cum uſus ejus excellentiam probet, ſecus, & nodum in ſcirpo quærerent, qui ſpagiricis utuntur medicamentis, cum, & Gal. & Hip. temporibus, quibus nondum erant cognita, feliciter curarentur morbi, & per retro ſæcula multa, & graviſſima vulnera curata fuere, ſed multo opere, & labore, ac tempore, ac ſæpè per varios caſus deducti fuere ad ſanitatem vulnerati, iſti autem viri minori longè opere, ac labore, ac minori laborantis moleſtia, vulnera curare profitentur, & curationes non ita producunt, nec adeò exhauriunt vulnerati loculos, cur nodum in ſcirpo quærere dicendi ſunt? ſed quanti roboris ſint, quæ Sennertus objicit, videamus.

Dilvuntur Sennerti objecta.

CONSIDERATIO II.

QUantum aberraverit à Magati, & Septalii mente Doctiſſimus Sennertus in exponenda eorum curandi ratione, jam manifeſtum eſt; reliquum eſt, ut videamus, quantum aberraverit à ſcopo in iis, quæ contra eos objecit, jaculare ſiquidem poterat, ſed non collimare, nec rectum judicium ferre, quem cauſæ ſtatus latebat, id autem ut clarius pateat, ſingula ejus objecta, veluti ipſemet ea digeſſit, percurremus, ac diluemus.

Quia raró ſolvuntur vulnera in eorum curandi modo, *Sennert. ob.* exiſtimavit Sennertus, non occurri impedimentis, quæ in curatione vulnerum offeruntur, & eorum ſanationem remorantur, & prohibent, ideò ait, multa dari vulnera, *p. 51.* etiam ex Magati, & Septalii conceſſione, in quibus curandis talia Naturæ impedimenta afferuntur, ut ſi ea à Medicis non tollantur, Natura ad vulnus uniendum par

non ſit, hoc veriſſimum eſt, & negari non poteſt, neque id unquam negarunt viri illi, at verò, quod infert, aut non inde ſequitur, aut nihil ad viros illos, nempè ſimplicem illum apparatum non ſufficere, ſi enim per ſimplicem hunc apparatum intelligit modum curandi vulnera, quem ipſe tamquam Magati, & Septalii propoſuit, in quo videlicet labia ad mutuum contactum adducuntur, & medicamentum extrinſecus apponitur, additoque idoneo tegumento ſolutio ad quartam diem, aut quintam, vel ſeptimam differtur, admittitur, quod non ſufficiat, negatur tamen eam eſſe curandi rationem, quam viri illi profitentur, idque in ſuperiori Conſideratione oſtenſum eſt, at ſi per ſimplicem illum apparatum intelligi velit eorum germanum curandi modum, negatur, eum non ſufficere, in eoque non occurri omnibus impedimentis, neque ita ſimplex eſt, ut eum appellat Sennertus, ſed quàm vulnus grave eſt, tam operoſus eſt. In primis enim de peregrinis corporibus extrahendis ſunt ſolliciti; ut videre eſt apud Magatum cap. 35. p. lib. deinde, quia ſtatuerant, à vulnere lædi calorem naturalem, ideoque minus proſperam fieri coctionem alimenti in parte, & ſuccreſcere excrementa in vulnere, partemque vulneratam fluxionis periculo exponi, duplicisque fluxionis meminerant, ejus nimirum, quæ inflammationem efficit, & alterius, quæ copioſioribus excrementis generandis in vulnere cauſam præſtat. Hiſce impedimentis occurrere profitentur ſua medendi ratione, vitio quidem temperamenti, ſeu naturalis caloris imbecillitati congruo tegumento, & rara ſolutione, eademque, & opportunis revulſionibus, evacuationibus, atque alterantibus, fluxionis periculo, excrementis autem generandis, quod ad ipſam partem vulneratam attinet, paratis idoneis ſuffluxionibus, ob idque, & vulnus magis amplum reddunt, ſi opus ſit, carne inciſa, aut turunda immiſſa, & novos etiam parant ſaniei egreſſus, & oſſa excidunt interdum, ac terebrant, quando ſcilicet ſaniei egreſſum prohibent, cuncta deni-

Novus curandi modus occurrit omnibus impedimentis, quæ in vulnerum curatione offeruntur.

denique prævident, quæ in progreſſu curationis poſſunt negotium facere, & omnibus obviàm eunt non minus quàm antiquo modo addicti: ſolvuntque à principio vulnus, quoties ad extrahenda peregrina corpora, & parandum effluxum opus eſt, inde vulnus tegunt, donec aliquid ſuperveniat, quod ſolutionem, & procurationem poſtulet, ſimplex quidem eſt, quam ſimplicibus vulneribus adhibent: at, quam aliis, vulneri portione reſpondet.

Quia plures caſus ſunt, qui ad ſolvendùm vulnus compellunt, nihil detrahit Novo modo, ut exiſtimavit Sennertus: nullaque curandi ratio hanc notam effugeret, cum, qualibet propoſita, aliquando accidat, ut alia via incedere oporteat. Methodus univerſalis medendi tradit, ubi morbus fovetur à cauſa, neque fas eſt eodem tempore utrique conſulere, in curatione exordiendum eſſe à cauſa, & tamen, ubi alius quiſpiam affectus urget, omiſſa cauſa urgenti occurrimus, & ſi plura urgeant, urgentiori: & aliquando etiam tanta eſt vis urgentis, ut primum affectum negligere liceat, & novum inducere, vel inſanabilem, quia ergo non ſemper licet exordiri à cauſa in curationibus, damnanda eſt univerſalis Methodus, quæ tradit primùm ſubmovendam eſſe cauſam? Ars nautica præcipit, ut nauta utatur velis, hac, & illa ratione diſpoſitis, inſurgit tempeſtas vela ni demittantur, ſubmergent navim, malè ergò inſtituit Ars nautica velorum uſum, quia non ſemper utilis eſt, ſed aliquando perdunt navim? urgebit hæc ratio non ſolùm novum illum modum curandi vulnera, ſed quamcumque aliam curandi rationem: ſæpè etenim occurret, quòd à propoſita curatione recedere coget, neque ejus vim effugiet communis modus: ſed non raro ab ea curandi lege diſcedere compelluntur ob ſupervenientem aliquem affectum non in eo ſolùm conſiſtit communis modus, ut quotidie ſolvatur vulnus, verùm etiam ut quotidie medicamenta vulneraria adhibeantur, (ita appellare liceat medicamenta, quibus in vulneribus uti conſuevimus) at ſuper-

Sen. ob. p. 518. 519. Reſp. exceptiones Magati, & Septalii nihil detrahunt novo modo.

A communi curandi modo aliquando recedere cogimur.

perveniat vulneri contumax fluxus ſanguinis, quis, dimiſſis vulnerariis medicamentis non applicabit, quæ fluxum ſanguinis compeſcunt? quis quotidie vulnus ſolvet, aut procurabit? nonne omnes ad tertiam, & quartam diem ſolutionem different? reprehendendus ergo communis modus, quem non ſemper obſervare fas eſt? In vulneribus ſclopetorum contuſa caro ſuppurare debet, & tamen, ſi fluxus ſanguinis urget, omnes emplaſtrum adhibent ex adſtringentibus, & refrigerantibus, quæ ſuppurationem remorantur, igitur deficit communis modus? ſuperveniat Gangræna, aut Sphacelus, quis in uſu vulnerariorum medicamentorum perſiſtet, & non ſcarificabit partem, & igne inſuper cohibere, ne ſerpat malum, non tentabit? quis, ſi vulnerata pars phlegmonem contrahat, vel in ea abſceſſus fiat, vel ingens corruptio, aut putredo ſubſequatur, uſum vulnerariorum medicamentorum retinebit? Si morbus naturam immutat, & in alium abit, quis non videt, immutandam eſſe curationem? ſi vulnus in ulcus fiſtuloſum tranſit, nonne conveniet vulneraria medicamenta dimittere, & quæ ad fiſtulas probantur, adhibere? Hanc curandi rationem nobis reliquit Gal. & ab ea recedere; ita univerſaliter recepta eſt, nefas exiſtimatur, & ideò, ſi novo modo curantes vulnera, aliquando ob ſupervenientem affectum ad crebriorem ſolutionem compelluntur, non eſt vitio dandum curandi modo: à curatione ſiquidem vulneris tunc diſcedimus, & curamus urgentem affectum. Dum ſecundis ventis navigamus, vela expandimus, in rara ſolutione perſiſtimus, ſi tempeſtas ingruat, vela demittimus, & ſaluti navis proſpicimus, ſi urgens quiſpiam affectus ſuperveniat vulneri, & neceſſaria ſit aliqua manualis operatio, aut aliqua vis medicamentoſa, vulnus ſoluimus, & contra affectum illum pugnamus. Heras apud Gal. 2. de comp. med. per gen. c. ult. pharmacum deſcripſit ad cruenta vulnera ad fiſtulas, ſinus, & alia multa, & ad finem ſcripti medicamenti hæc verba adjecit, Hyeme ſeptem diebus ſolvitur, per
æſtatem

æſtatem quinque, ſi verò neceſſitas urgeat tribus, nihil aliud per neceſſitatem ad crebriorem ſolutionem urgentem, quam ſuperveniens aliquod ſymptoma intelligens; nec reprehendit Gal. auctorem, quia non ſemper ad quintam, & ſeptimam ſolutionem protraxerit, ſed aliquando neceſſarium eſſe moverit, triduo ſolvere; immò ipſemet Gal. 4. de comp. med. per gen. c ult. cum deſcripſiſſet medicamentum Acerum; hoc eſt ſine cera ad fiſtulas, & inveterata, ac Dyſepulota ulcera, & rectum ejus uſum docuiſſet, adjecit, cæterum ulcus triduo ſolves, ſi nihil prohibet, caſus innuens, qui ad crebriorem ſolutionem cogunt, cur ergo miretur Sennertus, ſi Magatus, & Septalius clarius, ac diſtinctius loquentes caſus, qui ſolutionem volunt, proponant? & ſi Heras, & Gal. proponere voluiſſent caſus in quibus non licet in ulceribus ad 3. aut 4. vel 7. ſolutionem differre fortaſſe non extitiſſent pauciores iis, qui à Magato, & Septalio fuere propoſiti. Quod tamen ad caſus, quos à Septalio, & Magato excipi, ait Sennertus, quaſi in illis recedere oportet à novo illo modo, & antiquorum operoſior modus ſit neceſſarius, idque ab illis ultro concedi, ſubjungit, dum attentè conſidero, quæ circa ſolutionis tempus tradit Magatus cap. 38. mihi videtur Sennertus, non omninò aſſecutum fuiſſe eorum virorum mentem; nunquam dixerunt, in iis caſibus non ſufficere novum eorum curandi modum, & operoſiorem antiquorum neceſſarium eſſe, ſed tempus ſolutionis indicare voluerunt, nunquam profeſſi ſunt, tecta ſervanda eſſe vulnera à curationis principio usque ad finem, etſi aliquando id liceat, ſed quàm rariſſimè fieri poteſt, ſolvenda, & tantummodo cum neceſſitas poſtulat, oportebat ergo tempus hoc ſolutionis medico perſpectum eſſe. Itaque inſtare hoc tempus monent, cum aliquis ex enarratis ab eis caſibus occurrit, quando exempli gratia conjicimus, multam excrementorum copiam effluxiſſe è vulnere, & conſpurcaſſe lintea, eaque præbere materiam poſſe ad gene-

Explicatur mens Septalii, & Magati in exceptis caſibus.

gene-

generandos vermes, aut excrementa retineri in vulnere, quando peregrinum corpuſculum negotium faceſſit, urget dolor, magna ſubeſt, aut impendet corruptio, inflammatio acceſſit. Cæterum, & hiæ Sennertum deceptum video, exiſtimavit enim, cum ſolvendum in allatis caſibus dixerunt vulnus viri illi, ſignificare voluiſſe, tractandum eſſe deinceps vulnus communi modo, & ideò ſubjunxit, in iſtis caſibus omnibus ſimplicem illam deligationem non ſufficere, ſed antiquorum illum operoſiorem apparatum neceſſarium eſſe ultrò concedunt. At hoc falſum eſt, nihil enim aliud ſignificare voluerunt, quàm quod dictum eſt, tempus ſcilicet ſolutionis, cum aliquando ſolvere neceſſarium ſit, ſi vulnus ad graviora pertineat, ſæpè verò, cum rectè tractatum eſt vulnus à principio, unica ſolutione eam indicanti fit ſatis, à principio quidem cum extrahenda ſunt peregrina corpora, & parandus eſt effluxus, interdum non ſemel tantùm, ſed iterùm, & tertiò ſolvere cogimur, quia unico apparatu peregrina corpora eximi, oſſa, cauſa exempli, excidi, & parari opportunæ ſuffluxiones nequeunt, ut videre eſt in vulneribus capitis cum oſſis offenſa, at iis expeditis, raro accidit, ut crebrior ſolutio, quàm quæ quarta, aut quinta quaque die fit, requiratur. Sed ſæpiùs ad ſeptimam, non raro ad quartam decimam diem protrahitur, ſi videlicet conveniens adſit effluxus, eoque tempore, ſi oſſa nihil perpeſſa ſunt, repleri carne vulnus ſolet, ut ſola cicatrix ſit inducenda, nihil tamen eſt perpetuum, multos viri illi propoſuerunt caſus, qui ſolutionem poſtulant, ſed cum non ſemper tecta ſervari poſſint vulnera omnia, declarandum erat ſolutionis tempus; multi quidem caſus ſolutionem diligunt, cæterum non omnes crebram, & quotidianam volunt; immò qui crebram poſcerent, adeò raro contingunt, ut, objici non poſſit, quod Sennertus, caſus ſuperare regulam, eique derogare. Dolor, inflammatio, abſceſſus, excrementorum ſuppreſſio, quæ potiſſimum

Sennert. non eſt aſſecutus mentem Septalii & Magati in exceptis caſibus.

Caſus excepti ſolutionem volunt, at pauci crebram.

tiſſimum ad crebram ſolutionem impellunt, ſi vulnus ſanabile ſit, rariſſimè ſub novo modo negotium faciunt, licet creberrimè ſub communi, quoniam vulnerata pars in quiete continetur, ex frequenti contrectatione, & manuali abſterſione non exaſperatur, & ab impoſitis linamentis, atque turundis non ſupprimuntur excrementa, ut in communi accidit modo, (qua de cauſa ſæpius vidi, inflicta ſclopo vulnera, quotidie bis, terque ſoluta in abſceſſus moleſtiſſimos, ac difficillimos degenerare, quæ ſub novo modo quindecim, aut ad ſummum viginti dierum ſpatio perfectè ſanantur) immo idoneæ parantur ſuffluxiones, ſi deſint, ut facilius efferantur expulſa excrementa, quæ retenta, & dolores, & inflammationes, & abſceſſus faciunt, pruritui, & fœtori, ſi urgeant, unica ſolutione conſulitur; ingens putredo, & corruptio rariſſimè fiunt, rectè tractato vulnere à principio, & ob ſolam ingentem Cacochymiam corporis; facilius ſub antiquo modo, & præſertim in vulneribus ſclopo inflictis ob ſuppreſſos pravos halitus, atque excrementa ab impoſitis linamentis, & cum fiunt, neque adeo crebram ſolutionem deſiderant, ut aliàs oſtendetur. Gangræna, & ſphacelus, ut cohibeantur, aliquas volunt ſolutiones, ſed adeò raro contingunt, ut ſemel tantùm ſphacelum viderim in penetrante abdominis vulnere, communi tamen modo curato, & ob Chirurgi negligentiam. Fluxus ſanguinis ad ſolutionem cogit, non tamen crebram, immo, & qui communem modum ſequuntur, ob fluxum ſanguinis raro vulnus tractant. Denique non admodum frequenter crebra ſolutio eſt neceſſaria, & cum neceſſaria eſt, id evenire comperies ob adnexum affectum, qui à curatione, vulneri debita, diſcedere nos cogit. Cum verò protrahitur ſolutio ſub novo modo, non ſolvitur vulnus tardius, & rarius, quam oporteat, ſed quando oportet, aliud eſt vulnus tardè, & raro ſolvere; aliud rarius, & tardius quàm oporteat, profitetur novus modus tardè, & raro ſolvere, at non ſerius, quàm vulnus exigat,

immò tempeſtivè, non ex tarda, ſed ex tardiori ſolutione impendent mala, quæ timet Sennertus, neque ita illa timuiſſet, ſi ſuffluxiones cognoviſſet, neque tantum negotii ei facerent vulnera illa profunda, & anguſta, quæ pungendo, & telo acuto, non craſſo inferuntur, fateor, hæc eſſe difficiliora, & ſi quis ſolo tegumento ea curaret, facilè ægrum perderet; at ſi parentur ſuffluxiones, nihil erit, quod difficultatem faciat, ſed quid, ſi loca periculoſam ſectionem faciant? quid, quod ſæpè contingit, ſi telo acuto adeo tenui inflictum ſit vulnus, ut mox deliteſcat, nec ulla arte, aut ingenio teli detegi poſſit via? at non minus ſollicitant hi caſus antiquo, & communi modo addictos, quàm eos, qui novum profitentur. Sennertus cum Gulielm. Fabricio in primo caſu fortaſſe fili aurei, aut argentei fruſtum pro vulneris profunditate longum, carbaſo involutum, & unguento aliquo anodyno, & digeſtivo inunctum, in vulnus immittet, at ſi vulnus fruſtum fili aurei carbaſo involutum, & unguento inunctum recipit, & turundam dilatantem ad parandum effluxum ſemel, & iterum admittet, & ſi vulneris oſculum ſectionem renuat, fortaſſe fundum, aut intermediæ partes eam permittent, conſiderabo etiam, an majus periculum impendeat à vulnere, an à ſectione effluxus parandi gratia adhibenda, & conſilium, quod minus habet periculi, amplectar. At ſi teli via deliteſcat prorſus, neque novo, neque antiquo curari poterit modo, niſi nova, & patens infligatur plaga, quæ ſit loco effluxus, & ibi infligenda erit, ubi dolor vulnus eſſe monſtrabit, inde utroque modo curare vulnus licebit. Timet Sennertus in anguſtis vulneribus, ne in ſuperficie Natura vulnus conglutinet antequam in fundo ſit conglutinatum, idque profecto timendum eſt, cum non parantur ſuffluxiones, at qui novum modum ſequuntur, quoniam de hiſce ſuffluxionibus valdè ſunt ſolliciti, hunc timorem abjecerunt, obſervantes parato effluxu, non conglutinari oras vulneris, niſi

Vulnera telo acuto ac tenui inflicto non minus faceſſunt negotii in communi modo quam in novo.

ſi conglutinatum ſit fundum, ſive hæc mira ſit Naturæ providentia, cum priſtinum reſumpſit robur, ſive quia in fundo magis vigeat calor, & aſſiduus etiam excrementorum affluxus carnis generationem in oſculo impediat, ut animadvertit Magatus, & Septalius quoque. Nec ſuis præſuppoſitis contradicunt, ut credit Sennertus, id aſſerentes, & ſi aliàs ſtatuerint multò minorem excrementorum copiam ſub novo modo generari, quàm ſub antiquo, & communi: non enim negarunt, quin aliqua generentur excrementa ſed pauciora generari dixerunt, quàm ſub communi modo; ita habet Magatus cap. 40. 1. libri, aut pauca admodum communis comparatione, ut in ſubſequenti columna ſubjungit, & Septalius 8. ſuarum Animad. num. 1. & quæ generantur, dum effluunt, & labia humectant vulneris, eorum coalitum poſſunt impedire, & hic etiam, quid poſſit tegumentum, obſervare licet, nam, hic ſi abjectis turundis communia vulneraria medicamenta adhibeas, ut novus modus præcipit, brevi os vulneris occludi, & excrementa ſupprimi videbis. *Ob.* *P. 533.* *Reſp.*

Defenduntur fundamenta novæ Methodi contra Sennerti objecta, eiuſque reſponſiones ad rationes Magati rejiciuntur.

CONSIDERATIO III.

INveniendi ejus, quod quæritur, logicæ Methodi facultatem præſtant, inquit Gal. 1. Meth. 3. at quæ iidem iis faciant, quæ rectè ſunt inventa, duo ſunt apud omnes homines inſtrumenta, nempe ratio, & experientia, & huic theſi inhærens Magatus fundamenta novæ Methodi rationem poſuit, & experientiam, quod pariter fecit Septalius, utrumque fundamentum impugnat Sennertus; videamus quantis viribus. Experientiæ non multum tribuit, quòd eandem etiam pro ſe habet communis modus. Cæterùm non negant, quin etiam ſanentur vulne- *Ob. p. 620.* *Reſp.*

Experientia magis favet novo quam communi modo.

Confirmatur I.

ra communi modo curata, ſed feliciùs curari novo modo contendunt, & non rarò etiam, quæ communi modo tractata non ſanarentur, & hujuſce rei teſtem experientiam adducunt, ſi experientia conſtat, paria vulnera novo modo tractata quindecim, aut viginti dierum ſpatio coaleſcere, antiquo verò, quinquaginta, aut ſexaginta, & quandoque ad plures menſes eorum ſanationem prorogari, &, ſi in quodam valetudinario, quæ vulnera plerumque mortem afferebant communi modo curata, ſub novo modo plerumque ſanentur, non ne magis favet experientia novo, quàm communi modo? ſi graviora vulnera ſub antiquo modo ægrè ſanantur, & multa vulnerati moleſtia, nullo autem ferè negotio ſub novo, non ne experientia novum modum roborat? Addit, Septalium non explicare in ſpecie, qualia fuerint vulnera, ex quibus plures convaluerint in valetudinario Mediolanenſi ſub novo modo, quàm ſub antiquo, cum tamen manifeſtà pateat, ipſum de iis vulneribus loqui, ex quibus plerique antiquo more curati interibant, & ſpeciatim tres extitiſſe, affirmat, qui fuerant vulnerati cum oſſis Calvariæ, & membranarum inciſione, & unum ex caſu ab alto cum oſſis introceſſione, & duo cum rima in oſſe. Magatum verò, ſubjungit, etſi vulnerum capitis, quorum exempla affert, qualitates deſcribat, tamen id non probare, ægros ob novum iſtum curandi modum ſanatos fuiſſe, & non convalituros fuiſſe, ſi antiquus modus adhibitus fuiſſet, poſſeque referri ſanationis cauſam in robur Naturæ, quæ interdum etiam Chirurgi errores corrigit, verùm non negat Magatus, quin, & communi modo curati ex vulneribus, quæ propoſuit, potuiſſent convaleſcere, cum modum novum non aſtruat, ut antiquum deſtruat, ſed tantùm hoc contendit, felicius curari æqualia vulnera novo modo, quàm antiquo, ut oſtendunt caſus, quos recenſet. Neque dici poteſt, Naturam robuſtam Chirurgi errores corrigere, nam ſi ob robur Naturæ ſanarentur novo modo curata vulnera, & re vera committeretur error in curatio-

Ob. (beside "novum modum roborat?")

Reſp. (beside "convaluerint in valetudinario")

Ob. (beside "oſſis introceſſione")

Reſp. (beside "convalituros fuiſſe")

ratione, ægrius tardiusque cæteris paribus ſanarentur, cum Natura in corrigendis erroribus laboret, & dum errores corrigit, curationem intermittit; atqui facilius, ac, citius ſanantur ſub novo modo, inquit Magatus, igitur procul abeſt omnis erroris ſuſpicio, & felicioris ſanationis cauſa in perfectiorem curationem referenda eſt. Quod objicit de vulneribus gravioribus capitis, in quibus inter cranium, & membranas cerebri ſanguinis colligitur, & varia excrementa cumulantur, nihil eſt, nam à principio convenientes ſubfluxiones parant, oſſa excidunt, terebrant, ſi opus ſit, & peregrina corpora ſtudiosè extrahunt, inter quæ eſt concretus ſanguis, qui ſi in tanta copia colligatur ſub cranio, ut una, vel altera procuratione detrahi nequeat, ut in inſigni illa contuſione lignea columna facta, cujus hiſtoria eſt apud Magatum lib. 2. periculoſumque ſit ſuppurationem expectare, toties vulnus ſolvunt, quoties neceſſarium eſt, non curatur tunc vulnus, ſed peregrinum corpus educitur, jam dictum eſt, non eſſe determinatum ſolutionis tempus, ſed vulnus ſolvi, cum id, quod ſolutionem poſtulat, magis poteſt ad indicandam ſolutionem, quàm naturalis calor ad eam prohibendam, & ſi abſceſſus fiat ſub oſſe, ut in eodem caſu, curatur abſceſſus. *Ob. p. 521.*

Nec magis valent, quæ affert, ut infringat rationes, quibus viri illi novum modum communiunt, eas tanti momenti non eſſe, monet, ut propter eas rejiciendus ſit antiquus modus, non erat tamen cur in hoc laboraret, nunquam enim rejiciendum putarunt antiquum modum, illud tantùm contendunt, eidem novum eſſe præferendum. Rationem à naturali calore deſumptam infirmare nititur; admittensque Naturam eſſe vulnerum medicatricem, & curationem perficere caloris innati beneficio, negat novo iſto medendi modo rectius conſervari calorem nativum, & in antiquo modo plura, in novo pauciora excrementa generari, immo contendit, raram vulnerum detectionem calori innato ſæpè plus officere quam prodeſſe, *p. 521. Ob.* *Reſp.* *Sennerti reſponſio ad primam rationem.*

ſe, contra verò frequentiorem, & quoties opus eſt, calori innato non officere. At non ſolvit rationes, quibus aſſertum ſuum probavit Magatus, negat etiam ſolius caloris nativi conſervationem ad ſanandum vulnus ſufficere, At hoc nunquam affirmarunt Septalius, & Magatus, ſed, & impedimentis occurrendum eſſe tradiderunt, & ideò de peregrinis corpuſculis eximendis valdè fuerunt ſolliciti, nec non, & de ſubfluxionibus parandis ad facilem excrementorum expurgationem, atque de inhibenda fluxione, & de ſupervenientibus ſymptomatis; & quamvis ſingulis diebus vulnus non detegant, non ob id in novo modo non occurritur ſemper impedimentis, admittitur, evacuanda quotidie excrementa, exſiccanda, eorumque generationem impediendam, fovendum calorem glutinationem adjuvandam, at negatur ad hæc præſtanda opus eſſe turundis, & quotidiana medicamentorum impoſitione, etiamſi quæ primo imponuntur diu non retineant vires, ſuas, quoniam, paratis ſubfluxionibus, nativus partis calor, ex tegumento robuſtior factus, ſemper operatur, & excrementa partim abſumit, partim extra vulnus pellit, & vulnus curat, quod verò non melius conſervetur, & roboretur nativus calor ſub novo modo, quam ſub antiquo, immo quod rara detectio ſæpè plus officiat, quàm proſit, non probat, id tamen ſe oſtenſurum, ſubjungit in reliquis argumentis, an verò id præſtiterit, palam fiet in ſequentibus, addit, frequentiorem, & quoties opus eſt vulneris detectionem calori innato non officere, ſed deſideratur probatio, aut rationum, quibus contrarium aſtruit Magatus, ſolutio, in eo etiam aſſerto ſunt duo membra ſibi invicem repugnantia in via Magati, & Septalii; videlicet frequentiorem fieri detectionem, & quoties opus eſt, nam viri illi rarò vulnus detegentes, profitentur vulnus ſolvere, quoties opus eſt, ubi verò quotidie ſolvitur, ut fit communi modo, ſæpè ſolvi, cum opus non eſt, novus modus, ut aliàs dictum eſt, non in eo conſiſtit, ut nunquàm ſolvatur vulnus, aut ut ſolvatur poſt certos aliquos

Confirmatur A.

Infringitur, Reſp.

Cap. 32. p. lib.

quos dies, ſed ſolummodo, cum opus eſt, quando ſcilicet plus poteſt, quod ſolutionem poſtulat, ad indicandam ſolutionem, quàm calor naturalis, & periculum fluxionis ad indicandum tegumentum, videatur cap. 38. 1. lib. apud Magatum, negant verò quotidie adeſſe, quod detectionem poſtulet, & proinde, ubi quotidie vulnus ſolvitur, ſæpè ſolvi, ubi opus non eſt, affirmant.

Negat Sennertus, ob crebram detectionem plura excrementa generari in vulnere, ſed plura, vel pauciora excrementa, profitetur, generari, quia totum corpus, & pars vulnerata ad excrementa plura, vel pauciora generanda ſint diſpoſita, cum non ob vulneris detectionem, ſed ob caloris imbecillitatem, aut conſtitutionem partis, aut corporis excrementa generentur. Hanc controverſiam experientia dirimere poterat: ſed quoniam rationibus decertat, rationibus agamus, & accipiamus, quod ipſe ſponte fatetur, ex vulnere calorem, & ſpiritus diſſipari, partemque debiliorem reddi, & ideò in coctione, quæ in parte fit, plura excrementa generari, addamus nos ex ipſo Magato, ob crebram detectionem occurſu ambientis offendi naturalem calorem vulneratæ partis, ejus ſubſtantiam diſſipari, atque ita partem imbecilliorem reddi, id autem abundè colligitur ex cap. 10. 31. & quadrageſimo 1. lib. igitur minus proſpera fiet coctio in vulnerata parte, & conſequenter ob crebram detectionem redundabunt magis excrementa, & quoniam propter imbecillitatem pars vulnerata periculo fluxionis exponitur, atque ad imbecilliorem partem totius excrementa promptè Natura transmittit, hac etiam ratione crebra detectio multorum excrementorum generationi cauſam præſtabit. Amplius quoniam in vulneris ſolutione pars vulnerata movetur, contrectatur, vulnus detegitur, & ſæpè ad pus eliciendum pars comprimitur, turundæ, ſeu linamenta imponuntur, quæ, ſi vulnus ſit ex gravioribus, citra dolorem, & partis irritamentum præſtari vix poſſunt, dolor autem, & irritamentum partis fluxionem advocant, profectò quò ſæpius vul-

Reſp. Sen. ad primam Magati p. 522.

Rejicitur.

Ob crebram ſolutionem plura excrementa generari in vulnere.

Et confirmatur E.

vulnus detegetur, major aderit fluxionis occaſio, indeque major excrementorum proventus. Verum quidem eſt, plura, vel pauciora, excrementa generari in vulnere, quia totum corpus, & pars vulnerata ad excrementa plura, vel pauciora generanda ſint diſpoſita, at verò, vt ejus, quod in toto eſt, plus ad partem vulneratam feratur, vtque minus proſpera coctio fiat in parte, cauſa eſt etiam crebra detectio. Et hæc eadem non ſolùm totius excrementa ad vulneratam partem valet allicere, verum etiam efficere, vt probus ſanguis in excrementum abeat. Dum enim ex crebra detectione, ac procuratione vulnerata pars irritatur, Natura, vt rem moleſtantem expellat facilius, ſpiritum, & ſanguinem ad eam transmittit, qui cum ab illa propter imbecillitatem confici nequeat, aut inflammationem facit, aut in excrementa degenerat, hujus quoque rei teſtis experientia adduci poteſt, etenim, ſi vulnus, quod ſolvo quotidie, multam profert excrementorum copiam, raró verò ſolutum, ac procuratum multò pauciora cæteris paribus, quamnam hujus eventus cauſam dixerimus, niſi crebram ſolutionem? id millies in praxi obſervatum eſt, & vnicuique fas erit experientiam conſulere, vnum exemplum proferam, ex quo multi alii caſus intelligi poterunt, inflictum fuit vulnus cuidam in humero acuto, ac tenuiſſimo telo, repenteque in tumorem ingentem elevatus eſt humerus, vn Gangrænam timeret Chirurgus; loca periculoſa ſectionem faciebant, viamque ipſius teli nullo ſtudio invenire potuit. Exiſtimavit in penitioribus humeri partibus vulneratas fuiſſe venas, & effluxiſſe multum ſanguinem, qui ob anguſtiam vulneris, & quia ejus oſculum illico à muſculis occluſum fuit, efferri non potuerit, ideoque retentus, atque concretus, tumorem illum effecerit; conſtabat enim à fluxione ortum non habuiſſe, ferè inops conſilii, decrevit ſuppurationem adjuvare, & brevi ſuppuravit. Diſſecto ad vulneris

Hiſtoria ex qua colligitur, crebrò ſoluto vulnere plura excrementa ſuccreſcere.

vulneris locum abſceſſu, multa puris copia effluxit, & cum in qualibet ſolutione, bis autem quotidie abſceſſum procurabat, idem accideret, ampliorem ſectionem adhibuit, vt penicilli, & linamenta cum medicamentis, quibus abſtergerentur, & abſumerentur excrementa, immitti in ſinum poſſent, verùm cum nihil proficeret, tandem curam pertæſus ad raram ſolutionem ſe contulit, rejectisque penicillis, extrinſecus medicamentum linteo exceptum appoſuit, & ſolutionem ad tertium diſtulit, ſoluto vulnere, detractoque linteo, quod vlcus tegebat, nihil è ſinu effluxit, cum prius detractis linamentis multa purulentæ materiæ copia ſemper efflueret, ſponte tamen aliquid puris fluxerat, & lintea tegumenti conſpurcaverat, partem quoque graciliorem invenit, & omnis doloris expertem, inde ad quartam ſolutionem diſtulit, & ſemper minus excrementorum profluebat, & brevi ſanatus eſt abſceſſus, cujus curationem penè deſperaverat. quis copiæ excrementorum cauſam crebram ſolutionem non fatebitur? Nuper mecum per literas conqueſtus eſt Chirurgus non obſcuri nominis, ſe neque aſſiduis injectionibus, valdè exſiccantibus, neque vulnerariis potionibus poſſe conſequi, vt abſumeretur multa copia excrementorum, quæ quotidie emanabat è vulnere in cavitatem thoracis penetrante, quamvis quadraginta dies ab inflicto vulnere jam præteriiſſent, affirmans in qualibet ſolutione (ſolvebat autem vulnus manè, & veſpere) quatuor circiter libras purulentæ materiæ profluere, & proinde ſanationem quaſi deſperans, meam ſententiam flagitabat, cui ego conſulvi, vt injectionibus parceret, & rarius vulnus ſolveret, & continuò, puris affluxu ceſſante brevi ſanitati reſtitutus eſt. In alium incidi, qui vulnerati in poſtica thoracis parte cum pulmonum offenſa curam gerens, neque injectionibus, neque vulnerariis potionibus, quamvis jam tres ferè menſes in hoc laboraſſet, purulentiæ defluxum finire poterat; detraxi ego turundam, & admoto cerato palmeo Chirurgum monui, vt ad quartam diem

 ſolu-

ſolutionem differret, eoque tempore vulnus cicatrice obductum comperiit. ob crebram ergo ſolutionem generabantur excrementa, ſi dimiſſa ſolutione illico ceſſat eorum proventus, id etiam ſæpiſſimè expertus ſum in vlceribus, & abſceſſibus ſpontè factis, vt negari non poſſit, niſi ab iis, qui ſenſum negant, quod cum ita ſit, fateri cogimur ſub novo modo melius conſervari, & roborari naturalem calorem vulneratæ partis quàm ſub antiquo, ſtatque in ſuo robore ratio à calore naturali deſumpta.

Sennert. Reſp. ad alteram rationem Magati p. 523. Impugnatur.

Contra alteram rationem à periculo fluxionis, cui ob crebram ſolutionem exponitur pars vulnerata, deſumptam, periti Chirurgi eſſe ait, leniter, & citra dolorem tractare vulneratam partem, & vulnus abſtergere, ac medicamenta admovere, facilè hæc dicuntur, at ſæpe non reſpondet praxis, ſit tamen, quod citra omnem dolorem tractetur pars vulnerata, nunquam tamen effugient incommodum, quod ex denudatione partium, quæ nunquam antea ambientis conſortium expertæ fuerant, & à linamentis, ac turundis immiſſis, quæ partem comprimunt, ac diſtendunt, & tamquam aliena à Natura, illi ſunt onus inutile, ac infeſta, provenit, vt negari non poſſit, quin calor naturalis diſpendium aliquod patiatur, & inde pars aliquam imbecillitatem contrahat, & ad recipiendam fluxionem fiat promptior, & quin aliqua præſtetur fluxioni occaſio, & adhuc magis quò vulnus ſæpius detegitur, aſſumit, in rara detectione non melius conſervari calorem partis, quàm in antiquo modo, at non ſolvit argumenta Magati, quæ id probant.

In crebra ſolutione non poſſunt evitari omnia incommoda. Et confirmatur B.

Reſp. Sennert. ad tertiam rationem Magati p. 323. Impugnatur.

Tertiam rationem, qua novus modus firmatur, infirmam exiſtimat, contendens, nullius momenti eſſe, quod in novo modo pars vulnerata rarius aeri ambienti exponatur, commodumque, quod ex vulneris emundatione, & neceſſariorum medicamentorum applicatione oritur, longè majus eſſe, quam damnum, quod aer admiſſus affert. at diſtinctius eſt loquendum, cum medicamenta ſunt neceſſaria & neceſſaria eſt manualis emundatio, tunc

com-

commodum quod inde oritur majus eſt, quàm damnum, quod ex detectione vulneris proficiſcitur, at negatur, quotidie neceſſariam eſſe novam medicamentorum applicationem, & manualem emundationem, cum ſponte, ſi adſint ſuffluxiones, ſub tegumento expurgetur vulnus, & ſatis ſit per aliqua intervalla vulnus procurare, vnde cum à tegumento, atque à Natura habeamus, quod à manuali operatione, & à medicamentis, fruſtra hujus gratia quotidie detegeretur vulnus, & ambienti exponeretur, atque incommodis, quæ ex crebra detectione provenire, toties inculcavit Magatus, neque Chirurgi diligentia præcaventur hæc incommoda, vt ſibi perſuadet Sennertus, ſit enim, quod ſoluto vulnere in calidiore, vel temperato aere, & Chirurgo omnia celerrimè peragente, evitetur incommodum, quod invehit ambientis qualitas, quod tamen non ita certum eſt, cum ſemper ambiens quantumvis calidus ſit ſecretioribus noſtris partibus, & calore noſtro innato longè minus calidus, vt frigidus dici queat, ſaltem illud non effugit pars vulnerata, quod ad jacturam ſubſtantiæ nativi caloris ſpectat, cum in qualibet ſolutione aliquid exhalet de ejus ſubſtantia, inquit etiam præcaveri magna ex parte ambientis incommodum, ſi non ſæpius detegatur vulnus, quàm neceſſitas poſtulet at locutionem clariorem deſidero, non ſemper evitatur ambientis incommodum, quando vrgente neceſſitate vulnus ſolvitur; eſt, cum ſolvere compellantur, quamvis non modicum detrimenti expectemus ab aere, ſolvimus tamen, quia vtilitas eſt major, vt videre eſt in vulneribus capitis, quando os eſt excidendum, ob idque diutius exponendum eſt vulnus ambienti aeri, deinde peterem ab ipſo, quando neceſſitas poſtulet vt ſolvamus vulnus, ſi raro, & nos id fatemur, ſi quotidie, id negamus, & in hanc rem multa attulit argumenta Magatus, & ad ea infirmanda aſſumitur majorem eſſe vtilitatem, quæ manuali abſterſione, & medicamentorum applicatione oritur, vnde quæſtio ad ſuum caput redit.

Reſp. Sennert. ad 4. p. 523. Negat Sennert. quia in vulneribus capitis os, quod ſub antiquo modo abſceſſurum putabatur, ſub novo non abſcedat, quæ erat quarta ratio, idcircò novam curandi rationem antiquæ præferendam, quod nondum probaverit, idem non futurum fuiſſe, ſi antiquus modus adhibitus fuiſſet, aſſumptum negat, quod tamen Magatus firmiſſima experientia probaverat. Qui in curandis vulneribus probè verſati ſunt, probè etiam noverunt ob crebram obſervationem, oſſe inſpecto, & conſiderato ictu, & ambientis occurſu, vtque ferramentis illud tractare oportuerit, an os ſit receſſurum cognovit Magatus longa obſervatione, os non recedere ſub novo modo, quod obſervaverat recedere ſub antiquo, indeque arguit curationis perfectionem, id enim aliunde non poteſt contingere, quàm quod ſub novo modo melius conſervetur, & roboretur nativus calor.

Confirmatur *Impugnatur.* *Oſſa minus recedere ſub novo, quam ſub communi experientia comprobatum eſt.*

Reſp. Sennert. ad 5. Quintam rationem à minori proventu excrementorum ſub novo modo contingente rejicit, quod Magatus id affirmet, ſed non probet, & ſemper præſupponat calorem innatum rectius conſervari, ſi rarius detegatur vulnus, quàm ſi frequentius, at de excrementorum generatione in vulnere ſuperius actum eſt, & de conſervatione etiam nativi caloris ſub tegumento, & ideo nihil eſt, cur in his immoremur.

Impugnatur. *Confirmatur*

Reſp Sennert. ad vlt. Probabat etiam Magatus cap. 32. peregrinorum corpuſculorum, quæ à principio extrahi non potuerunt, expulſionem felicius à Natura perfici tecto ſervato vulnere, quia magis roboratur calor ſub tegumento, at Sennert concedens felicius expelli peregrina corpora à calore validiori, negat fieri validiorem ſub tegumento, idque non præſupponendum, ſed probandum, cum tamen Magatus ibidem, & alibi aſſertum probet, & de hoc etiam inferius; Objicit quoque, quod aſſerverit, ſed non probaverit, vires medicamenti primò appoſiti ad perfectam vſque agglutinationem integram perdurare, id quidem affirmat Magatus c. 32. ſed loquitur

Ob. Senn.

de

de agglutinatione ſimplicis vulneris, quæ ſæpè vna die perficitur, & raró ad quartam producitur, rectè tractato vulnere, & in eo pauca excrementa ſuccreſcunt, nunquam id affirmavit de cavis, & proinde nihil eſt, quod Sennertus objicit. *Diluitur.*

Proponuntur reſponſiones Sennerti ad ea, quæ Magatus, & Septalius communi modo objiciunt, & impugnantur defenduntúrque reſponſiones Magati ad rationes, quibus ſtabilitur antiquus modus.

CONSIDERATIO IV.

IMpugnatis rationibus, quibus novus modus adſtruitur, aggreditur Sennertus argumenta, quibus Magatus, & Septalius adducti antiquum modum, vt ſibi videtur, rejecerunt, & primò experientiam non recipit, quòd non minus Antiquo, quàm novo modo illa faveat, & ſatis conſtet, innumeros Antiquo modo tractatos optimè convaluiſſe. Evolvi diligenter Magati, & Septalii ſcripta, & nusquam inveni, quod communem modum rejicere conati ſint, immo profitentur, eo quoque perbellè ſanari vulnera, ſolummodo illi prætulerunt novum, in eodemque nonnullos defectus animadverterunt, ſed quia de hoc etiam ſuperius actum eſt, ad alia tranſeamus. *pag. 524.*

Objiciebant antiquo modo, quod ambienti aeri pars vulnerata ſæpius exponatur, indeque vulneratæ partis calor non leviter offendatur, & propterea copioſiora excrementa cumulentur. Inquit Sennertus, non probari, ea ſola de cauſa copioſiora excrementa colligi in vulnere, addit copioſa excrementa non ab aere provenire, ſed alias cauſas habere, & exiguum illum appulſum aeris, quem tamen libenter vitat, tam magnam alterationem afferre non poſſe. At viri illi nunquam ſolum appulſum aeris excrementorum cauſam dixere, *Ob. Mag. c. 40. 525. Reſp. Senn. Reiicitur. Non ſolus*

appulſus aeris eſt excrementorum cauſa, ſed tractatio vulneratæ partis, & vulneris procuratio.

ſed & irritamentum, quòd accidit, dum tractatur pars vulnerata, & manuali operatione vulnus abſtergitur, & linamentis, atqua turundis pars oneratur, imbecilliori enim facta parte ob naturalis caloris læſionem, quam ipſemet confitetur, partes ſanæ promptè ad eam propria excrementa transmittunt, & ipſa ob imbecillitatem promptè recipit, accedente poſtea crebro illo irritamento, advocatur fluxio ad partem, vnde fit, vt partes ſanæ adhuc promptius in vulneratam ſeſe exonerent, & quandoque etiam copioſiorem ſanguinem ad eam transmittant, hinc excrementorum copia, ſed cum de hoc etiam ſuperius egerimus, & id ſatis probatum fuiſſe à Magato oſtenderimus, non eſt cur actum agamus.

Ob. eod. cap.

Reſp. Senn.

Rejicitur.

Objiciebant inſuper antiquo modo, quod ex frequenti detectione, & procuratione vulneris excitetur dolor, & præſtetur fluxionis occaſio, at à perito Chirurgo facilè præcaveri dolorem, affirmat Sennertus; & quamvis præcaveri non poſſet prorſus omnis dolor, monet tamen incommodum, & dolorem, qui ex retentis excrementis oriretur longè majorem, & periculoſiorem eſſe. Supponit Sennertus niſi quotidie vulnus procuretur retineri excrementa in vulnere, quod tamen falſum eſſe jam oſtenſum eſt, ex dextra procuratione vulneris vitabitur quidem fluxio, quæ inflammationem facit, non autem, quæ in excrementa deſinit, vt etiam ſuperiùs dictum eſt.

Ob. Mag. Reſp. Senn.

Objiciebant quoque ſpirituum, & caloris diſſipationem, quæ accidit in frequenti vulneris detectione. Negat verò Sennertus, in detectione vulneris, vbi ſanguinis fluxus ſubſtitit, ſpirituum, & caloris diſſipationem fieri, quòd vaſorum orificia iterum conniveant, & Natura de eorum conſervatione ſollicita, ea retineat, & ſola excrementa expellat, vt in criticis motionibus, vt non aliam caloris, & ſpirituum diſſipationem agnoſcere videatur præter eam, quæ accidit ex effuſione ſanguinis

guinis è diſſectis venis, hoc tamen gratis accipit, ob raritatem namque pororum corporis fit continua diſſipatio vtilis ſubſtantiæ, cum tamen cutis vniverſum corpus veſtiat, & cutem curticula tegat, quæ ſua denſitate diſſolutionem prohibet, quid expectandum, vbi penitiores partes non ſolum epidermidis, ſed & cutis beneficio deſtitutæ, ambienti, cujus antea carebant conſortio, ſunt expoſitæ? non ſolùm per vaſorum orificia, & cum ſanguine efferuntur ſpiritus, ſed & per exilia partium foramina, intra vaſa quidem continentur vitales ſpiritus, & cum ſanguine effluunt diſſectis venis, at verò alia quoque fit ſpirituum, & inſiti caloris ſubſtantiæ diſſipatio, ejus nimirum, qui in ipſa ſubſtantia partium eſt: qui enim calor partes generavit, nunquam eas deſerit, ſed in iisdem permanet, ſi Gal. credimus, vsque ad mortem; & hic calor propagatur, & nutritur ſpirituoſo ſanguine è venis egreſſo, vnde non ſolùm cum vulnus infligitur, diffluit hæc ſubſtantia, ſed quoties vulnus detegitur, per tenuia foramini aliquid partis ſpirituoſæ diſſolvitur, quia deeſt naturale tegumentum, & à medicamentis etiam impoſitis, atque à tegumento ipſo magis rarefiunt penitiores partes, & reſolutioni redduntur promptiores, connivent quidem vaſorum orificia, quia diſſectæ partes in carnem ſe recipiunt, & ab ea teguntur, at non occluduntur pori, ideò ſanguis ſupprimitur, at non impeditur, quin detecto vulnere ſubſtantia naturalis caloris diſſolvatur; & quamvis Natura ſit ſollicita de caloris, & ſpirituum conſervatione, non tamen ſemper, & cum patent viæ, impedire poteſt eorum diſſolutionem, & in hepatis inflammatione Natura ſollicita eſt de inſiti caloris conſervatione, & excrementa expellere, vtilia retinere totis nervis contendit, nihilominus niſi cum digerentibus, & laxantibus medicamentis miſceantur adſtringentia, diſſolvi nativum calorem, & ſalutem in diſcrimen adduci nemo ignorat.

Rejicitur Non per ſola diſſecta vaſa disſipantur, & exhalant ſpiritus, ſed & per exilia partium foramina.

Negat

Ob. Magat. Reſp. Senn. p. 526. Rejicitur.

Negat, quoties vulnus detegitur, toties operantem Naturam interpellari, & à proprio munere diſtrahi, quod pariter objiciebant viri illi antiquo modo, cum tamen hoc adeò manifeſtum ſit, vt tergi verſari non liceat. Cum vulnus tegitur, & Natura proprium munus aggreſſa eſt, donec tectum manet, ſemper in actu ſecundo eſt, vt more philoſophorum loquar, ſemper operatur, concoquit, ſuppurationem promovet, expellit; carnem generat, & nunquam otioſa eſt, at cum vulnus detegitur, illico ceſſat, interrupta. Ubi vulnus procuraveris, paulò poſt ipſum detegas, & quale reliquiſti, cum medicamentum applicabas, tale prorſus eſſe comperies, nihil immutatum: nullum excrementum animadvertes, nihil carnis genitum fuiſſe, ſed veluti oriatur Natura, donec jactura reſarciatur, addit turbari potius Naturam, ſi vulnus ab excrementis non mundetur, id quoque nos fatemur, ſed negamus, non mundari ſub tegumento citra manualem abſterſionem, immo, ſi adſint ſubfluxiones, longè meliùs expurgari oſtendit Magatus c. 33. 1. lib. Niſi manuali operatione emundetur vulnus, in eo retineri excrementa ſibi perſuadet Sennertus, ſed in hoc decipitur, ignoſcendum tamen ei eſt, qui experientiam non conſulvit, & qualitatem hujus curationis nondum aſſecutus eſt.

Interrumpitur actio Naturæ, cum vulnus ſolvitur.

p. 526. Ob. Senn.

Malè etiam à Magato ſoluta fuiſſe argumenta, quibus ſtabilitur Communis modus, oſtendere nititur Sennert. & primum excrementa cogere ad crebram ſolutionem contendit, quod negabant Magatus, & Septalius, falſumque eſſe, quod tenue excrementum ſemper per halitum digeratur, cum ſæpè vulnus valdè humidum reddat, & magna copia affluat: teſtemque experientia adducit. At viri illi nunquam dixerunt, excrementum tenue ſemper digeri per halitum, ſed partim per halitum digeri, partim à calore ſeu expultrice partis extra vulnus pelli; non quocunque modo tractato vulnere, ſed novo modo propter robur nativo calori ex tegumento comparatum, & quomodo experientiam adducit, ſi raram ſolutionem

Ad primam rationem, & ſecundam. Tenue excrementum non cogere ad crebram ſolutionem. Cont. Sennert.

tionem nunquam expertus eſt? ſi id obſervavit ſub antiquo modo, quid ad viros illos: Hoc, & ipſi confitentur, & antiquo modo objiciunt, & ideo raram ſolutionem diligunt, negat etiam, excrementum craſſum, & ſi puri miſceri admittat, ſpontè totum evacuari: & ſi evacuatur, tardius id fieri aſſerit, & propterea retentum acrimoniam acquirere, & dolorem, ac novum affluxum parere, ideòque maturè, antequàm hoc fiat, evacuandum, & abſtergendum, & vulnus quoties opus, detegendum. At viri illi ſi vulnus ſub tegumento ſervetur, paratis tamen idoneis ſubfluxionibus, ſpontè effluere excrementa profitentur, non autem retineri; conſulenda erat experientia, à qua viri illi id didicerunt, fatentur, quoties opus eſt, detegendum eſſe vulnus, at non admittunt, opus eſſe id facere quotidie; Novumque modum ſolvere quoties opus eſt, perſuaſum habent. Addit Sennertus in ſui aſſerti comprobationem, Naturam quidem vtile ab inutili ſeparare: at vbi excrementum ab vtili ſeparatum eſt, & in vulneris cavitate hæret, non amplius in poteſtate Naturæ eſſe, neque Naturam id expellere poſſe, ſed vel ſpontè, & pondere effluere, vel à ſuccreſcente carne protrudi, idque ni fiat, in vulnere relinqui, at ſi tractaſſet vulnera, profecto non negaſſet, à vulneris cavitate pelli à Natura extra vulnus excrementa, cum egreſſus patet, quis enim, cum vulnus detegit, non comperit appoſita lintea, & circumjacentes partes pure conſpurcatas, etiam tractato vulnere communi modo, in quo à linamentis impoſitis magna ex parte ſupprimuntur excrementa, quamvis orificium vulneris ſurſum vergat? vnde nam effluunt niſi à cavitate vulneris? quomodo ſurſum aſcenderent, niſi expellerentur ab expultrice partis? cur à poteſtate Naturæ exempta eſt materia in cavitate vulneris contenta? quotidie cernimus pelli globulos plumbeos, oſſicula, turundas, medentis incuria intus relictas, & alia peregrina corpora, à cavitate vulneris, & pus ſolum non erit in ditione Naturæ? A cavitate abdominis pellitur pus ad in-

Neque craſſum excrementum cogere ad crebram ſolutionem.

Excrementa in vulneris cavitate contenta non eximi à poteſtate Naturæ.

inguina, & fit bubo, & à cavitate thoracis, & pleura per venam azigos ad venam adipoſam, & renalem, tandemque per vrinas excernitur, & quandoque etiam per alvum, & à cavitate vulneris pelli non poterit? nonne, & per oſſa ipſa fieri abſceſſus opinatur Hipp. vbi virtus valida fuerit? mirum, retulit cap. 5. Hiſtoriam ſtudioſi cultro vulnerati ad naſi radicem, internumque dextri oculi angulum, & partis cultri, vi ictus confracti, infixæ in oſſe, & ibi relictæ, & tandem conſolidato vulnere per palatum à Natura expulſæ, & negat purulentam materiam, in vulneris cavitate exiſtentem, ſubdi expultrici partis. Datam eſſe expultricem partibus, vt, quod ſibi moleſtum eſt, expellant, nemo ignorat, pus verò, & excrementa omnia infenſa eſſe vulneratæ parti, nemo, arbitror, negabit, cur ergo ex ejus irritamento ad expellendum non excitabitur? fateor, ſi vulneris orificium deorſum ſpectet, facilius à Natura propelli, quoniam, & ſponte ob ſuam gravitatem deorſum fertur, & hac etiam de cauſa parantur ſubfluxiones in novo modo. neque quod vulnera ſint in anterioribus, aut poſterioribus partibus ob id non poteſt ſitu partis facilis reddi excrementorum expulſio, quamvis commodum non ſit, ægrum pronum jacere, & decubitus in vulneratam partem videatur incommodus, ac moleſtus; non enim neceſſe eſt, vt patiens ſemper ita decumbat, ut vulneris orificium deorſum vergat, ſed ſatis eſt, ſi quandoque ita jaceat, puta per horæ quadrantem ter, aut quater ſingula die. Neque decubitus in partem vulneratam ſimpliciter moleſtus eſt, ac laborioſus, ſed tunc tantùm, cum turundis, ac penicillis curatio perficitur, at cum nihil eſt in vulnere, quod comprimat, aut diſtendat, non eſt moleſtus decubitus in partem vulneratam, addamus, nec ſemper neceſſarium eſſe, ut orificium deorſum vergat, ſed ſæpè ſufficere, ſi ſurſum verſum non ſpectet; ad latera namque non multo negotio pellit Natura.

Situ partis poſſe reddi facilem excrementorum effluxum, quamvis vulnus ſit in anterioribus, aut poſterioribus partibus.

Non

Non eſſe neceſſariam quotidianam, ſeu crebram abſtergentium medicamentorum applicationem ad detergenda craſſa excrementa vulnerum probabat Magatus cap. 33. ex abſceſſibus, quorum materia ex Galen. 13. Meth. 5. diſcutientibus absque vſu abſtergentium diſſolvitur, & ex diſruptis abſceſſibus, qui ſæpè ſanantur nullo abſtergente immiſſo, ſed ſoli oſculo admoto medicamento; & ex vulneribus admodum cavis, ad quorum fundum medicamentum pertingere non poteſt: & ex vulneribus internarum partium, quibus adhiberi non poſſunt opportuna medicamenta, diſſolvit primam rationem Sennertus, monens Galenum ad pus abſceſſuum diſcutiendum uti medicamentis diſcutientibus valentibus, & fortibus, quæ in vulneribus non adhibentur, & proinde neceſſarium eſſe quotidianum uſum abſtergentium, at hæc expoſitio non quadrat Galen. verbis, immo Galen. à principio valentia, & fortia diſcutientia reprobat, ut quæ magis irritent, quàm digerant, & tunc tantùm ea admittit, cum id, quod ex phlegmone relinquitur, ſcyrrhoſum effectum videtur. Si pus aliquod notabile in ſuppurante particula ſit contentum, dicebat, non expedit protinus incidere, immò exhalationem moliri medicamentis, ad id valentibus, per medicamenta ad id valentia non intelligit, fortia in eo genere, ſed quæ poſſint exhalationem moliri, unde gradum determinans ſubjungit, quorum vſus ex affectu ſit conjectatus: quippe cum phlegmones Naturæ quidquam in membro adhuc reſtat, acria medicamenta magis irritant, quàm digerant, en fortia à principio damnat, quorum vſum permittit, & tutum affirmat, cum id, quod ex phlegmone relinquitur, velut ſcyrrhoſum effectum videtur, ſubjungens. Cum verò, quod ex phlegmone relinquitur, ſcyrrhoſum effectum videtur, fidenter jam (prius timenda erant) valentibus medicamentis vteris. Si Sennertus ipſe Galenum legiſſet, & non alteri hoc negotium commiſiſſet, facilè animadvertiſſet, Galenum ea dictione, valentibus, non fuiſſe bis

Ob. Mag.

p. 527.

Reſp. Senn.

Confutatio.

Reſp. Secun.

vſum in eàdem ſignificatione, ſed primo loco, vt participio, in altero verò, vt adjectivo, quod forte, & ſtrenuum ſignificat. Sed cur hic ad valentia diſcutientia confugiat, qui lib. 1. p. 1. c. 6. curationem ſinus recipit à Franciſco Arcæo propoſitam, in qua neque in cavitatem immittuntur abſtergentia, neque valida diſcutientia admoventur, ſed ſola deligatio expreſſiva adhibetur? *Reſp. Senn.* Abſceſſus diſruptos, & vulnera cava, non ſemper ſanari, monet Sennertus absque abſtergentibus, ſed ſæpè abſtergentibus injectis opus eſſe, aut ſi talia non adhibeantur, ſinum comprimendum eſſe, vt pus effluat, & exprimatur, idque ſæpè faciendum, atque ea de cauſa vulnus ſæpe detegendum. Interna pariter vulnera non ſemper ſanari, absque abſtergentium vſu ſcribit, ſed in iis ſolùm partibus, in quibus pauca excrementa colliguntur, & patentem, & pronum exitum habent; aliàs ſi excrementa detinerentur, vulnera illa non ſanarentur, & ſæpè vulneris parietibus pus, & excrementa adeo tenaciter adhærere, vt ſpontè effluere nequeant, ſed manuali operatione ſint detergenda. *Confirm.* Cæterum neque hic Magati ſenſum eſt aſſecutus. Oſtendebatur ex Natura vulneris, neceſſariam eſſe crebram detectionem, & procurationem vulnerum, quia videlicet in eo propter naturalis caloris imbecillitatem neceſſariò duo generantur excrementa, quæ vulnerum ſanationi obſiſtunt, vnum tenue quod vulnus reddit humidum, alterum craſſum, quod ipſum reddit ſordidum, & propterea in curatione vulneris requiruntur medicamenta exſiccantia ratione tenuioris excrementi, & abſtergentia ratione craſſioris; & cum nullum ſit tempus, in quo non generentur hæc excrementa in vulnere, nullum etiam eſſe tempus, inferebatur, in quo non ſint neceſſaria hæc duo medicamentorum genera. vnde cum medicamenta ſemel appoſita non retineant diutius vires ſuas, ſequebatur, crebrò eſſe immutanda. Contra, Magatus contendit, non eſſe neceſſariam crebram hanc detectionem, neque tendere ex Natura vulneris, vt excremen-

crementa generentur, quæ crebram hanc ſolutionem expoſcant, & primò id oſtendit in craſſis excrementis, quæ majorem difficultatem facere videbantur, cum abſtergeri deſiderent, & abſterſio ex Gal. ipſo ſit medicamentorum opus. Atqui non eſſe neceſſariam crebram hanc appoſitionem abſtergentium ad expurgandum vulnus à ſordibus oſtendit ex vulneribus profundis externarum partium, & ex vulneribus viſcerum, quæ ſanantur absque vſu abſtergentium: quod etiam fatetur Sennertus ipſe, recenſetque nonnullas hiſtorias internorum vulnerum, quæ coaluerunt absque vſu medicamentorum, idem etiam declarat exemplo abſceſſuum, qui diſcutientibus à Gal. ſanantur, & diſruptorum abſceſſuum, qui ſanantur ſæpè nullo abſtergente in cavitatem immiſſo, ſed ſoli oſculo appoſito medicamento, cum tamen non minus generentur ſordes in abſceſſibus, quàm in vulneribus; immò fortaſſe magis, & deteriores. Si neceſſariò generarentur in vulnere craſſa excrementa, quæ abſterſionem requirerent, ita vult arguere Magatus, nunquam ſanarentur abſceſſus, & vulnera cava absque vſu abſtergentium, quoniam abſterſio eſt medicamentorum opus, atqui ſanantur, igitur aut non generantur neceſſariò in vulnere ea excrementa, aut abſterſio non eſt medicamentorum opus, & ſi quando neceſſaria ſit abſterſio, quæ fit per medicamenta quod non negat Magatus, id erit ex accidenti. Cum non generentur neceſſariò hæc excrementa in vulneribus, non poterat ex eis confici generalis methodus ad curanda omnia vulnera, hoc eſt quod contendit Magatus cum Septalio, neque eſt fugæ locus, ſi eorum proceſſus conſideretur.

Reſp. Mag. qua negat neceſſariam eſſe immutationem medicamentorum in cura vuln.

Non eſſe neceſſariam in curatione vulnerum mutationem illam medicamentorum, quæ obſervatur in communi modo, hoc eſt, non eſſe neceſſarium, ut primò ſuppurantia e. g. adhibeantur, deinde abſtergentia, poſtea carnem generantia, & poſtremò cicatricem inducentia, contendebat Magatus quoniam curatio non fit medicamen-

mentis, ſed Naturæ committitur in novo modo, & in eo laboratur, ut robur Naturæ comparetur, & propterea uno medicamento diverſis temporibus curari vulnus poſſe, cum ſatis ſit ſi naturalem calorem fovere, ac tueri poſſit.

528. Ob. Senn. Contra, Sennertus, falſa hic præſupponi principia, ait, & primum, quod Natura omnia, quæ ad vulneris ſanationem neceſſaria ſunt, ſola præſtare poſſit, cum excrementa ſeparata ſola non poſſit expellere, utpotè quæ ſæpè tenacia ſint, & parti adhæreant, & ideo abſtergentibus opus ſit; cum præſertim illa per ſe ſponte non ſemper effluant, nec membrum ſemper ita locari poſſit, ut ſponte effluant; & quandoque etiam manualis abſterſio adhibenda ſit. Alterum eſt, quod Natura in opere ſuo nullis medicamentis, quibus adjuvetur, indigeat, id enim falſum eſſe, experientia conſtare, ait, quæ docet, à principio digeſtiva utilia eſſe, & in progreſſa noxia. Tertium, quod hinc conſequitur, etiam falſum eſſe, ſibi perſuadet, quod ſcilicet unicum medicamentum toto morbi tempore ſufficiat, modò corpulentia ſua tegumenti loco eſſe poſſit, quia ſi hoc ita ſe haberet, inquit, loco emplaſtri corium aliquod imponere liceret, aut quodvis emplaſtrum pro quocunque uſurpare, quod nemo prudens faceret, ſibimetque contradicere Magatum, animadvertit, qui cap. 36. ejusd. lib. ſcribit, non quodlibet tegumentum, utcunque paratum, aptum eſſe ad tuendum, & roborandum naturalem calorem, ut convenit, & quod in una parte decens tegumentum eſt, in alia parte inconveniens, immo noxium eſſe.

Reſponſio poſt ad 3. Impedimentis removendis ſtuduit Magatus, ut Natura ſanare poſſet vulnera. Quod ad primum nullibi comperi, quod Magatus dixerit, ſolam Naturam ſufficere ad ſananda vulnera; immo valde ſollicitum eum animadverto de omnibus impedimentis, peregrina coropora detrahit, labia adducit, cum opus eſt, ſubfluxiones parat ad facilem excrementorum expurgationem, inhibendi fluxioni quàm maximè ſtudet, ſanguinis fluores compeſcit, & alia ſymptomata corrigit, calorem naturalem fovet, ac roborat: nihil denique

que contemnit, quod ad vulnerum curationem deſiderari poſſit. Naturæ quidem eſſe ſanare vulnera, profeſſus eſt, cum ea ſit, quæ agglutinat, ſuppurat, carne vulnus replet, & cicatricem etiam inducit. Sed & Medici eſſe impedimenta removere, ſæpius inculcat. Nec aliam doctrinam nobis reliquit Galen. unde 4. Meth. 3. Sive ulcera ſimpliciter ſint, dicebat, ſive cum cavitate, ſi quis diligenter æſtimet, ex fugiendis, proſpiciendisque iis, quæ Naturæ officiunt, ſanatio perficitur, quid vero in excrementa poſſit, ſuperius dictum eſt. Non negat, quin aliquando adeo tenacia ſint, & parti hæreant, ut abſtergentibus medicamentis, & manuali abſterſione indigeant, & utraque ratione etiam iis conſulit; at pendere à Natura vulneris, ut talia ſint, negat, ſed ex accidenti hoc eſſe, monet, quid quod neque, cum talia ſunt, crebra medicamentorum impoſitione opus habente ſed de hoc inferius.

Neque etiam profeſſus eſt, Naturam medicamentis non indigere, quod erat alterum falſum principium, immo tegumentum patavit ex duplici parte, linteis ſcilicet, ac medicamento: ſolum negavit, crebram admotionem eſſe neceſſariam, & obſervationem illam circa medicamentorum immutationem, perſuaſum habens, ſatis eſſe, ſi medicamentum vim haberet roborandi inſitum calorem, qui robuſtus factus reliqua perficit, ſuppurat, emundat vulnus, & replet carne; etiamſi vis medicamenti pereat, tunc tantum neceſſariam exiſtimavit permutationem medicamentorum, ubi crebro vulnus detegitur, quia enim non æque calor reſtituitur, cum aliquid ſuppurare debet, ſuppurantia deſiderantur, deinde abſtergentia, & tandem carnem generantia quæ quidem opera in novo modo ſub uno medicamento fæliciter perficiuntur ob vim tegumenti; non quidem, quod medicamentum illa exequatur, ſed reſtitutus calor, & ideo non eſt falſum tertium, quod appellat principium, videlicet unicum medicamentum toto morbi tempore ſufficere, ſed veriſſimum, occurrat vulnus ſclopo inflictum, habita ſuffluxionum ratione, in vulnus inſtillant ſup-

Ad tertiam.

Sub uno medicamento omnia opera quæ ad vulnerum ſanationem requiruntur Natura perficit.

pu-

puratorium opportunum, cauſa exempli, digeſtivum lotum, aut butyrum liquatum cum Oleo roſaceo lumbricato, aut Catellorum, ac de Ovorum vitellis, addito etiam præcipitato, ſi adſit aliqua futuræ corruptionis ſuſpicio, oſculo vero admovent medicamentum pariter ſuppurans, ſed ſolidioris conſiſtentiæ, inde apponunt juſtum tegumentum ex linteis, deligantque ad retentionem. Calor reſtitutus ſuppurationem promovebit, & paulatim etiam, ſi opportunæ adſint ſuffluxiones, quod ſuppuravit, expellet, abſolutaque hac operatione carnem generabit, etiamſi nullum aliud medicamentum apponatur, modò nihil ſuperveniat, quod curationem interturbet, aut aliquid connectatur cum vulnere, quod aliam providentiam requirat. Neque ob id inferendum eſt, Emplaſtri loco licere corium aliquod imponere. Non appellat Magatus tegumentum quidquid vulnus tegit, ſed quod tale eſt, quale ipſe deſcribit c. 35. ſi corium tantùm præſtare poteſt, vices tegumenti ſubeat. Neque ullam contradictionem in Magato video, ſi contradictio eſt ejuſdem de eodem, non enim ſibi invicem contradicunt unicum medicamentum toto morbi tempore ſufficere, modò corpulentia, ſeu conſiſtentia ſua tegumenti loco eſſe poſſit, & naturalem calorem foveat, ac tueatur (hoc prætermiſit Sennertus, cum tamen expreſsè habeatur apud Magatum cap. 35.) & Non quodlibet tegumentum utcunque paratum aptum eſſe ad tuendum, & roborandum calorem naturalem. Ex duobus enim conſtat tegumentum, ex linteis ſcilicet, aut alia materia ſimili, quæ tueatur ab externis injuriis vulneratam partem, ut cotone, vel ſtuppa tenui, aut lana, & ex medicamento idoneo. Si de toto tegumento ſit ſermo, non' idem tegumentum omnibus vulneribus, & omni ſubjecto, & cuilibet parti, & quolibet tempore aptum eſt, idque nemo, arbitror, negabit. Si de medicamento, idem medicamentum toto morbi decurſu, ut dictum eſt poteſt adhiberi, cum enim reſtitutus eſt calor, cuncta perficit absque

Unicum medicamentum poteſt ſufficere a principio curationis usque ad finem.

abſque ope medicamenti: quare utræque illæ propoſitiones veræ ſunt.

Negabat Magatus crebrò detegenda eſſe vulnera, ut effectus medicamenti cognoſcatur, an videlicet quantum ſatis eſt, exſiccaverit, ut inde eliciatur, an perſiſtere in eodem oporteat, vel potius magis, aut minus ſiccans ſit apponendum, quoniam in novo modo excrementorum cura non medicamentis, ſed Naturæ committitur majori ex parte. *Reſp. Magati ad aliud argumentum.* Contra, Sennertus contendit, hoc neceſſarium eſſe, quia Natura aliquando, quod intendit, obtinere non poteſt, vel quia debilis eſt, vel quia objecti, in quod agit, copia obruitur, & proinde medicamentis fovendam eſſe partis temperiem, & quidem aliis alio tempore, & excrementorum curam habendam eſſe, & ideò rem omnem Naturæ committere, & otioſum ſpectatorem ſe præbere, temerarium eſſe, cum facilè fieri poſſit, ut humiditate abundante in vulnere, in ulcus id degeneret. *p. 529. Ob. Senn.* Sed jam dictum eſt, quid Natura poſſit, & quid illi committatur in novo modo, & quid medicamenta præſtent. *Reſp. ad 4.* Accipit Sennertus, in novo modo Medicum otioſum ſpectatorem eſſe, nullam excrementorum curam habere, permittere ut ſuperflua humiditas colligatur in vulnere, ſimplici denique modo, & eo, quem à principio ſibi finxit, tractare vulnera, quod quàm à veritate ſit alienum, ex iis, quæ hactenus objecta ſua diluentes diximus, ſatis ſuperque patet. Aerem verberat Sennertus cum impugnare conetur, quod nondum intelligit. Non eſt otioſus ſpectator Medicus in novo modo, omnia perpendit, omnibus proſpicit, præcipuè autem de expurgatione excrementorum ſollicitus eſt; neque permittit; ut congerantur in vulnere, ſed curat, ut vix in cavitatem expulſa efferantur, idque ſine crebra medicamentorum impoſitione: & propterea nihil eſt, cur effectum medicamentorum obſervet, vulnus quotidie detegendo.

Negabat Magatus, neceſſariam eſſe crebram ſolutionem, ut cognoſcatur vulneris ſtatus, & prævideri poſſint *Reſp. Magati ad aliud.* im-

impendentia mala, & opportunis remediis averti, & ex aliis indiciis innoteſcere contendebat: de iiſque agit ſatis diffusè c. 39. contra, Sennertus eam neceſſariam arbitratur, conjecturas Magati ſæpè incertas eſſe affirmat: immo quædam vulneribus accidere poſſe, quæ non niſi oculari inſpectione innoteſcunt, ut fungi cerebri, vermes in vulneribus, caro ſupercreſcens, & ideo non eſſe tutum expectare, donec talia ſigna, ut dolores, febres, fœtor, & ſimilia accedant, cum iis ſupervenientibus æger plerumque in maximo periculo verſetur, quod oculari inſpectione prænoſcere, & avertere par erat, & tutius & ſæpe unius diei, immo paucarum horarum ſpatio grave aliquod malum ſupervenire poſſe, & adducit Parei vermes.

Ob. Sen. p. 529.

Poſt Reſp. ad 4. 5. & 8.

Status vulneris cognoſci poteſt absque oculari inſpectione.

Cæterum, ſi vulneribus curandis operam dediſſet, non ita incertas ſtatuiſſet Magati conjecturas, ex dolore, tenſione, pruritu, fœtore, profluentibus excrementis, pulſu, & propriis partium ſymptomatis deſumptas, febre, quæ non ex generatione puris ortum habuerit, ſi autem, quod aliquando non oſtendant determinatè, quod ſuper venit, aut impendet mali, ſaltem indicabunt impendere aut acceſſiſſe, quod ſolutionem requirit: ſaltem ancipitem reddent Medicum; in dubio autem vulnus detegunt, ut videre eſt apud Magatum c. 39. Ubi, quæ ad vulnus proſpera ſunt, rectè ſe habent, latere non poteſt, vulnus doloris eſt expers, nulla adeſt tenſio, non gravitatis ſenſus, excrementa optimè expurgantur, procul abeſt febris, ſaltem quæ ex generatione puris cauſam non habet, nihil ferme habet, de quo conqueratur vulneratus, ubi aliter res ſe habet, timendum, quid autem timendum ſit, ipſa vulneris qualitas declarabit, in prima vulneris inſpectione peritus Medicus, unde nam, & quæ ſupervenire poſſint mala, perbellè cognoſcit; cum poſtea res non benè ſuccedit, illico, quid mali acceſſerit, exploratum habet, etiam ſi vulnus non detegat. Neque qui quotidie vulnus detegunt, exactius, quæ futura ſunt, prævident, quoties namque inopinato in capitis vulneribus ſupervenit

nit bilis vomitus, & febris? quoties fungi? quoties in nervorum vulneribus convulſio? quoties hærent, & inopes conſilii ſunt, quamvis vulnus quotidie ſemel, & iterum inſpiciant? Quid, quod ſæpe ex iis, quæ de ſuo ſtatu vulneratus refert, cum interrogatur, magis quàm à crebra illa inſpectione, quid immineat, ſuperveneritve, percipiunt? cur enim, ſi vulneris diſppſitio, aut excrementorum qualitas, quantitasve illis minimè arrideat, diligenter à vulnerato, quàm immutationem, alterationemve in ſeipſo ſentiat, perquirunt, niſi quia probè noverunt, nihil ſibi prodeſſe ocularem illam inſpectionem, niſi cauſam pravæ diſpoſitionis ab ipſo ægro didicerint? Qui ergo novum modum ſequuntur, dum quamlibet immutationem in vulnerato ex ipſius ore depromunt, de hoc enim valdè ſunt ſolliciti, & pulſum explorant, an benè vel malè diſpoſitum ſit vulnus, probè intelligunt, & quid immineat, & quid facto opus ſit, & nunquid adhibenda ſit ocularis inſpectio. Credidit Sennertus in novo modo, quia vulnus quotidie non detegitur, non poſſe opportunè imminentia mala prævideri, ſed tunc tantum innoteſcere, cum jam inſigne detrimentum ſecutum eſt; at fallitur, cum nec minima alteratio latere poſſit oculatum Medicum, qui & vulneris progreſſum accuratè obſervat, & quamlibet corporis alterationem, & ſæpè interrogans oculis mentis id aſſequitur, quod ipſa oculari inſpectione non poterit, non raró enim vulnus probè diſpoſitum intuemur, & tamen latet anguis in herba; idque ex ore ipſius vulnerati elicimus, minima quævis alteratio vulneris corpus alterat, at corporis alteratio non ſemper ſtatim ſe prodit in vulnere, quamvis inſignis ſit. Hæc difficile erit, perſuadere Sennerto, at iis, qui in curandis vulneribus verſati ſunt, nova non erunt. Quod verò ad ſupercreſcentem carnem, quoniam non ſupercreſcit, niſi cum vulnus carne repletum eſt, ex eo tempore quilibet conjiciet, quando id timendum ſit, & cum eò deventum eſt, nihil in vulnere eſt, quod negotium faciat.

 Ex

Ob. Sennert. p 530. Poſt Reſp. ad 6. Immanditia linteorum puritatem vulneris arguit.

Ex immundis linteis arguit Sennertus immunditiam vulneris, & neceſſitatem ſolutionis, quod tamen non movebat Magatum, cum potius inde arguere debuiſſet munditiam vulneris. Etenim dum vulnus optimè expurgatur, conſpurcantur lintea, contra, cum minus conſpurcata ſunt, vulnus minus expurgatur, & conſequenter magis immundum eſt, & ideò inter ſigna vulneris optimè diſpoſiti, jure recenſentur conſpurcata valde juxta qualitatem vulneris lintea.

Reſp Magati ad ultimum argumentum. Ob. Senn. Poſt Reſp. ad 7.

Halituum gratia ſolvendum eſſe vulnus negant Magatus, & Septalius, quia non ſupprimuntur prorſus, & qui ſupprimuntur, non in vulnere, ſed ad circumſitas partes ſupprimi, profitentur, ut vulneri obeſſe nequeant. Contra Sennertus, facilè detineri vapores illos, contendit, & linteaminibus, ac faſciis ſeſe immiſcere, & fœtore ſuo partem vulneratam offendere. Non ſemper pravi halitus elevantur à vulnere, ſeu vulnerata parte, ſed plerumque benigni, niſi quid mali vulneri accidat. Ubi pus bonum generatur, benigni quoque ſunt vapores, & ab illis, quamvis retinerentur, nihil mali vereri oportet, ſed pruritum ſolum. In putredine, & corruptione halitus pravi ſunt. Sed non ita frequens eſt hæc putredo, atque corruptio in vulneribus; & ejus gratia quandoque vulnus ſolvunt, unde & pravis halitibus egreſſus datur, tunc tamen curationem adhiberi conjuncto affectui profitentur, minimè autem vulneri.

Utrum Galenus prætermiſerit indicationem, quæ à nativi caloris læſione ſumitur, hujusque indicationis obſervatio novum novum curandi vulnera modum conſtituat.

CONSIDERATIO V.

PRætermiſſam fuiſſe à Galeno, ubi vulnerum curationem tractavit, indicationem, quæ à læſione nativi caloris ſumi debet, contendit Magatus cap. 31. pr.

lib.

lib. & propterea coactum fuiſſe confugere ad indicationes inutiles, & minimè neceſſarias. Fatetur quidem Sennertus Naturam eſſe vulnerum medicatricem, eamque ſolam caloris innati beneficio, non medicamenta, glutinationem vulneris perficere, ob idque calorem, & temperiem partis conſervandam, & fovendam eſſe, negat verò hanc indicationem fuiſſe à Gal. prætermiſſam: quamvis enim inquit, ubi ex profeſſo de vulnerum curatione agit, id præterierit, aliis tamen in locis paſſim inculcat, nullam fieri poſſe vulneris ſanationem, niſi pars ſuam naturalem temperiem obtineat: ſubjungitque ea ipſa medicamenta, quæ dicuntur ſarcotica, ad partis calorem conſervandum comparata eſſe, & p. 522. ſibi videri, ait, medicamenta illa digeſtiva, Sarcotica, & glutinantia potius ad caloris nativi conſervationem, quàm ad aliud quid præſtandum inventa eſſe. Sed Gal. ipſe ſeipſum explicet, & hanc controverſiam dirimat.

Profectò Gal. ſæpè inculcat, præſertim autem id habet 4. Meth. 1. Temperatam eſſe debere ſubjectam carnem ad vulnera conglutinanda, & carne implenda, & lib. Art. Med. 90. ut vulneris labia coaleſcant, partis ſubſtantiam ſalubrem conſervandam eſſe monuit, atqui, ſi diligenter inſpiciamus, non reſpexit Gal. læſionem caloris naturalis, ſeu temperiei à vulnere contractam, ſed læſionem temperamenti ab affluxu ſuccorum, aut ab excrementis, quæ in vulnere ſuccreſcunt, provenientem, & ideò corpus juxtà exigentiam evacuat, & fluxioni inhibendæ ſtudet 4. Meth. 6. & lib. Art. Med. 90. expreſsè ait, Conſervari ſalubrem partis ſubſtantiam mediocriter exſiccantibus, quæ quidem exſiccantia non reſpiciunt nativum calorem niſi per accidens, dum enim abſumunt excrementa vulnerum, prohibent, ne ab ipſis detrimentum patiatur naturalis calor. Obſervanda ſunt autem Galeni verba; inquit enim, partis ſubſtantiam ſalubrem conſervandam eſſe, reſpiciendo ad everſionem temperamenti, quæ impendet ab excrementis vulneris, quaſi præ-

ſupponens partis vulneratæ ſubſtantiam ſalubrem eſſe ante excrementorum generationem, & ante affluxum humorum, & proinde in eo ſtatu conſervandam eſſe, ſeu præſervandam à noxa, quam illi inferre poſſunt excrementa vulneris, & ſuccorum affluxus. Verum præter hujusmodi intemperiem, quæ etiam evitari poteſt, Magatus, & Septalius aliam intemperiei ſortem, quam evitare non liceat, fieri in parte ob vulnus profitentur, atque de ea diffusè agit Magatus c. 10. pr. lib. ex effuſione ſanguinis, ſpirituum diſſipatione, interceptione influentis caloris, & occurſu ambientis, quam idcirco frigidam intemperiem privativam appellare poſſumus, quia videlicet pars vulnerata intemperata redditur, non quidem quod influxerint humores ad partem, ſed quoniam ſubſtantia nativi caloris ſit diſſipata, & ejus qualitas, ac energia, ut ità dicam, hebetata, & propterea langueat nativus calor in parte. Hujus intemperiei, utpote quæ omne vulnus comitatur, habendam eſſe rationem in omni vulnere contendunt Magatus, & Septalius, idque etiam fatetur ipſemet Sennertus, reſarciendam hanc jacturam nativi caloris prædicant, & Galenum de hac re ne verbum quidem feciſſe conqueruntur, & quidem, ubi Gal. hujusce indicationis meminerit, reperire non eſt Hæc temperamenti, ſeu naturalis caloris læſio contingens ex vulnere, negari non poteſt; eamque abundè probavit Magatus cap. 10. immo ex ipſo Gal. collegit, & Magato prius eam animadvertit Dynus Florentinus 4. 4. Tract. 1. cap. 4. ubi propter imbecillitatem coctricis duo illa excrementa generari ſcribit in quolibet vulnere cavo, & propter expultricis imbecillitatem non expelli: cum enim nondum humores ad partem fluxerint, imbecillitas illa non aliunde poteſt contingere, quàm ex naturalis caloris offenſa, ejusdem meminit Thomas à Vega in Art. Med. c. 90. & Hieron. Fabritius ab Aquapendente 2. ſuæ Chirurg. c. 7. partem vulneratam debilem eſſe affirmat, & propptereà corporis excrementa abundantiùs ad eam confluere,

De intemperie vulneratæ partis ex caloris naturalis imbecillitate.

p. 521. 522.

fluere, eamque non poſſe alimentum ritè conficere, indeque multa excrementa reſultare, quæ cum ob imbecillitatem nequeant extra vulnus propelli, partem ad humidam intemperiem permutant, hanc autem imbecillitatem non aliunde provenire poſſe, quam à temperamenti læſione certum eſt, & in eadem ſententia eſt ipſemet Sennert. unde cap. 1. ſui Tract. de Vulneribus, Temperamentum verò, dicebat, equidem proximè, & immediatè à vulnere non læditur, mediatè tamen, dum nimirum vaſis diſſectis, & ſanguine effuſo ſimul calor partis diſſipatur, & ſanguinis, ac ſpiritus, & caloris influentis, qui ad partis temperamentum neceſſarius eſt, influxus impeditur, quibus de cauſis omnibus partis attractio, coctio, nutritio, & expulſio læditur. Atque hinc accidit, ut partis temperamento mutato, plura, quàm aliàs conſueverunt, in ea generentur excrementa, inde etiam provenit, ut pus non ſtatim in principio, ſed poſteà circa quartum ſcilicet diem generetur, ubi ſcilicet calor partis diſſipatus iterum reſtituitur. Si temperamentum læſum eſt ob diſpendium, quod contraxit nativus calor à vulnere, hujuſce læſionis habenda erat aliqua ratio, & tamen eam ſpreviſſe viſus eſt Gal. Neque huc reſpiciunt glutinantia medicamenta, Sarcotica, ac ſuppurantia, ut contendit Sennertus, neque eò reſpicere hujusmodi medicamenta credidit Gal. nam opus glutinantium atque ſarcoticorum circa ſuperfluam humiditatem verſatur, unde 3. Meth. 4. & 2. de Comp. Med per gen. 21. Medium locum obtinere ſcribit glutinantia, inter ſarcotica, & epulotica, ut quæ non ſolùm ſuperfluam humiditatem abſumant, ut ſarcotica, verùm etiam fluentem in majori quantitate ſanguinem, at propriam carnis humiditatem intactam relinquunt, quam tamen exſiccant ipſa epulotica, ut ſola vis exſiccandi in ipſis conſideretur, & ideo aliqua etiam refrigerantia inter ſarcotica, & glutinantia recenſentur. Neque eſt, cur Sennertus objiciat, eſſe aliquot ſarcotica, & glutinantia, quæ à totius ſubſtantiæ proprietate calorem

Glutinantia ſarcotica, & ſuppurantia non reſpiciunt eam naturalis caloris jacturam.

rem nativum roborant, & adjuvant in carnis generatione, & agglutinatione, hoc etenim non eſt proprium ſarcoticorum, & agglutinantium opus, ſed peculiaris aliquorum conditio, qua ſi carerent, eſſent etiam ſarcotica, & agglutinantia ex ipſo Gal. Suppurantia verò, licet ipſum nativum calorem reſpicere videantur, utpote, quæ ſimilia ſunt ipſi nativo calori ex Gal. 5. ſimpl. 6. & 9. atque emplaſtica, qua quidem facultc ſubſtantiam ejus adaugent, absque qualitatis intentione, aut immutatione, ut requirit puris generatio, ex Gal. adducto loco, at verò in ſola puris generatione ipſum adjuvant, in reliquis verò operibus eidem potius adverſantur, & ideò ſi pure genito in uſu ſuppurantium perſiſtamus, ſupercreſcit caro mollis, & inutilis; nos autem in vulnerum curatione aliquo indigemus, quod in omnibus operibus præſto ſit nativo calori, quoniam ſecundùm omnia opera ſua imbecillis evaſit à vulnere, neque in ſolo vulnere, in quo aliquid ſuppurare debet, jacturam paſſus eſt, ſed & in eo, quod agglutinari debet, & carne repleri, quapropter cum medicamenta, quibus utitur Gal. in curatione vulnerum, jacturam, quam paſſus eſt nativus calor à vulnere, haud reſpiciant, prætermiſſam fuiſſe ab ipſo indicationem, quam præſtat naturalis caloris læſio, clarè patet, reliquum eſt, ut videamus, numquid hujuſce indicationis obſervatio novum curandi vulnera modum conſtituere valeat, quæ eſt ſententia Magati, & Septalii, & an Galenus hujusmodi indicationem prætermittens mancus fuerit. Unius quidem affectus plures eſſe poſſe medendi rationes, non eſt à ratione alienum, neque à Gal. & Hip. doctrina abhorret, quippe Gal. vulnera capitis cum detectione membranæ, & lenienti, & exſiccanti ratione curari poſſe ſcriptum reliquit 6. Meth. ultimo, & à Romanis Chirurgis magis probari lenientem rationem, in Aſia verò exſiccantem, & 6. Epid. 2. 9. duplicem animadvertit Dyſenteriæ curandæ rationem, per ea nimirum, quæ mordacem humorem inteſtina exulcerantem evacuant, necnon &

In vulnerum curatione aliquo indigemus, quod robur indat nativo calori ad omnia opera.

Unius affectus plures poſſunt eſſe medendi rationes.

& per ea, quæ eundem humorem attemperant. Hippoc. quoque lib. de Ulceribus Vulnera curari tradit, aut exſiccantibus, & ſuppurationem inhibentibus, aut ſi quis procuret, ut quàm citiſſimè ſuppurent. Quamvis ergo Gal. certam curandorum vulnerum rationem tradiderit, eandemque longa experientia confirmaverit, non erit abſurdum, ſi alterum curandi modum conſtitui dixerimus obſervatione indicationis à læſione naturalis caloris deſumptæ, quam prætermiſit Gal. Succurrat, quod in prima Quæſtione animadvertimus, videlicet Naturas, ex Hip. eſſe morborum medicatrices, ut plurimum, Medicum verò miniſtrum, & ideò curantes morbos, aliquando nos inſiſtere per ea, quæ ipſam Naturam roborant, ut robuſtior facta morbos, & morbificas cauſas elidat, aliquando verò per ea, quæ ipſis præter naturam affectibus ſunt contraria priorem curandi viam ſympathicam nonnulli appellant, quaſi per conſentientia incedentem, non quidem affectibus, ſed ipſi Naturæ, alteram verò antipathicam, quaſi contra ipſos affectibus contrariis decertantem. Febrem namque ex humorum putredine venæ ſectione, purgatione, refrigerantibus, deobſtruentibus curamus. At verò nonnunquam offa ex optimo vino exhibita proſtratas vires, & extinctioni proximas aliquando ita roboravit, ut evicta mali moris putredine hominem jam deploratum revocaverit. Illa quidem curatio Antipathica eſt, quia contra præternaturam affectus contrariis inſiſtit, hæc vero ſimpathica, quia Naturam roborat, ut robur adepta hoſtes proterat. Galenus igitur vulnerum curationem inſtituens Antipathicæ appellatæ magis viæ adhæſit, & ideo contra excrementa, quæ maximè curationi obſiſtunt vulnerum, contrariis decertavit, nimirum exſiccantibus, ac detergentibus medicamentis, atque manuali etiam abſterſione, & exſiccatione, & quoniam contraria debent eſſe æqualia curandis affectibus, propter copiam excrementorum conſiderandam monuit, & pro humiditatis, & ſorditiei ratione

Ad nonam & undecimam.

De curatione Antipathica, & Sympathica.

Galenus Antipathicam curationem vulnerum inſtituit.

modò valentiora, modò mitiora uſurpanda eſſe, ut vero magis innoteſceret humiditatis gradus, naturam quoque corporis, & affectæ partis animadvertendam ſtatuit, cum vulnus in corpore, & parte ſicciori exiſtens, licet æquè humidum videatur, ac illud, quod in humido corpore, & humida parte eſt, re vera, tamen humidius ſit, & ſiccioribus indigeat, & quoniam aſſiduo generantur excrementa illa in vulnere, & in qualibet vulneris parte ſuccreſcunt, idcirco nullum eſſe tempus, inferebat, in quo non utrunque medicamentorum genus deſideretur, & hujusmodi medicamenta debere undique vulneris partes tangere, & quia vis medicamenti ſemel impoſiti brevi ob calorem partis exoluitur, & ob excrementorum permixtionem corrumpitur, & in cavitate etiam vulneris congeruntur excrementa, ſequebatur inſuper, crebrò ſolvendum eſſe vulnus, & detracto priori, recens imponendum medicamentum poſt adhibitam manualem abſterſionem, atque exſiccationem, licet læſionem caloris naturalis viderit, indicationem tamen ab ea deſumtam preteriit, vel contemſit, quoniam excrementorum procurationem medicamentis, ac manuali operationi deferès, ea non indigebat. Quippe certum habeba, natiuum calorem, vbi excrementis fuerit conſultum, paulatim reſtitui, cum ſemper eius ſubſtantia regeneretur, & qualitas vegetior reddatur. Magatus verò ſympathica via magis inceſſit, conſiderans enim ob naturalis caloris imbecilitatem, ac defectum excrementa ſuccreſcere in vulnere, ac retineri, & vulneratam partem periculo fluxionis exponi, eiusdemque natiui caloris eſſe ſanare vulnera, maximam habendam eſſe eius imbecillitatis rationem exiſtimauit. Itaque parato congruo tegumento, de quo ſuperius, iacturam omnem, quam ex vulnere incurrit natiuus calor, reſarcire conatus eſt, ſibi perſuadens robuſtum calorem omnia, quæ ad ſananda vulnera requiruntur, egregiè præſtiturum, at veró, ne excrementa expellenti calori obſiſterent, opportunis ſuffluxionibus, ſi forte deeſſent, conſuluit, huic viæ inhæ-

Magatus Sympathicæ curationi vulnerum magis inhæſit.

hærens crebra medicamentorum impoſitione minimè indiguit, cum iis curationem non faciat, ſed ipſam Naturam medicatricem potiſſimum conſtituat. à robore natiui caloris ſuppurationem expectat, excrementorum expulſionem, agglunationem, cauitatis repletionem, ſeu carnis generationem, & ideo in eo roborando totus eſt, licet autem nonnunquam medicamentis vtatur, in dimetienda tamen eorum qualitate opus non habuit conſideratione excrementorum copiæ, & humiditatis vulneris, ac temperamenti totius, ac partis, ut Gal. cum iis medicamentis non excrementa vulneris, ſed potius ipſum nativum calorem ſpectet, & proinde ſi quæ vis in adpoſito medicamento eſt, quæ excrementa reſpiciat, nihil facit, ſi non multò poſt depereat, robore naturalis caloris contentus. In hac igitur curandi ratione, quia nulla, vel parva habetur ratio medicamenti ex ea parte, quæ excrementa reſpicit, ſuperflua eſt Gal. conſideratio, ſollicitudoque circa uſum, & immutationem ſiccantium, & abſtergentium medicamentorum pro qualitate humoris, & ſordis, temperamentique corporis, & partis: ideoque frater meus c. 31. primi lib. animadvertit, quia Gal. prætermiſit indicationem, quam præſtat naturalis caloris læſio, coactum fuiſſe confugere ad indicationes inutiles, ac ſuperfluas, in ſympatica nimirum via, in Antipathica verò Galen. non item, ſi enim medicamenta debent ſordes abſtergere, tenuiaque excrementa ſiccare, pro modo ſordis, ac humiditatis nunc mitiora, nunc valentiora ſunt uſurpanda, utquè melius, quàm humidum ſit vulnus, innoteſcat, Natura, ſeu temperamentum corporis, & partis eſt conſideranda: dandaque opera, ut medicamentum undique tangat vulneratam partem, &, quoniam, nunquam ceſſat excrementorum generatio, ut nunquam deſtituatur vulnus vi illa medicamentoſa. Non improbat frater meus, neque Septalius in ſua via ſympathica uſum agglutinantium, ubi agglutinandum eſt, & ſuppurantium, ubi ſuppuratio requiritur, & ſarcoticorum, ubi caro generanda eſt:

Curandi ratio Magati, & Galeni.

immo de tegumenti qualitate verba faciens c. 35. cum ex duplici parte conſtat, ex linteis, ſcilicet, ſeu ſpleniis, ac medicamento, hujus qualitatem proponens hæc habet, Et ſi quæ illi ineſſe debeat evidens qualitas, ſit exſiccans, niſi vulnus ſit contuſum, ut ad abſumptionem excrementorum faciat, aut ſuppurans, ſi vulnus ſuppuratione indigeat, agglutinans, ſi agglutinari poſtulet, at hanc qualitatem non eſſe neceſſariam profitentur, ita præſertim, ut vulnus aſſiduò ea perfruatur, nonnihil commodi ſperant, verùm eam non ſtatuunt curationis fundamentum, ut Galenus, ſed nativi caloris robur tegumento procuratum, cum enim vis illa medicamentoſa haberi omni tempore nequeat, niſi crebrò ſolvatur vulnus, unde multa incommoda; ſatius exiſtimarunt ſartum tectum ipſum ſervare, & carere vi illa, quam illius cauſa crebrò vulnus detegere, ſi ſuppeteret copia eorum medicamentorum, quæ ad unam, vel alteram hebdomadam, aut menſem integras vires retinent, de quibus Paracelſus, nemo ſanæ mentis non iis uteretur, eodem namque tempore vi illa medicamentoſa, ac tegumento frueretur vulnus, & duplici ratione, qui curanr vulnera, contra excrementa inſiſterent, ſed quoniam hujusmodi medicamenta deſideramus, pluris fecerunt viri illi commodum, quod præſtat tegumentum, cum eo roboratus calor excrementa non multo negotio expellat, perficiatque quod à medicamento expectabatur, at ſi crebrò detegatur vulnus, offendatur calor, & minus proſpera ſuccedat excrementorum expulſio, & alia incommoda accidant, de quibus frater meus, & Septalius. Maleficium aeris in curatione vulnerum Sennerto novum eſt, cum tamen illud abunde probauerit frater meus libr. 1. & quidem cap. 10. exemplo aliarum rerum naturalium, conſortio areis carentium, quæ non leue diſpendium incurrunt, ſi forte eius iniuriis exponantur, adducens oua, quæ, ſi vel rimula in eorum teſta contracta ſit, breui corrumpuntur, neque amplius excludendis pullis ſunt idonea, & poma, quæ

Cur Septalius, & Magatus ſpreverint medicamentorum vires, quæ excrementa reſpiciunt.

De aeris maleficio in curatione vulnerum.

quæ celeriter putreſcunt, ſi eorum cortex, vel leuiter diſſecetur, & arbores, quæ detracto cortice inareſcunt. c. vero 43. inſita, quæ pariter tabeſcunt, ſi ambienti ad illatam plagam ingreſſus detur, ſed ex propriis idem oſtendit iisdem in locis, proponens, quid interſit, quantum ad curationem, inter fracturas, & luxationes cum manifeſto vlcere, & eas, quæ ſine vlcere ſunt, cum hæ, coaptatis partibus facilè ſaneſcant, quamuis negari non poſſit, quit contractum ſit vlcus in penitioribus partibus, cum oſſa à proprio loco receſſerint, & ſurſum etiam attracta à muſculis irrepſerint, illæ verò tanta negotia faceſſant, immo luxata oſſa citra conuulſionis periculum, niſi forte articulus ex minoribus ſit, reponi nequeant Hippocrate auctore. eòdem ſpectant fracturæ caluariæ, quæ integra cute facilè, & breui ſanantur, modo oſſa ſubiectas partes non lædant, at ſi vlcus acceſſerit, excidenda ſint oſſa ex ipſo Hipp. niſi collectæ, aut congerendæ materiæ exitus pateat, & tam difficilis, ac periculoſa reddatur curatio. tam diuerſi enim euentus cauſam nullam aliam agnoſcit frater meus, niſi caloris natiui diſſipationem, & occurſum ambientis, quamnam aliam aſſignaret Sennertus, libenter ab eo intelligerem. Cum his fracturis, & cum illis vlcus reperitur, ſed cum his in partibus intimis, ad quas non peruadit aer, cum illis verò vlcus eſt conſpicuum, vnde exulceratæ partes aeris conſortium euitare nequeunt, igitur cum hæ tam prompte ſanentur, illæ verò ſemper difficiles, & ſæpè lethales ſint, cauſa referenda eſt in tegumenti effectum, & occurſum ambientis, vnde fit, vt ſubſtantia natiui caloris diſſipetur, & vivifica eius qualitas hebetetur, & ipſe natiuus calor imbecillior factus non poſſit, ita morbificas cauſas elidere, vt cum ambientis iniurias nondum eſt expertus. Nec dicat quiſpiam, me gratis ſumpſiſſe, quod in fracturis citra vlcus conſpicuum vlcus ſit in penitioribus partibus, cum id apertè habeamus à Gal. 6. Meth. vltimo, vbi hæc habet, nam pone in brachio ad medullam vſque os fractum eſſe,
 ne-

nemínemque poſteà pro fracturæ legibus id deligaſſe, omninò neceſſum erit, ſaniem, non ſolum, quæ foris ſub cute, & ſub muſculis eſt concluſa, ſed etiam quæ in medulla continetur, tum ipſam primum, ac maximè corrumpere, tum cum ipſa os vniuerſum, quando etiam nunc quoque omnibus rite peractis aliquando talia contingunt. ſi ſanies adeſt, igitur & vlcus, cum ſanies ſit excrementum vlceris. Addamus, ut magis pateat maleficium aeris in partibus, quæ nunquam anteà contactum eius admiſerunt, quam facilè omentum, illæſum quoque, ſi forte vulnerato abdomine extra profluxerit, putreſcat, vt propterea quidquid extrinſecus fluxit, à Chirurgis deligetur, quo putrefactum abſcedat, & eius corruptio ad ſanas partes minimè ſe extendat: & eadem incommoda inteſtina incurrant, niſi quamprimum introducantur, & pulmo pariter. vnde & Sennertus ipſe hiſtoriam refert ex Gulielm. Fabrit. cuiusdam, cui ob vulnus thoracis pulmonis portiuncula exterius prolapſa eſt, quæ ſtatim liuorem contraxit, vt ferreo inſtrumento candente amputare eam oportuerit. multa alia argumenta adduci poſſent, ſed in rebus manifeſtis non eſt conterendum tempus. hæc autem eò ſpectant, vt pateat, nodum in ſcyrpo non quæſiſſe Magatum, & Septalium, ſi ambientis iniurias effugere ſtuduerunt, nec temerè, & nulla ratione ductos nouum curandi modum quæſiſſe.

Non eſt reprehendendus Galen. modus quamvis ab eo prætermiſſa fuerit indicatio, quam præſtat naturalis caloris læſio.

Ne quis autem exiſtemet, audiens maleficium ambientis aeris in re vulnerum, & diſpendium, quod naturalis tegumenti defectu, & occurſu ambientis contraxit vulneratæ partis natiuus calor, & prætermiſſam fuiſſe a Gal. indicationem, quæ iacturam hanc natiui caloris reſpicit, me curandi rationem Gal. reprehendere. Sicuti enim eam longa experientia confirmauit, ita & Methodo conſentientem profiteor. In curationibus ſi quidem non ſemper omnes indicationes proſequimur, ſed multoties non nullas prætermittimus, quoniam dum aliis fit ſatis, conſequenter &, quod illæ exigunt, ſeu quod ab illis ſperatur, adim-

adimpletur. Succurrat, quod in prima Quæſtione dicebamus, nos non ſemper contra omnes præternaturam affectus pugnam inire, ſed ſæpè nonnullos cum aliis nos tollere, & ſæpè etiam Naturam nouum robur adeptam morbos, & morbificas cauſas citra vſum contrarii depellere. quocirca non eſt reprehendenda curatio, quia in ea aliqua omittatur indicatio, dummodo alia ratione expleatur, quod ipſa poſtulat. In lenienti curatione detectæ membranæ per capitis vulnera prætermittitur indicatio à temporamento partis, quoniam dum lenimus, cauſas abſcindimus fluxionis humorum, & cum non fluunt humores ad partem, eius temperies conſervatur. In ſicciſſima autem curandi ratione ea, quæ reſpicit ſenſum partis, quoniam dum ſimilibus conſeruatur eius temperamentum, procul abeſt fluxionis periculum, vnde dolores, & inflammationes. & in omni ſympathica curatione negliguntur indicationes, quæ eliciunter ab affectibus præter naturam, quoniam, cum Natura ſit morborum medicatrix, ſi ſatis roboris adipiſcatur, morbos & morbificas cauſas nonnunquam citra vſum contrariorum eliminat. Itaque ob prætermiſſam indicationem non eſt reprehendendus Gal. & communis modus: pari enim ratione reprehendendus eſſet, & novus, cum in eo ab excrementis non ſumatur indicatio. Utrumque igitur modum, & methodo conſentaneum, & probandum cenſeo, cum in vtroque per indicationes diverſa licet ratione, omnibus occurratur, quæ vulnerum ſanationi obſiſtunt, & Naturæ, quæ primarius opifex eſt, præſto ſimus. neque Magatus, cum rationes ſoluit, quibus firmatur antiquus modus, rejicere eum voluit, ſed ſolummodo oſtendere, non eſſe neceſſarium in curatione vulnerum ea via incedere, & cum prætermiſſam, ait, à Galen. indicationem maximi momenti, & propterea coactum fuiſſe confugere ad inutiles, & ſuperfluas, curandi modum Galeni reprehendere noluit, ſed tantumodo oſtendere, ab ipſo non plene tractatam fuiſſe rem vulnerum, & proinde in calce *Modus Gal. probatur ipſe tamen non ple*

ſui

ne tradidit rationem curandi vulnera. ſui operis dicebat, ſi res conſideretur, manifeſtum erit, aliquid deſiderari in communi modo: deſideratur enim via ſympathica. At Galenus hac miſſa, & ſolam Antipathicam tractans, non poterat melius, quàm fecit, negotium conficere. Si tamen generatim vulnus conſideremus, aliquid deſiderabitur proculdubio in Galeno, & plenè rem tractaſſet, ſi duplicem rationem propoſuiſſet excrementis vulnerum proſpiciendi, eam videlicet, quæ fit per medicamenta ſiccantia, & abſtergentia, ac ſuppurantia, & quæ fit per reſtitutionem naturalis caloris. Cum autem audis, Gal. modum Antipathicum eſſe, & novum ſympathicum, ne exiſtimes, Galen. modum ſolummodo Antipathicum eſſe, & novum ſympathicum, rarò enim accidit, vt ſola via Antipathica, aut Sympathica ſufficiat ad curationem, ſed plerumque vna alterà indiget. quippe dum robur Naturæ procuramus, aliquid non rarò ſuccreſcit, quod contrariis amoveri poſtulat, dumque contrariis curamus, ſæpè aliquam jacturam incurrit Natura, & ideò iis, quæ ſibi amica ſunt, refici, & confortari deſiderat; ſed Galeni viam Antipathicam appellamus, quia fundamentum ejus eſt, contrariis agere, licet habeat etiam aliquid ſympathici, ſaltem dum vulnus tegit; novam autem ſympathicam, quia quod ad vulneris procurationem, fundamentum habet Conſervationem, & robur nativi caloris.

Quomodo Magatus raram ſolutionem vlceribus fœliciter adhibuerit.

CONSIDERATIO VI.

VT adhuc magis appareat, non ita eſſe à ratione alienum, rarò ſoluere vulnera, vt exiſtimavit Sennertus, non ab re eſſe duxi, ſi quæ in manuſcriptis Cæſaris fratris mei, quæ apud me ſunt, de vi tegumenti nunc nunc reperi, in medium afferrem. Tantam

eſſe

eſſe vim tegumenti, ſeu Naturæ ſub tegumento roboratæ, ſcribit ille, ſe in Medicina facienda expertum, ut eam curandi rationem à vulneribus ad vlcera transferre non dubitauerit. idque adeò fœlici ſucceſſu ſe attentaſſe, vt ſæpè deplorata vlcera, & innumeris tractata remediis, facillimo negotio hac via incedens ſanauerit vnde illud ſuccurrit, quod in ore eius verſabatur, videlicet, ſe cum adhùc tiro rationem adhibendi remedia didiciſſet, & proinde in iis multus eſſet, Romæ poſteà rationem abſtinendi à remediis fuiſſe conſecutum: multòque plura, ac maiora non medendo præſtitiſſe, quàm cum crebris vtebatur remediis; & non raro magnum remedium eſſe remediis parcere, & cum communibus, & paſſim obuiis vteretur, ex felici euentu omnes perſuaſum habebant ipſum ſecretis remediis eſſe addictum, & non pauciſcedulam medicamentorum maxima contentione ab eo requirebant, nec perſuadere eis poterat, ſibi ſecretum eſſe vtendi modum, & nihil prætereà; illudque Galeni inculcabat, Non eſſe maguum quid, quod medicamentum præſtare poſſit, niſi nactum ſit, qui eo dextrè vtatur. Quamuis autem nullius exemplo, ſed ſola ratione, & Analogiſmo ductus huiusmodi eurandi modum aggreſſus ſit, fatetur tamen, ſe poſteà cognouiſſe, non eſſe quid nouum, ſed auctorem habere, & Gal. antiquiores Medicos. & ideò admirabatur, quomodo à recto tramite, & ab ea curandi via, quam noſtri proceres nobis reliquerunt, Communis praxis deflexiſſet, atque homines ſub eiusdam diligentiæ ſpecie, & expnrgationis vlceris, ita decipi paſſi ſint. & adducit plura Gal. loca, ex quibus clarè patet, Antiquos non conſueuiſſe quotidie omnia vlcera ſoluere, ac procurare, vt hodie Chirurgi factitànt, immò nec vulnera. Profertque Heram ex Gal. 2. de Comp. med. per gen. cap. vlt. qui ſcripſit quoddam medicamentum ad vlcera, & vulnera & ad finem medicamenti hæc habet, Hyeme diebus ſeptem ſoluitur, per æſtatem quinque, ſi verò neceſſitas vrgeat, tribus. & quæ leguntur ad finem Ac ruginoſi Mantiæ 4. eiuſd. cap. vlt videlicet, biduo per æſtatem ſoluere oportet, hye-

Antiqui non ſoluebant quotidie vlcera.

hyeme triduo. & quæ ibidem deſcriptioni ſecundi medicamenti ex Ricino adiiciuntur, tertio, ſcilicet, aut quarto die reſolues. & quæ ad finem Aceri, quod ad fiſtulas, & inueterata vlcera, & dyſepulota, Chironia, Cæterum vlcus triduo ſolues, ſi nihil prohibet, & que habentur 4. eiuſd. 4. ad finem medicamenti Aſclepiadis ad Chironia, & curatu difficilia vlcera, ſcilicet inter curandum tertio quoque die ſoluere vbi & Gal. ipſe hæc ſubiungit, Rectè Aſclepiades ad finem ſuperioris medicamenti ſcripſit hæc verba, & hæc triduo ſoluito & fomentis mitigato, idemq. emplaſtrum ablutum emollito, rurſuſq. apponito, niſi enim diutius cuti pharmacum adhæſerit, nihil efficiet, quod & pleroſque Medicos latuit, arbitrantes, ſi ter die saniem ab vlcere deterſerint, melius ſe facturos iis, qui bis idem faciunt, qui verò ſemel ſoluunt, ab ipſis quoque ægris tanqu am negligentes malè audiunt. & quæ Gal. ſcribit 1. eiusd. 6. videlicet vlceribus, quæ ad cicatricem veniunt, multis ſubſequentibus diebus pharmacum immanere expedit, quo melius, & citius ita cicatrix inducatur, & 4. eiuſd. 5. In propoſitis ab Andromaco ad maligna vlcera ſcilicet, ac deligatura tertio quoque die ſoluenda, hyeme etiam quarto, & multa alia loca, in quibus eiusdem raræ ſolutionis fit mentio. Adducit etiam illud Auic. 4. 4. Tract. 3. c. 2. & de illis, quæ ſunt neceſſaria eſt, vt dimittatur medicamentum ſuper vlcus tribus diebus, deinde diſſoluatur, nam ſi ipſum prius curaueris, vel ſi ante tres dies ſolueris, non faciet ſuam operationem. & Aetium qui ſerm. 14. alternis tantum diebus ſoluit vlcera. Hæc à Sennerto, qui Artem reſtituere, & locupletare ſtuduit, expendi deſiderabam. poterat enim vir clàriſſimus, vt qui magne auctoritatis eſt in rebus Medicis, partem hanc Medicinæ, in quam tot irrepſerunt errores, ac fuci cum non exiguo Reipublicæ detrimento, inſtaurare, & ad priſtinum candorem reducere. Animaduertit quidem in 5. ſuæ Prax. par. 2. c. 15. vbi agit de Phagedæna, Gal. locum ex 4 de Comp. med. per gen. 4. in deſcriptione medicamenti Aſclepiadis, ſed

nimis

nimis ieiunè rem tranſegit, Nonnulli ex recentioribus ex eodem Gal. loco communem errorem cognouerunt, & cauſam etiam attulerunt, cur raro ſoluenda ſint vlcera, quod fecit pariter Sennertus ipſe. ita tractanda vlcera, arbitrantur, quoniam in malignis, & diuturnis vlceribus partis vlceratæ calor naturalis valde debilis eſt, & multo indiget tempore ad vim medicamenti excitandam, & ideo medicamentum diutius parti inhærere debet; ſi autem quotidie ſemel,& iterum vulnus procuraretur,detraheretur pharmacum, antequam ad actum deductum eſſet, aut cum vix ad actum deductum agere cæpiſſet. Quocirca nunquam non laborandum fuiſſet naturali calori inexcitanda medicamenti virtute, ita Sennertus loco adducto, & eo prior Ambroſius Paræus lib. ſuo de vlceribus ca. 11. Fallop. tract. de Vlcer. 19. quotidianam illam ſolutionem deteſtatur, quoniam medicamenta, quæ imponuntur,& præcipuè metallica, non poſſunt longo tempore reduci ad actum, vt quæ non facilè attenuentur, & diſſoluantur à calore naturali, & ideo ſat eſſe, ait, ea immutare alternis diebus Gal. 4. de Comp. med. per gen. 5. cauſam huius reddens, meminiſſe debetis, dicebat, quod in plerisque noſtris Commentariis dictum eſt, qualitates omnium vicinorum corporum in ſe mutuò aliquid agere, & ſi alterum ipſorum multò ſit validius; hac namque ratione ſpecie quodammodo inter ſe fiunt ſimiles ſpatio temporis, tametſi permultum differant: vbi autem qualitas medicamenti curando corpori ſpecie ſimilis fuerit, vtilitas maior ſequitur. cenſet Gal. diutius immanente pharmaco ex diuturno commercio inter ipſum, & vlceratam partem oriri affinitatem quandam, & pharmacum acquirere quandam, vt ita dicam, naturalitatem, qua deinde agit, vt quid naturale corpori in auerruncandis, quæ parti ſunt infeſta. Cæſar Frater meus non ſolum, vt medicamentum efficacius agat, raro ſoluenda vlcera, credidit, verùm etiam in gratiam ipſius natiui caloris vlceratæ partis: cum enim valdè langueat, & præſertim cum

Cur antiqui raro ſoluerent, & procurarent vlcera.

Magati ratio.

vlcus diu hominem exercuit, dum tecta ſeruantur, neque occurſu ambientis habetatur viuide eius qualitas, neque diſſipatur eius ſubſtantia, immo fouetur & reſtauratur, quod de eo deperditum eſt, quò fit, vt melius opera ſua exerceat & ſuppuret, ſi quid ſuppurationem deſiderat, excrementa expellat, carnemque generet. Hinc etiam minorem excrementorum proventum expectat, quod naturalis calor, robuſtior factus, melius alimentum partis conficiat, & pars robur adepta non æque promptè aliarum excrementa admittat, neque Natura ita ſpiritu, & ſanguine, quo pars oneretur, ſubſidio veniat, & ſublato quotidiano illo irritamento minus confluant ſucci ad vlceratam partem. Cæterum non ſolùm neceſſitatem vidit raræ ſolutionis, ut alii, verum etiam, cum alios de corrigendo communi errato parum fuiſſe ſollicitos animadverteret, ad praxim eam curandi rationem adhibuit, & de ea ſcriptum, vt in publicum prodiret, reliquit. Licet autem medicamentorum vires expeteret, & medicamenta, quæ diutius vires retinerent, ab Hip. multorum dierum appellata, eligeret, immo & iis, quæ à proprietate totius ſubſtantiæ vlceribus mederentur, ſummopere delectaretur (dari enim medicamenta, quæ à tota ſubſtantia vlceribus conferant, non ſecus, ac vulneribus, perſuaſum habebat) profitebatur tamen, plus valere modum adhibendi medicamenta ipſa, quàm medicamentorum vires, vt pote, quæ minus rectè adhibitæ, parum, aut nihil prodeſſent, potiſſimum autem deferebat raræ ſolutioni, ſi nihil eam prohiberet. Hæc igitur ejus curationis ſumma eſt. In eo maximè elaborat, vt impedimenta omnia removeat: in primisque ſollicitus eſt de procuratione ſuccorum, ne videlicet eorum affluxus curationi obſiſtat, ab eorum vitio, & pravitate omnia ulcera ortum habere ſibi perſuadens. Quapropter antequam ad vlcus accedat, exquiſitè expurgat corpus, & præſertim cum vlcus diuturnum eſt, monet tamen, non eſſe committendum hoc negotium appellatis Phyſicis, qui cum lenie-ens

Plus tribuit Magatus rectæ adminiſtrationi, quam viribus medicamenti. Ratio curandi ulcera Magati.

ens primò, deinde aliquos ſyrupos, & demum ſoluens pharmacum, exhibuerunt, ſatis ſuperque expurgatum eſſe corpus prædicant. In vlceribus gravioribus, & inveteratis, & in corporibus valdè cacochymis, hanc purgandi rationem irridet, affirmans, neceſſarium eſſe, non ſemel tantum, ſed bis, ter, & decies aliquando iterare pharmacum clementia quidem pharmaca diligit, ſed ſæpe ea iterat, omni tertia nimirum, aut quarta die, intermediis verò diebus præparantia, ex ſiccantia, & quæ ſuccorum vitium, & viſcerum labem emendent, præbet. Itaque eam purgationem, quam per Epicraſim appellat, inſtituit. Maximè autem utitur ſyrupto ſolutiuo ex ſena, epithimo, polipodio, cuſcuta, ſalſa, chyna, guaiaco, ſucco pomorum dulcium, cicerbitæ, fumariæ, lupulorum, ſem, & corticibus citri, & huiuſmodi in robuſtis, & duris, corporibus ueratrum nigrum addit. uult tamen, ut pro ratione peccantium ſuccorum diſpoſitionis corporis, & malà affectorum uiſcerum modò detrahatur aliquid, modo ſuperaddatur, ut purgatio exigentiæ reſpondeat. Pauperibus puluiſculum exhibet ex foliis ſenæ, tartaro albo, aut cremore tartari, cinamomo, & zinzibere. in durioribus corporibus duo grana diagridii qualibet uice permiſcet, aliquando addit ſalſam, aut Guaiacum. Non Prætermittit ſanguinis miſſionem, ubi opus eſt, ſed & ex cubito, & hæmorrohidibus ſanguinem mittit. & ne materia ſuppetat generationi prauorum ſuccorum, exquiſitam uictus rationem iniungit. Dum expurgat corpus, nihili facit, quomodo tractentur ulcera, dum acribus non irritentur. Expurgato igitur exquiſitè corpore ad partem accedit, in primiſque conſiderat, num quid in vlcere ſit, quod amoueri poſtulet, vt caro ſuperflua nihil habens compacti, & mollis nimis, caro putrida, aut ſemiputrida, caro ob vitiatum alimentum malè affecta, & ineptum ſubiectum generationis probæ carnis, os corruptum, & carioſum, ſordes, intemperies, aut quid aliud, quod curationi obſiſtat. Os corruptum, & carioſum

Purgandi ratio Magati in ulceribus

Vt auferat, quæ curationi obſiſtunt.

ſum abradit, aut ſcalpris excidit, & ignitis ferramentis adurit, donec ad ſanum ventum ſit. Si tota oſſis ſubſtantia corrupta eſt, totum quod corruptum eſt, aufert: & ſi in crure, aut brachio vlcus eſt, altero focili eſt contentus, dum callus generatur, dein ſiccantibus pulueribus os tractat, donec abſcedat. Superfluam carnem communibus Catheræticis aufert, maximè autem præcipitato, monet tamen quandoque ſuccreſcere in vlceribus carnem quandam valde humidam, & mollem, ac flaccidam, quæ & non rarò colore ſuo rubicundo veram carnem æmulatur, ſed mollitie à proba diſcerni, ſuccreſcere autem potiſſimum malè affecto eſſe, atterendamque potius eſſe, ac deuaſtandam, & à bona, & ſolidiori, atque ab oſſe ipſo, ſi ei adnata fuerit, ſeiungendam digitis ipſis, aut volſella, ſeu ſpatula potius, quàm erodentibus abſumendam, vt quæ ſæpè nihil proficiant ob nimiam illius carnis humiditatem, cum ſit quaſi concretus ſanguis, & ſenſus ferè expers, & quandoque prorſus expers, carnem putridam, & corruptam nouacula, aut forcipibus abſcindit. Semicorruptam, & ob prauum alimentum vitiatam, ineptumque probæ carnis ſubiectum, unguento ægyptiaco, cuius libra tres drachmas Arſenici ſublimati receperit, vnica eius impoſitione eſcharam excitans ſatis altam: eaque decidente vlcus remanere purum, ait, bene moratum, & medicamentis, ac Naturæ obſequens, vt rarò altera impoſitione indigeat. Hinc vnguento multum tribuit in maleficis, & dolore comitatis vlceribus, vt pote, quod non ſolùm prauam carnem deuaſtet, verum etiam, pluſquam credi poſſit, dolores ſedet, eodem vnguento corruptioni, & Gangrænoſis vlceribus medetur; prius tamen aceto ſalſo calente vlcus abluit. Sordida vlcera purgat, & curat vnguento parato ex ſucco Nicotianæ, ſeu Tabaci appellati, à multis herba reginæ dicitur, hac ratione, accipit libram olei roſacei optimi, corticis mediani ſambuci minutim inciſi vnc. iij. ſucci Nicotianæ libram, & ſimul coquit ad ſucci conſum-

Medicamentum carnem prauam deuaſtans.

Vnguentum ex ſucco Nicotianæ ad vlcera

ſumtionem, addit poſtea ceræ q. s. litargiri, ceruſſæ lotæ, tutiæ præparatæ, plumbi vſti, & loti an. vnc. ii. croci metallorum vnc. i. camphoræ drach. ii. & cuilibet vnciæ huius vnguenti addit drach. s. aut ſcrup ii. præcipitati veri, aliquando etiam accipit vnguenti de tutia, albi camphorati, aut albi Pauli, & de lithagiro an. vnc. ii. ſucci Nicotianæ vnc. vi. ſimul coquit ad ſucci conſumtionem, poſteà addit præcipitatum, in auguſtia temporis, & leuioribus affectibus ſimul commiſcet prædicta vnguenta, & ſucco Nicotianæ abluit, dein præcipitatum addit. In eundem vſum puluerum conficit ex mirrhæ, thuris, aloes, nicotianæ, cardui bened. rad. Ariſtoloch. rot. æquis partibus, tantumque farinæ lupinorum addit, vt pondus omnium adæquet, & eo præſertim vtitur, cum nimia humiditate vlcus ſcatet. Vnguento verò ſupradicto ex ſucco Nicotianæ mira præſtabat in curatione vlcerum, *Puluis* & ſæpenumero eodem vlcus expurgabat, carne replebat, & cicatrice obducebat, quia verò corpora, & partes non eiuſdem ſunt temperamenti, & ex vlceribus alia magis, alia minus humida ſunt, & ſordida, aliud medicamentum mite in promtu habet, & ex vtriusque miſcella ſecundùm varias proportiones, quas ab effectu coniicit, medicamentum conficit vlceri accomodatum Galenum imitatus, qui 4. de Comp. med. per gen. 1. hæc habet, Duo minimum, quæ idem pollicentur, eandemque facultatem oſtendunt, diuerſa alioquin inter ſe, non ſimpliciter maioris, minorisque, verùm, vt apertiſſimè dicam maximi, ac minimi ratione, in promtu adeſſe illi conuenit, qui omnia id genus vitia curare propoſuerit. Unguentum mite, quo vtitur, eſt vnguentum album camphoratum, aut album Pauli, aut, & frrquentius accipit, vnguenti albi camphorati, aut albi Pauli, de Tutia, de Lithargiro an. vnc. ii. ſucci cicerbitæ vnc. vj. & ſimul coquit ad ſucci conſumptionem, additque croci metallorum drach. ii aut prædicta vnguenta ſimul mixta eodem ſucco abluit.

luit. Quando caſus poſtulat, vt acribus vtatur, platyſma, quod non modicum ſanæ partis comprehendat, cum aliquo leniente, refrigiranteque vnguento album camphoratum, aut album Pauli, ſi dolorem veretur; ſuperponit, deinde lintea tenuia Poſca, aut vino rubro ſubaſtringente imbuta, eaque ſubinde immutat. Maleſica illa, rebelliaque vlcera, quæ tenuem quendam fundunt ſanguinem, eoque linamenta impoſita conſpurcant, facilè ad benignum morem redigit aqua plantaginis, in cuius libra duo circiter ſcrupuli hydrargiri ſublimati, & duæ circiter drachmæ ſalis communis ebullierint, aut aqua Tectutiana, in qua ſublimatum ex Hydrargiro bullierit: ſuperponitque vnguentum ex ſucco Nicotianæ, linamentis exceptum, & hac etiam ratione curat cariem, & alia ulcera ſerpentia, leuiora tamen. In grauioribus enim, aut vnguento Ægyptiaco cum Arſenico, aut ignitis ferramentis vtitur, aut, ſi infirmi ignem abhorreant, oleo calcanthi, aut ſulfuris, vel antimonii, magis tamen probat ignita ferramenta, vt quæ robur indunt parti, cum medicamenta vim ignis habentia, potius eam infirment, & ideò ſepè nos eludant.

Vlcera ſanguinem fundentia quomodo corrigat.

Vlcera ſerpentia quomodo tractet.

Vlcera illa, quæ corrumpendo ſerpunt ſub cute, in ipſa verò cute, hìc, & illic tanquam foramina ſe oſtendunt, & ideò ad herpetes excedentes pertinere videntur, cutem malum tegentem abſcindendo curat, detecto verò malo, ſiquidem leuius ſit, vnguentum ex ſucco Nicotianæ aucto præcipitato applicat, ſi grauius, vnguentum Ægyptiacum cum Arſenico, aut oleum ſulfuris, vel antimonii, aut ignem ipſum. Propoſitis denique medicamentis omnes adimplet ſcopos, qui in vlcerum curatione ſpectandi ſunt, & nihil magis damnat, quàm medicamentorum multitudinem, quod non poſſit Medicus vniuſcuiusque vires exactè cognoſcere, & iuxta vlceris indigentiam dimetiri, & crebrò immutatis medicamentis, non ita aſſueſcat naturalis calor, proinde magis probat, vt duo tantum, vel tria medicamen-

menta in promptu habeat, quorum vim, ac poteſtatem freq uenti vſu exacte didicerit.

Quando ſoluat vlcera.

Quòd verò ad ſolutionem in quam potiſſimum felices euentus referendos putabat, vbi manualis aliqua operatio requiritur, vt cum os excidendum eſt aut adurendum, & corrupta caro deuaſtanda, cutisque, corruptionem tegens, detrahenda, vlcus ſoluit, vt operatio deſiderat, inde ad raram ſolutionem ſe confert: cui à principio quoque inſiſtit, ſi nihil ſit, quod detrahi poſtulet, aliquando tertia quaque die vlcus ſoluit, præſertim æſtate, ſæpius ad quartam, & quintam ſolutionem differt, modò erodens, atque arſenicalis vis abſit ab excrementis, & vlceris cauſa, rariſſimè ſeptimam expectat, quamuis antiqui id fecerint. Ob dolorem præſertim, & fætorem, & corruptionis periculum, vlceris ſolutionem anticipat. Hoc intereſſe, monet, inter vulnera, & vlcera, quod vulnera, niſi in parte aliqua malè affecta, & intemperata contingant, à principio, & antequam humores ad eam confluant, ſolam priuatiuam intemperiem, hoc eſt, frigidam intemperiem, ex caloris imbecillitate profectam, coniunctam habeant, at vlcera, tanquam ſoboles vitioſorum humorum, & priuatiuam ob naturalis tegumenti defectum, & diſiunctionem partium, quæ ſe mutuò fouebant, & poſitiuam ex ſuccorum affluxu, & excrementis; & ſæpè alios quoque prauos affectus, vt ſordes, os corruptum, carnem prauè diſpoſitam, & corruptam, & alia huiusmodi, & propterea in ulceribus coſulendum quidem eſſe naturalis caloris robori, vt in vulneribus, ſed & vi medicamentoſa opus eſſe propter coniunctos affectus: abſtergendaſque medicamentis ſordes in vlceribus, quæ in vulneribus negotium non faciunt, quòd in iis longe magis tenaces ſint, ac parti affixæ, quàm in vulneribus, ideoque naturali calori etiam languidiori minus obſequantur. Et quia naturalis calor magis languet in vlceribus, cum non ſolùm deficiat naturale tegumentum,

Quid interſit inter vulnera, & vlcera.

Vlcera indigent vi medicamentoſa magis quam vulnera.

& partes reconditæ ambientis iniuriis exponantur, vnde fit, vt & ſubſtantia naturalis caloris diſſipetur, & viuida eius qualitas frangatur, & hebetetur, verum adſit intemperies poſitiua, vtque medicamenta agant, opus eſt, vt à naturali calore eorum facultas excitetur, ab imbecilli autem calore ægrè, ac tardè id conſequuntur, propterea raró ſoluenda eſſe vlcera concludit tum vt naturalis calor ſub tegumento foueatur, & ab iniuriis ambientis protegatur, & eius ſubſtantia minus diſſipetur, tum etiam, vt medicamenta ad actum, ut aiunt, reduci, & operationem ſuam complere valeant, quippè, quæ crebrò immutata, ſæpe vix excitata eorum potentia, & cum nondum quid effatu dignum præſtitiſſent, amouerentur; quocirca ſemper laborandum fuiſſet naturali calori in ſuſcitanda medicamenti potenria; neque contrahi poſſet affinitas illa inter medicamenta, & vulneratam partem, quam expetebat Gal. At verò ne vis medicamentoſa deficiat, ea medicamenta deligit, quæ plurium dierum appellantur ab Hipp. & Gal. quæ ſcilicet diutius vires retinent, vt quæ ex metallicis conficiuntur, nec tamdiu ſolutionem differt, vt in vulneribus. In quibus cum iuſtum effluxum habere poteſt, ilud tantum à medicamento expetit, vt amica qualitate, & conſiſtentia fouere,& conſolari naturalem calorem poſſit, & reſarcire iacturam, quam occaſione vulneris paſſus eſt, ſeriem curationis, quam adhibebat Frater meus vlceribus, & ipſa medicamenta, quibus paſſim vtebatur, ex eius manuſcriptis afferre volui, non tam iis, vt ſatisfacerem, qui hodie quoque formulam horum medicamentorum tantopere expetunt, quàm vt ex eorum vſu intelligas, quanta ſit vis in tegumento. Habes Medicamenta ad raram ſolutionem, iiſdem vti poteris raró ſoluendo omni timore obiecto: & quotidie pariter ſemel, & iterum ea immutare fas erit, vtrumque modum experiri, & ſedulò obſeruare poteris; manifeſtèque intueberis, quamuis medicamenta ſatis efficacia ſint, nihilominus non tam in eorum efficaciam, quàm

quàm in vtendi modum, & quia diu teguntur vlcera, felices adeò euentus eſſe referendos hoc eſt, nihil inſignis, & rari præſtitura niſi ſub rara ſolutione, & vel inuitus fateberis, quod animaduertit Frater meus, nondum ſatis elaboratam fuiſſe hanc Medicinæ partem. Illud tamen te velim admonitum, Medicamenta, quæ rarò ſolui debent, ea eſſe, quæ vlceris curationem promouent: nam quæ carnem e. g. deuaſtant, & corrumpunt, vbi opus ſuum perfecerunt, ſunt detrahenda. Et ideò Frater meus ſuum ægyptiacum poſt 24. horas amouebat. Si igitur Galenus, & antiquiores Medici rarò tractabant vlcera maximè autem praua, & maligna, in quibus tot complicantur praui affectus, & quæ ſuccreſcunt excrementa nunquam omnis prauæ qualitatis ſunt prorſus expertia, & noſtra quoque memoria huic mendendi rationi, adeo experientia ſuffragatur, cur tanquam portentum, & monſtrum habendum eſt, rarò tractare vulnera, in quibus vna adeſt caloris imbecilitas, excrementa verò, niſi corpus cacochymum ſit, valdè benigna profluunt.?

Ex vlcerum curatione concluditur non eſſe improbandum nouum curandi vulneramodum.

Via Sympathica etiam ſinibus fæliciter adhibetur, & quanta commoda in articularibus doloribus afferat, colligitur quæ præſtantia Noui modi.

CONSIDERATIO VII.

CVm Naturæ ſint morborum medicatrices, & Medicus miniſter, Medici partes eſſe, in Quæſtione dicebamus, probè diſtinguere, quæ ſibi conueniant, & quæ Naturæ, quando totum Naturæ ſit deferendum, & quando eidem ſubſidio venire oporteat, & cum ea pugnare: paſſimque errari, dum, quod Naturæ committendum eſſet, Medicus ſibi aſſumit, dum contrariis nonnullos affectus tollere nititur, quos longè melius auferret, viæ ſympathicæ inſiſtens, & Naturæ viribus decertans: ſæpè que filio poſcenti panem, ſcorpionem porrigi, hoc eſt,

Naturæ familiaria, & amica petenti, offerri infenſa, dum ſcilicet, quando amica, & familiaria conuenirent, quæ affectibus præter naturam contraria ſunt, adminiſtrantur, quæ tandem & Naturæ extranea, intempeſtiuè, aut nimis profusè adhibita, plus obſunt eam fatigando, atque opprimendo, quàm proſint aliquid de affectu ſubmouendo id in vlceribus accidit, dum petenti naturali calore refici, ac protegi, nos medicamenta imponimus. Ideo Frater meus plurimum Naturæ cum Hippocrate tribuens, eius robur quàm maximè poterat, tuebatur, laſſatamque & aliquid diſpendii perpeſſam, reſtituere conabatur, & eius opera in expugnandis morbis frequentiſſimè vtebatur, exploratum habens eam eſſe veluti materiam multarum virium utpotè, quæ & frigida calefacere, & calida refrigerare poteſt, humida exſiccare, ſicca hunectare, repletiones exhaurire, inanitiones replere, cruda concoquere, nocentia expellere, & alia multa præſtat juxta exigentiam corporis, licet non omnia per ſe, & primò, ſed multa per accidens. Cum ergo res tegumenti, adeo votis reſponderet in vulneribus, ac vlceribus, cerneretque in iis longè parcius ſuccreſcere excrementa ſub rara ſolutione, in abſceſſibus quoque diſruptis, ſeu ſinibus hanc medendi rationem experiri voluit, refertque; cum tempeſtivè diſſecabatur abſceſſus, & os detectum non erat, non minus fæliciter eo modo curari, quàm vulnera, & vlcera, vt quandoque intra octavum, vel decimum diem ingentes abſceſſus carne fuiſſe repletos obſervaverit vna, vel altera ſolutione. Satis amplam autem ſectionem moliebatur, turundamque dilatantem immittebat, vt ſequenti die pateret orificium, pureque evacuato oſculo medicamentum ſuppurans, cujusmodi illud eſt, quod digeſtivum lotum appellant, filis evulſis exceptum apponebat, curabatque vt orificium deorſum verſum ſpectaret, ſolutionem verò ad quartam, & quintam, & vltra differebat. Sennert. 5. ſuæ Pract. p. 1. c. 6. alium curandi modum

Sinus raro ſoluti fæliciter curantur.

dum proponit ex Franc. Arcæo 2. de Cur. vuln. 7. quo tertio, aut ad ſummum quarto die omnis illa abſceſſus cavitas agglutinetur nullo ægrotantis periculo, aut labore, verùm adhiberi non poteſt, niſi locus ſatis commodè obvolui faſciis poſſit: nam pure evacuato congruam adhibentes deligationem, curant, vt partes, quæ abſceſſerunt, ſibi mutuò adhæreant, & ita conglutinentur. Itaque cannulam plumbeam orificio indunt, quæ orificio proportione reſpondeat, & ad cavitatem pertingat, ſed vlterius non pertranſeat; ſuperponuntque aliquod emplaſtrum appoſitum, linteo exceptum, quod fiſtulam etiam contineat, è cuius regione linteum perforant, vt ſaniei exitus pateat, deinde vtrinque pulvillum triangularem apponunt, ita vt tota cavitas à pulvillis comprehendatur, orificium verò liberum relinquatur, atque idonea faſcia deligant, ſine dolore conſtringentes exorſi à ſinus fundo, & orificium verſus tendentes vt quidquid puris in cavitate eſt, ad orificium exprimatur - poſtero die ligaturam ſoluunt, atque num tota cavitas agglutinata ſit, explorant. Si quid cavitatis relictum eſſe comperiunt, vel etiam puris, rurſus pulvillos apponunt, ac deligant, ita tamen, vt pus exprimatur, & partes nondum agglutinatæ cohæreant, abſoluta cavitatis agglutinatione, pulvillos ablegant, & vlceri leoninum emplaſtrum autoris, vel aliud ſimile, vt eſt Diapalma, imponunt. Non poteſt non ſummopere probari hic curandi modus, ſed, vt dictum eſt, locum non habet, niſi in partibus, quæ deligatione expreſſiva deligari poſſunt, & quando nullæ adſunt phlegmonis reliquiæ: ſecus arcta deligatio novum phlegmonem concitaret. At modus fratris mei cuicumque parti adhiberi poteſt, nec multùm refert, an adhuc adſint phlegmonis reliquiæ, licet ſi ſeriùs diſſectus abſceſſus fuiſſet, non æque facilè ſuccederet curatio etiam ſub modo Arcæi, quia pus diutius contentum in cavitate malam qualitatem ſibi aſciſcit, malè afficit, quas contingit, partes, & nonnullas etiam putrefacit;

Sinus intra quatuor dies curati à Francis. Arcæo.

Abſceſſu ſerius diſſecto non facile curatur ſinus.

facit; craſſeſcit quoque, & fit viſcidius, vt propterea arctius hæreat partibus, & abſtergentibus, removeri poſtulet. Deligandi rationem ſumpſit Franc. Arcæus à Gal. 2. ad Glauc. 8. at frater meus à Gal. ipſo eodem in loco raram ſolutionem didiciſſe fatetur, & rationem curandi ſine turunda, ibidem namque Gal. 3. tantum quaque die ſolutionem molitur, & filis evulſis orificium claudit, non autem turundam immittit: licet antequam orificium filis evulſis claudat, abſtergens in cavitatem injiciat, & poſtea agglutinans, circum apponit etiam, vt & Frater meus, emplaſtrum idoneum è regione orificii diſciſſum forcipibus, vt ex ore ſinus purulenta materia poſſit effluere, ibidem parvum aliquod aliud emplaſtrum imponens usque ad ſolutionem, in qua parvum hoc emplaſtrum aufert, illud relinquens, quod per totum ſinum circumjectum eſt, vnde & hic mirari licet, quomodo communis praxis adeo à tradita ab antiquis curandi ratione receſſerit: nam & Paulus lib. 6 c. 34. tertia tantum die ligaturam ſoluit, & Aetius pariter ſerm. 14. c. 54. Et quamvis difficilem, ac moleſtam experiantur curationem, quam adhibent, bis & ter qualibet die ſinum ſolventes, turundamque immittentes, qua ſæpè pus ſupprimitur, & longius protrahi, ab ea tamen diſcedere neſciunt, veriti, ne laudis, & commodi, quod ſibi ex hac fucata deligentia comparant, jacturam faciant, aut etiam negligentiæ notam incurrant, minus firmum præſidium ad eam effugiendam ipſius Gal. auctoritatem exiſtimantes, ſi raro ſolverent, in quo quidem, ſicuti Barbitonſores, & alios gregarios Chirurgos facilè excuſaverim, ita non video, quam mereantur excuſationem, qui cum Gal. doctrinam profiteantur, & exploratum habeant, qua via ipſe incederet, malunt tamen in praxi cum vulgo errare, quàm Galen. veſtigiis inſiſtere. Hunc ducem propoſitum habebat Cæſar frater meus, ſed raræ vulnerum ſolutioni addictus, & vires tegumenti ſæpius expertus, plus vltra progreſſus eſt, & rariorem ſolutio-

Communis praxis in curandis abſceſſibus non convenit cum antiqua.

lutionem ad praxim redegit, ad quartam, & quintam, & vlterius quoque eam protrahens. Et hic à Sennerto, qui negat, crebram detectionem, & procurationem vulnerum plura excrementa parere, libenter intelligerem, vndenam accidat, quod ſinus, rarò ſoluti, pauca adeo excrementa emittant, & brevi carne repleantur, crebrò autem ſoluti, & procurati, proferant multa excrementa, & ægrè adeo coaleſcant, vt ſæpè ad menſes eorum ſanatio protrahatur, niſi ad appulſum ambientis aeris confugiat, & irritamentum partis ex ejus procuratione concitatum, quò ſe recipiat, non video. Aeri nullam ineſſe pravam qualitatem dicet, qui inflictæ inſitorum plagæ occurrit, & tamen aeris contactu, etſi expertia ſit ſenſus, inareſcunt. Ambiens naturaliter diſpoſitus non habet pravam qualitatem, qua, cauſa exempli, putredinem in humano corpore accendat, collatus tamen cum parte, quæ alterius conſortio fovebatur, & nunquam aeris appulſum ſenſerat, malam, & infenſam qualitatem habere, dici poteſt, dumque partem vicinæ conſortio privatam, cuique nunquam anteà occurrerat, repentino occurſu contingit, fieri non poteſt, quin naturali ejus calori aliquod diſpendium inferat, & Natura hujusmodi contactum horreat, & tamquam rem moleſtantem experiatur, vnde eſt, quod vt rem moleſtantem expellat, eò transmittat ſpiritum, & ſanguinem, qui evadit excrementorum materia, cum non poſſit, quod transmittitur pars conficere, quod ſi irritamentum accedat ex manuali abſterſione, ex compreſſione partis, dum pus exprimitur, & turundarum ac linamentorum impoſitione, quæ pariter Naturæ aliena ſunt, vt & medicamenta, adhuc magis horrebit Natura, & cum pars ipſa omnibus hiſce de cauſis imbecillis fiat, reliquæ partes, quod in ipſis excrementorum eſt, prompte ad eam tanquam imbecilliorem transmittent, inde excrementorum proventus. Non poteſt referri cauſa copioſiorum excrementorum neque in ſtatum corporis, licet corpora cacochyma

Ob crebram ſolutionem plura excrementa generantur.

Aer quomodo male afficiat vulneratas partes.

ma multa excrementa coaceruent, neque in Naturam affectæ partis, quamvis ad has magis, quam ad illas tranſmittantur excrementa, neque in disjunctionem partium, quia, ſi ita res ſe haberet, nullum obſervaretur diſcrimen, quod ad excrementa, inter ſinum, qui crebro ſolvitur, & procuratur, & eum, qui raro, cæteris paribus, atqui obſervatur, igitur in curationis modum cauſa referenda eſt. Sed prodeat modus curandi ſinus Arcæi à Sennerto propoſitus; profecto ſi huiuſmodi ſinus communi ratione tractentur, multa excrementa ſuccreſcerent, & ſanatio longius protrahetur, cur deligatione facta ea ratione, vt ſibi mutuò, quæ abſceſſerunt, partes adhæreant, pauca generantur excrementa, & citò coaleſcunt? ad curandi modum confugiamus, oportet, ſi enim dum hac ratione hunc ſinum tracto, multa excrementa profluunt, & ſerius curatur, illa verò, pauca excrementa viſuntur, & citò coaleſcit, in modum curandi referendam cauſam, nemo non videt. Deligatione expreſſiva adhibita, quamvis orificio indatur cannula, & quotidie ſemel, & iterum obligetur pars, in qua eſt ſinus, attamen curatio ſympathica eſt magna ex parte, & fit tegumento, quoniam vna pars aliam tegit, & fovet, hinc ſe mutuò roborant, & ex robore cito ſequitur coalitus, non ſecus, ac in ſimplicibus vulneribus, quando labia ad mutuum contactum reducuntur. Neque dum pars ſolvitur, turbatur ſympathica curatio, nam ſublata faſcia, adhuc remanet tegumentum, quia copulatæ partes, haud à ſe invicem abſcedunt. Immo ſi diligenter inſpiciamus, nulla curatio hac magis ſympathica eſt, quoniam partes diviſæ naturali tegumento teguntur, nimirum parte, ante diviſionem fruebantur. Neque orificium tunc curatur, ſed penitiores partes, & ideò in orificium inditur cannula vt conſervetur patens ad excrementorum expurgationes, penitiores vero partes iis, quæ ſibi ex adverſo reſpondebant, conteguntur ope deligationis, & vbi coalverunt penitiores partes, cannula

Curatio ſinus Arcæi ſympathica eſt.

nula abjicitur, & curatur oſculum, ſolvitur vero pars,vt, ſi ob minus probam deligationem alicubi oppoſitæ ſinus partes non cohærebant, novæ deligationis beneficio ad mutuum contactum melius reducantur, & ſi quæ materiæ portio deligationem exprimentem eluſiſſet, nova prorſus exprimatur, & quod in priori denique defuit, in altera ſuppleatur. Cum ergo curatio hæc ita ſympathica ſit, nil mirum, ſi tam cito ſequatur diſſidentium partium coalitus.

Vires Naturæ maximæ ſunt, cum nactæ fuerint Medicum, qui illis præſto eſſe noverit, non autem eas fatigaverit importunis remediis, vtinam id intelligerent Medici omnes, & aliquando parcerent remediis, quæ ſæpè non minus, quàm morbus ipſe, eas affligunt, neque ita diligentes haberi vellent, & non minus denique ægroti commodis inſervirent, quàm ſuis, fortaſſe fœlicius ſuccederent curationes, nec adeo infamarentur remedia, vt fit quotidie. Quid poſſit natura obſecundante Medico, ex curatione, quæ hodie morbo articulari, & podagræ obnoxiis à nonnullis adhibetur, licet colligere. Communis praxis crebris medicamentis eos exercet. Extollitur electuarium quoddam, quod Gariocoſtinum appellant, & fortia ſolventia recipit, illudque multi in frequenti vſu habent, quod nonnullis greſſum reſtituerit. Hodie ſuccum quendam ex India aduectum, quem Gutgummi appellant, flavi coloris, humores tenues potenter ſolventem, commendant ejusque grana tria, aut quatuor cum ſeſquidrachma pilularum de tribus cum Rhab. exhibent fœlici, vt aiunt, ſucceſſu. Alii ſtibium exhibent, vel pulverem Algaroth, quæ quidem pharmaca, licèt à principio conferre videantur, tandem tamen vires labefactant, & malum duplicant. At vero alii obſervantes mala, quæ à crebro ſolventium vſu proficiſcuntur, via ſympathica hisce ærumnis occurrere cæperunt, & quidem fælici adeo ſucceſſu, vt qui jam partium omnium motum amiſerant, & aſſiduis doloribus

Curatio ſympathica morbi articularis.

torti iacebant in lecto, omni ſpę deſtituti, nunc ſoluti à doloribus, ac reſtituti cum omnium admiratione incedant, & conſueta munia exerceant, & ſi quid interdum in aliquem articulum influat, quaſi caſtigatum, parum incommodet, & nullum, vel obſcurum dolorem inferat, & cito evaneſcat. Hi quidem ſolventibus valedicunt, ſed medicamentum parant; quod dolores ſedet, ſomnum conciliet, viſcera, & naturalem calorem, vitalemque facultatem roboret, & coctiones promoveat; & cum dolorum vehementia lancinantur, medicamentum exhibent quotidie ſemel, & iterum, quod ſtatim ſomnum accerſit, doloresque mitigat mirum in modum, humoresque ad motum ineptos reddit, vnde fit, vt Natura, quæ à doloribus afflicta, & quaſi contrita, ſeipſam deſtituerat, & perperam operans, & veluti ebria quidquid obvium ad articulos transmittebat, reſipiſcat, humorum commotionem ſedet, & alias vias, quibus nullo ſubjecti incommodo ſe exoneret, inveniat, humores extenuans, & per halitum ſenſus effugientem digerens, & quoniam medicamentum vim inſignem habet roberandi viſcera, & facultates omnes, neque manifeſtis tantum qualitatibus, ſed à totius ſubſtantiæ proprietate, & deſtruendi illum, vt ita dicam, characterem, ſeu labem, quæ in viſceribus huiusmodi affectu laborantium cernitur, & proprietratem quandam indit humoribus, vt ad articulos ferantur, ſicuti & peſtilens contagium ita humores afficit, vt ad emunctoria, & cutem quandam propenſionem habeant, fit, vt deinceps coctiones melius celebrentur, &, qui generantur, ſucci ferè propenſione illa careant, & ideo rarius decumbant fluxiones in articulos, & longè mitiores dolores excitent, & quamvis membris ferè omnibus capti ſint, magna tamen ex parte, modo abſint tophi, reſtituantur. Medicamentum, quo vtuntur, ex iis eſt, quæ Nepenthes à Græcis dicuntur, νεπενθὲς autem à Græcis appellabatur medicamentum quoddam, quod oblivionem triſtitiæ afferebat, vnde Homerus, vt eſt

Nepenthes quodnam medicamentum.

vt eſt apud Plinium 25. ſuæ Nat. Hiſt. Herbas Aegyptias, à Regis vxore traditas ſuæ Helenæ plurimas narrat, ac nobile illud Nepenthes oblivionem triſtitiæ afferens, & quoniam Bugloſſa, vt ſcribit Gal. vino iniecta hilaritatem inducit, ſuſpicati ſunt nonnulli, hoc Nepentes fuiſſe Bugloſſam, aut Bugloſſæ ſuccum. Verum cum Homerus hoc medicamentum nobile appellet, & à Regis vxore dono datum, potius cenſendum eſt fuiſſe aliquod compoſitum pharmacum ex Opio, & aliis pretioſis rebus, quæ hilaritatem inducere poterant. Cum enim Opium ſomnum conciliet, ex aſſumpto medicamento ſequebatur omnis triſtitiæ oblivio: vnde appellabatur *νεπενθὲς* à *νη* quæ eſt dictio privativa,& *πενθες*,quod luctum ſignificat,quaſi luctu,hoc Nepenthes,ſinefaciens ſine luctu. Huic non eſt diſmile Nepenthes de quo loquimur,& fortaſſe nonminus nobile, ſed dubio procul longè magis operoſum,vt pote quod eſſentiam Opii recipit, vt ſomnum conciliet,& humorum motum cohibeat, vt autem viſcera, & facultates omnes roboret, hilaritatem inducat, & omnem viſcerum, & humorum labem emendet, eſſentiam Margaritarum or. corallorum, & lapidum omnium pretioſorum, tincturam Auri, & Argenti, ac Viperarum extractum, Theriacæ, & Mithridati, atque confectionis Alchermes, ovum Maximiliani Imperatoris, Bezoar verum, cornu Monocerontis, terram ſigillatam veram, muſcum, & ambram, ſeu horum eſſentiam, oleum ſtillatitium cinamomi, & gariophillorum. Sperarem tamen eadem propemodum commoda ex longè minus operoſa compoſitione, ſi nimirum conficeretur ex Opii, & Croci eſſentia, ex tinctura corallorum, magiſterio Margaritarum orientalium quæ hodie in multis officinis præparata habeantur, ex lapidibus pretioſis, Bezoar vero, Terra ſigillata vera, cornu Monocerontis, extracto Theriacæ, & confectionis Alchermes, Tinctura, aut pulvere viperarum, extracto Rad. Chinæ optimæ, Balſamo Peruano, oleo ſtillatitio cinamomi, & Gariophillorum: ſed

Nepenthes ad articulares dolores.

hæc obiter. Huiusmodi ergo medicamentum doloris tempore bis qualibet die exhibent, induciarum verò omni quarta die, donec corpus vires reſumpſerit; & ex ejus vſu vidi ego viros,qui jamdiu greſſum amiſerant, immo vſum fere omnium membrorum, & aſſiduis doloribus lancinatos, breui euaneſcentibus doloribus incedendi facultatem recuperaſſe. Si ergo, vt ad rem noſtram redeam, in morbo adeo contumaci robori Naturæ conſulere tantum præſtat, cur nodum in ſcirpo quærere dicendi ſunt, qui in vulneribus, medelam à Natura quærunt, cuius opus eſt ſanatio vulnerum, & ideo in ea roboranda toti ſunt? Negat Sennertus, ſub tegumento magis conſeruari, & roborari naturalem calorem, quàm ſub crebra ſolutione, cum ſub crebra ſolutione auferantur quotidie excrementa, quæ officere poterant naturali calori, minimè autem ſub tegumento. Verùm abundè probauit aſſertum ſuum Magatus quidquid ipſe dicat lib. 1. c. 3. & 40. tum à priori, vt aiunt logici, tum à poſteriori, & à ſigno. Apoſteriori quidem, quod ſnb tegumento oſſa, quæ communi modo contracto vulnere abſcederent, non abſcedant; quod non ita copioſa excrementa generentur in vulnere; quodque citius ſanentur vulnera ſub tegumento, quàm crebrò tractata; quæ quidem accepit Magatus tanquam experientia comprobata. Hæc enim non aliunde prouenire certum eſt, quàm ex eo, quòd naturalis calor ſub tegumento magis roboratur, & citius reſtituitur. A priori verò, quoniam naturalis calor diſpendium paſſus eſt ex vulnere, & ſecundùm qualitatem; ſecundùm ſubſtantiam, quia ob defectum tegumenti, & ſanguinis profuſionem aliquid de eius ſubſtantia deperditum eſt; ſecundùm qualitatem verò, quia occurſu ambientis, quem nunquam antea ſenſerant denudatæ partes, eius qualitas fracta eſt, atque hebetata, & vtrique huic incommodo egregiè conſulitur, dum tecta ſeruantur vulnera, cum ob tegumentum prohibeatur caloris difflatio, & ambientis actio in partes naturali tegu-

Sub tegumento magis roborari naturalem calorem.

tegumento deſtitutas, & amica qualirate foueatur calor ipſe, quo fit, vt longè facilius reſtituatur, quàm cum crebrò ſoluuntur vulnera, cum ſæpe ambientis iniuriis exponantur vulneratæ partes, & crebra tegumenti ſublatio nouam caloris, diſſipationem efficiat. Idem ex eo probauit, quod raro ſolutis vulneribus multæ evitentur fluxionis cauſæ, vt ſuperius viſum eſt, & ideo fluentes humores non æque officiant naturali calori, neque magis proſpici naturali calori, quando crebro ſoluuntur vulnera ſibi perſuadet Sennertus, quia excrementa quotidie auferantur, quoniam emundatur ab iis vulnus abſque aliqua caloris naturalis iactura, cum ſæpe detrahatur tegumentum, & exponatur ambientis injuriis pars vulnerata, raro autem ſoluto vulnere absque hiſce in commodis effluant, non autem intus retineantur, vt credidit Sennertus. Cum igitur eius iacula nihil Magatum,& Septalium offendant,vt vidimus, & eorum rationes minimè diſſoluerit, eorum quoque modum in ſuo robore perſiſtere palam eſt, immo ſi rei naturam ſpectemus, fortaſſe non ita à ratione alienum videbitur,ſi antiquo modo præferatur.Habet Gal. lib. de Conſt. Art. med. 10. In curatione eadem via redire partem ad naturalem ſtatum, qua receſſit, ſed contrario itinere, ſi enim in morbnm calidum incidens progreſſa eſt à temperato ad calidum, ſi ad ſuum naturalem ſtatum reuerti debet, idem iter conficiat oportet, ſed contrario modo, nimirum à calido ad temperatum. At dum tegumento curamus vulnera, idem prorſus iter conficit pars quo ad ſtatum præter naturam lapſa eſt, etenim defectu tegumenti, & occurſu ambientis duplicem illam iacturam incurrit naturalis calor, dum autem congruum tegumentum adhibetur, prohibetur noua diſflatio, & ambientis arcentur iniuriæ, foueturque naturalis calor, vnde cum nunquam eſſet caloris natiui generatio, breui omnis eius iactura reſarcitur, & ad ſuum naturalem ſtatum reuertitur. At in communi potius per diuerticula reuertitur pars vulnerata ad ſuum naturalem ſta-

Cur ſub crebra ſolutione non æque proſpiciatur naturali calori, vt ſub tegumento.

An modus nouus ſit præferendus antiquo.

ſtatum, abſterguntur enim, & exſiccantur excrementa, quæ officere, & impedimento eſſe poterant naturali calori in curatione vulneris, ſublato autem hoc impedimento, quia ſemper generatur naturalis calor, tandem reuertitur ad ſuum naturalem ſtatum: quamuis enim in qualibet ſolutione aliquid eius deperdatur, attamen plus eſt, quod regeneratur, & ideo tandem ſequitur integra reſtitutio, & ex ea vulneris ſanatio. Cum ergo nouus modus ſit maximè Naturæ accommodatus, & eius indigentiæ, videtur habere neſcio quid peculiaris, in quo præcellat. Omitto argumenta Magati, ne actum agere videar. Si quis horreat, eum modum communi, quia Galeni eſt, anteponere, ſaltem fateatur, neceſſe eſt, non plenè tratractatam fuiſſe à Gal. rem vulnerum, aliquid deſiderari, viam ſcilicet ſympaticam; & quoniam huiusmodi curandi rationi ob connexus affectus interdum ſubſidio venit crebra ſolutio, ex vtroque modo vnam integram, & perfectam curandi rationem conſurgere, ſtatuere poſſumus, & dum attente modum à Cæſare fratre meo traditum conſidero, ferè nihil aliud contendiſſe mihi videtur, niſi vt ex vtroque unum omnibus numeris abſolutum conſtitueret. Sed antequam huic conſiderationi finem imponamus, eximendus eſt ſcrupulus, qui fortaſſe, tyronum animos ſollicitaret ſæpè dictum eſt, propter imbecillitatem caloris naturalis copioſa excrementa generari in vulnere; at hoc praxi non reſpondet, nam à principio, quo tempore calor naturalis eſt imbecillior, pauca cernuntur excrementa, & in progreſſu, cum iam reſtitui incipit calor, redundare ſolent. Verum non ob ſolam imbecillitatem generantur plura excrementa in vulnere, requiritur inſuper materia, vnde generentur, quæ quidem aliunde eſt tranſmittenda, non ſtatim autem inflicto vulnere tranſmittitur, & ideo nec ſtatim viſitur excrementorum copia, vt tamen plus, aut minus decumbat in vulneratam partem, cæteris paribus, maior aut minor eius imbecillitas in cauſa eſt. Vbi enim pars eſt imbecillior, cæte-

Deſideratur aliquid in communi modo.

Num propter caloris naturalis imbecillitatem copioſiora excrementa generentur in vulnere.

cæteræ in eam promptius, quod ſuperuacuum eſt à ſe deponunt. Suſpicabitur etiam quiſpiam adeo raro ſoluto vulnere, vt ſtatuit nouus modus generari in eo vermes, cum in conſtitutione relata à Paræo generarentur, ſi vel dies prætereiiſſet, in quo vulnus non ſolueretur. Cæterum, quia viget calor naturalis in vulnere, & orificium vulneris difflationi patens eſt, ſi excrementa conuenientem habeant effluxum, quo in caſu ſolo longius protrahitur detectio, non eſt timendum à vermibus. Non negarem, quin æſtiuo tempore extra vulnus ex copioſis excrementis generari poſſent, at nihil officerent curationi vulneris. Sed & eorum generationem præcedet fætor, cuius gratia vulnus ſoluitur. Ob inſignem cacochymiam ſubſequente corruptione facilè generabantur vermes in Conſtitutione Paræi, quia linamentis, ac turundis orificium vulneris occludebant, & excrementorum egreſſum, ac difflationem prohibebant. Ob corruptionem tamen crebrius vulnus ſolui, iam dictum eſt. Quæret tandem quiſpiam, an ſolutio vulneris in calido ambiente idem præſtare valeat, quod tegumentum, vt videtur Sennertus exiſtimaſſe: ſi enim ita res ſe haberet, nihil eſſet, cur adeo rarò vulnus ſolueretur, & tandiu vi medicamentoſa deſtitueretur. At reſpondeo calefactum ambientem aerem nullo modo idem præſtare poſſe, quod tegumentum, quoniam quantumuis aer calidus ſit, ſemper minus calidus eſt vulneratæ partis calore, ideoque detracto tegumento perfrigerabitur vulnus non ſecus cum aqua aufertur ab igne; feruet pus ſub tegumento, detracto tegumentò, ſtatim ſubſedit feruor. Obſeruaui in capitis vulneribus detracto tegumento magno impetu pelli per oſſis rimulas, per ſuturas, immo & per oſſis poros, nedum per oſſa exciſa, purulentam materiam, & dicto citius propter occurſum ambientis feruorem deficere, & vnà materiæ expulſionem, quantumuis tempus æſtiuum eſſet, & calidis etiam linteis aſſiduò fouetur vulnus. Accedunt, & alia incommoda, de quibus ſuperius.

Vtrùm

Vtrùm vſus turundarum in curatione vulnerum ſit neceſſarius.

QUÆSTIO II.

NOn ſolum admittendum, ſed & neceſſarium eſſe vſum turundarum, & penicillorum in vulnerum curatione ex eo arguitur, quòd in huiusmodi vulnerum curatione parare oportet exitum generandis excremendis, ne fiat ulcus illud ferinum, quod ſcribit Hipp. lib. de loc. in Hom. fieri, quando materia contenta non habet exitum, paratur autem hic exitus ope turundarum, & penicillorum, cum ſeruent oſcula vulnerum hiantia, & ampla etiam reddant, ſi opus ſit. Quod ope turundarum, & penicillorum conſequimur, cum medicamenta vndique tangant vulneris partes, ipſisque diutius hæreant, & ita perbellè opus ſuum exerceant, cum naturalem calorem foveant, eiusque diſſolutionem prohibeant, dum parietibus vulneris naturali conſortio proxime partis deſtitutis opportunis medicamentis illis apponuntur. Quod Gal. iis vſus fuerit, vt colligitur ex 6. Meth. 3. vbi ait de vulnerum nervorum curatione ſermonem habens, ſi verò robuſtus ſit, qui vulnus accepit, & cui corpus ſit à ſupervacuis humoribus mundum, in his fas eſt valentioribus remediis nonnullis vti, veluti ipſe aliquando, cum id genus vulneris in carpo accepiſſet iuvenis quidam Philoſophiæ ſtudioſus. alioqui corpore benè habito, & tunc æſtivo tempore peruſto, ex Polydæ paſtillis ſapa ſolutis, poſtea ſuper calida aqua tepefactis linamenta imbuta impoſui, & lib. de Comp. med. per. Gen. ſæpè linamentorum meminerit. Quod Communis uſus non ſolum linamenta recipit, & iis fœliciter utitur, ſed omnino neceſſaria iudicat.

Prima ratio · *Secunda.* · *Tertia.* · *Quarta.* · *Quinta.*

Altera ex parte turundarum & penicillorum, ſeu linamentorum uſus videtur ablegandus. Quod non conveniant, neque ut ſervent ora vulnerum hiantia neque imponendorum medicamentorum gratia non priori ratione,

tione, quoniam os vulneris occludi non poteſt, niſi vel labia eius agglutinentur, vel caro generetur, quæ oſculum obſtruat, quæ fieri non poſſunt, niſi pars naturalem ſuam diſpoſitionem habuerit, cum ſint Naturæ opera ex Gal. 3. Meth. 4. 8. & 9. 4. Meth. 1. & ideo fruſtra immittuntur in vulnus, antequam naturalem ſuam diſpoſitionem habeat, quam amiſit ſtatim inflicto vulnere; ubi vero pars naturalem ſuam diſpoſitionem habuerit, locum non habeant, quia tunc tempus eſt agglutinationis & generationis carnis, quæ impedirentur iis impoſitis cum nihl aliud ſint, quam extranea corpora. Neque ut Medicamenta tangant vulnus, cum hoc alia ratione aſſequi liceat, nimirum ſi locentur, & intra vulnus inſtillentur. Quod nihil vulneri apponendum ſit, quod naturæ ſubiectæ partis ſit infeſtum: alioqui etiam debilis ob ſolutam unitatem, & ſanguinis effuſionem, & ob alterationem ab aere ambiente inductam, cum partes aeri exponantur, quæ nunquam antea ipſum fuerant expertæ, turundæ vero, ac penicilli tanquam extranea corpora naturæ partis affectæ ſint infeſti, unde & in illis expellendis ſemper laborat. Quod partem diſtendant, comprimant, eidemque ſint oneri, & propterea fluxionis periculo eam exponant. Quod pure conſpurcentur, & pravis inficiantur halitibus, unde malam qualitatem & vulneratæ partis adverſam ſibi aſciſcant, & ipſius partis difflationem prohibeant, efficiantque, vt & ipſam pravam qualitatem, & malignam interdum putredinem contrahat. Quod Hipp. & Galen. vulnerum curationem pertractantes, nunquam eorum meminerint, & Gal. ipſe, vt medicamentum ad fundum vulnetis penetrare valeat, turundis non vtatur, ſed ipſum medicamentum liquet 3. Meth. 4. & lib. de Fract. 3. com. 21. graviſſima vulnera absque turundis, & penecillis curare videatur, ita loquens, ego plures, graviſſimè vulneratos curavi appoſitis ſuper ipſum vulnus linteis multiplicibus eiusmodi vino madentibus, ſuperadditaque exterius

terius molli ſpongia. Quod os vulneris occludant, & materiam purulentam ſupprimant. Quod Hipp. 5. Epid. 13. manifeſtè eorum vſum damnaverit in caſu Maſſilienſis cui currus onuſtus inductus eſt ſuper coſtas, & eas confregit. & lib. de Vlcerib. tex. 2. vbi ait. At vero recentia vulnera omnia tum ipſa, tum circumſitæ partes minimè inflammationem incurrent, ſi quis quàm citiſſimè ſuppuret, & pus oſculo vlceris non interceptum ſupprimatur, ſuppreſſionem inuens puris à turundis factam; & lib. de vulner. Cap. vbi linamenta non admittit, niſi cum amplum reddendum eſt vulnus ad oſſis exciſionem.

Admodum antiquum eſſe vſum linamentorum in curatione vulnerum, & vlcerum manifeſtè conjiciet, qui Gal. libros de Comp. Med. per Gen. legerit, in quibus plurimorum medicamentorum formulas ad vulnera, & vlcera ex antiquis Medicis ſcribit, quorum pleraque Authores linamentis excepta apponenda eſſe tradiderunt, & aliquando ad ſcripti medicamenti finem huiusmodi verba invenies, Si vulnus, aut vlcus cavum, ſeu altum ſit, linamento orificium intercipies, cum autem Galen. ea medicamenta probet, & ipſum vſum linamentorum probaſſe credendum eſt. ſed & 6. Method. 3. Vulneri in carpo cuiusdam invenis ex Polydiæ paſtillis ſapa ſolutis, poſtea ſuper calida aqua tepefactis, linamenta imbuta impoſuit, eisdem vſus eſt 3. de Comp. med. per. Gen. 3. Hipp. vſum linamentorum probaſſe, videtur colligi poſſe ex ſuo tract. de Vulner. cap. vbi tradit in vulneribus capitis non eſſe faciendam curationem linamentis, quaſi monere voluerit, capitis vulnera in hoc ab aliis vulneribus differre, quod ſine linamentis curanda ſint. Si in reliquis vulneribus vſum eorum probavit, ſaltem in capitis vulneribus ea prorſus damnavit, niſi ad amplum reddendum vulnus alicuius manualis operationis gratia, vnde & hic mirari licet, quomodo communis praxis ab Hip. receſſerit. Communis etiam pra-

xis

xis vulnera, quæ cava ſint, ſine linamentis curare piaculum exiſtimat. Authores omnes eorum vſum probant, licet fœlix Wirtzius, vt refert Sennert. 2. Chirurg. 11. in vulneribus articulorum, & manuum omnes turundas rejiciant vnum Lemoſium reperi, cui minus placent, ſcribitque 6. Meth. c. vlt. diſp. 3. Apparitium quendam à Cubia, natione Vaſconium, hominem illiteratum, qui mira in curatione vulnerum præſtabat, turundas, & penicillos prorſus ablegaſſe. Curabat autem homo hic vulnera oleo quodam à ſe compoſito, cuius compoſitionem dum vixit, nulli pandere voluit, eam verò, eo mortuo, vxor detexit Conſilio, & Stipendio regio commota, vt omnibus deinde palam fieret, recipit autem olei veteris lib. iij. vini albi antiqui, & optimi lib. ij. Reſinæ abietinæ, & in eius penuria, Terebintinæ lib ij. Thuris optimi triti, & cribrati lib: ʒ. Valerianæ, & Card. Bened. an. vnc. iv. Tritici puri pug iv. Perforatæ, & Salviæ an. lib. ʒ. ex omnibus iis ſumma diligentia, & ratione inquiſitis, atque ſelectis fit oleum hac ratione, primum vino macerandæ ſunt hetbæ per diem integrum in olla lutea vitrata, prius tamen forcipibus inciduntur herbæ. Tum Triticum, & oleum in ollam conjiciuntur, & cum bene inter ſe commiſta fuerint, olla cooperta (cooperiri etiam debet, vbi herbæ bæ in vino macerantur, ne quid ex herbarum virtutibus deperdatur) ad lentum ignem carbonibus accenſum, aut flamma exigua, & ſine fumo, vſque ad vini conſumptionem bulliant, & quandoque cum tudicula omnia ſimul agitari debent, & olla ſubindè operienda, poſtea colentur colo denſo, & exprimantur, vt herbarum virtutes in oleo maneant, inde in ollam rurſus proiicitur oleum; poſt additur terebinthina, cum qua oleum parum coquitur vſque ad olei craſſitudinem. Poſtremò etiam thus per ſe ſolum, antea optimè comminutum & vino maceratum, tum cum placuerit, inſpergitur, & parum feruere debet, deinde permittendum, vt noctem quieſcat: poſtridie co-

Compoſitio olei Hiſpatni appellati.

colatur, & vaſe vitreo, aut figulino vitro obducto ſeruatur, aut in vtris, quod etiam commodius eſſe ait, reponitur. Lemoſius pro vulneribus capitis huic oleo addebat gummi elemmi pro aliis myrrham, aloem, ſanguinem draconis & iridem. Ita autem hoc oleo vtebatur Apparitius, ante omnia è vulnere eximebat, quodcunque in illud incidiſſet, ſiue telum, ſiue teli, aut oſſis, aut rei alterius fruſtulum, ſiue pilus, ſiue ſanguis concretus: tum vulnus vino albo admodum calido lauabat, & ſi plaga anguſta erat, per cathæterem vinum immitebat. Si verò patens, vino fouebat vulnus, & illico exſiccabat; mox oleo, quod calidiſſimum, quantum patiens perferre poterat, paratum habebat, implebat vulnus; ſupraque linteola oleo imbuta imponebat, dein linteum vino calido imbutum ita tamen, vt nec linteorum numero, nec preſſu vulnus grauaretur: demum commodam adhibebat deligationem. Si vulnus erat paruum, & vulneratus mediocri temperatura præditus, ſemel in die procurabat vulnus; ſi magnum, tempusque æſtiuum, bis & ter. Si maximus ſanguinis fluxus aderat, non utebatur vino, ſed ſed oleum frigidum immitebat, quod mirificè ſanguinem compeſcebat, & non ceſſante fluore, Lemoſius permiſcebat cum oleo pulueres adſtringentes, oui albumen, & leporinos pilos. Si vulnus erat in capite etiam cum oſſis fractura, nullo modo caput aperiebat, aut terebris vtebatur, ſed oleo, & vino, vt dictum eſt, plagam curabat, vtpotè, quod tam validè exſiccet, vt neque ſaniem, neque pus intus permeare ſinat, apparente etiam cerebri membrana, craneoque in plura fragmenta diuiſo, non alio quam oleo vtebatur, narratque Lemoſius quendam, & ſi cerebrum fuerit deiectum, & cranium in plures partes diuiſum, ſolo hoc oleo curatum, affirmans, oleum partes caluariæ, quæ ſunt fractæ, ac diuiſæ, aut foras educere, aut eas mirificè vnire, idque ſæpe vidiſſe teſtatur, item oſſium ſquamas ſurſus attrahere, ac in priſtinum locum reuocare, ac fragmenta tum in capite, tum in aliis corpo-

Vtendi modus.

poris oſſibus educere, & tandem omne genus vulnerum exactiſſimè perſanare: & ſi vna pars capitis fuerit icta, altera verò fracta, ſi hoc oleo nimis calido (deraſis capillis) perungatur, inpriſtinam ſanitatem reuocare. Vinum, oua, carnes non ſolùm concedebat Apparitius, verùm etiam cogebat vulneratum aſſumere, laudat tamen Lemoſius, vt congrua victus ratio ſeruetur. Hanc etiam curandi rationem maximè extollit quod qui eo vtuntur nunquam ad Caluariæ perforationem deueniunt, neque capitis apertionem, quodque vulnera linamentis non infarciantur.

Cæſar Magatus 1. de Vuln. raró tractandis c. 45. animaduertit duplicis vſus gratia inuenta fuiſſe linamenta, ſeu penicillos, ac turundas, vt videlicet alicuius ulceris orificium hians conſeruent, uel etiam patentius reddant, quo generanda excrementa liberum exitum habeant, aut ſi quod manu agendum ſit in uulnere, ut cum os excidendum eſt, aut os, uel aliud peregrinum corpuſculum extrahendum, id commodè fieri poſſit, utque illorum ope medicamentum uulneris parietibus melius hæreat. Non eſſe autem neceſſarium eorum uſum in uulneribus contendit, ſi conueniens paretur affluxus, ut oſculum uulneris hians conſeruent ad excrementorum expurgationem, quod ſi vulnus amplum ſit, non autem profundum, uanum ſit inter ipſius labia aliquid ponere, quod immaturum coalitum prohibeat, & puri, ac ſordibus liberum egreſſum conſeruet, cum labia à ſe inuicem diſtent, ut autem agglutinentur, opus ſit, ut ad mutuum contactum adducantur, & adducta ſeruentur, & proinde ante reparationem deperditæ ſubſtantiæ, cuius interuentu ad priſtinam continuitatem redire debent ſolutæ partes, de labiorum coalitu non dubitandum, ſi verò ſit quidem amplum, uerùm & profundum, quamuis citra multorum excrementorum generationem non poſſit dies tranſigi, attamen neque neceſſarium arbitratur turundarum, & penicillorum uſum, vt vulneris orificium apertum ſeruetur, quod ante

uulneris expurgationem, & quoniam à ſe inuicem diſtant labia, & quoniam nondum tempus adeſt generationis carnis, expurgato autem uulnere citius ſemper generetur caro in fundo uulneris, ubi calor magis uiget, & continuus excrementorum affluxus ad vulneris labia impedimento ſit, ne ante vulneris repletionem coeant labia, in quo animaduertit mirum Naturæ artificium in curatione vulnerum, quandiu regulariter operatur, quæ paulatim cauitatem repleat, & uniat, orificium ſeruans ad excrementorum expurgationem, donec cauitas ſit repleta, & nihil ſit amplius, quod expurgari poſtulet.

Sed neque propter medicamentorum vſum neceſſarium cenſet turundarum, & penicillorum impoſitionem, quòd alia ratione caueri poſſit, ut ad vulneris fundum pertingant, ſi uidelicet Gal exemplo 3. Meth. 3. loquentur, & in vulnus inſtillentur.

Neque cum anguſtum eſt uulnus, admittit neceſſarium eſſe linamentorum, ac turundarum uſum, quód parendæ ſint ſubfluxiones, & congruis ſectionibus, & turunda etiam ſemel, aut iterum immiſſa amplum reddendum ſit vulneris orificium, aut noua via paranda ad excrementorum expurgationem. Quod ſi loca periculoſam ſectionem faciant, immo prorſus eam prohibeant, fatetur caſum eſſe difficilem, ſed non minus periculoſum iis, qui turunda utuntur, quàm iis, qui eas ablegant, cum turundis partes diſtendant, & dolores concitent. Si tamen citra vim, & dolorem immitti poſſint, non improbat, ut ſemel, aut iterum imponantur; quod tamen potius ad parandum effluxum admittere uidetur. Tadem uſum turundarum, ac penicillorum tunc tantùm neceſſarium exiſtimat, cum ob complicatum affectum temoranda eſt vulneris ſanatio, ut quando viſcera vulnerata ſunt, & in cauitate thoracis, aut abdominis materia continetur, aut ſub cranio collecta eſt, nec unica ſolutione auferri poteſt, & cum neceſſaria eſt aliqua manualis operatio, ut cum peregrinum corpuſculum attrahendum eſt, aut os excidendum, nec ſatis patet uulnus.

Cum

Cum igitur non ſint neceſſariæ turundæ, ac penicilli extra prædictos caſus, concludit, neque conuenientem eſſe extra eoſdem caſus earum vſum, quòd partem comprimant, diſtendant, eiſdem ſint oneri, & ideo fluxionem commoueant; quodque moleſtum ſit vulneratæ parti à re extranea tangi, cum prius non alia, quàm naturalis partis communione frueretur: quodque linamenta omnia breui purulenta materia imbibantur, & inde malam qualitatem contrahant, purulentamque materiam potius ſupprimant, quam expurgationem faciant, & proinde eorum vſum damnet Hip. 5. Epid. t. 13. in caſu Maſsilienſis, & lib. de Vuln. cap. & lib. de Vlceribus, ita loquatur, vt linamenta, ſeu turundas in curatione vulnerum ablegatorum videatur aſſerens vulnera omnia, & circumſitas partes minimè inflammationem incurrere, ſi quis ea quam citiſſimè ſuppuret, & pus ab oſculo vlceris non interceptum ſupprimatur, quo loquendi modo eam puris ſuppreſſionem ſignificare videtur, quæ accidit ob vſum turundarum, cum vulneris oſculum, niſi obturetur, pus intercipere nequeat. Galenus tameu, non ſatis conſtare, quod ſenſerit, ex aliquot eius locis colligit, cum lib. de fract 3. tex. 21, etiam graviſſima vulnera abſque turundis, & penicillis curare videatur, ſed ſolis medicamentis extrinſecus appoſitis, 6. verò Meth. 3. linamentis vſus fuerit in quodam vulnere; & in curatione vlcerum lib. de Comp. med. per Gen. ſæpè linamentorum, ac ſpleniorum meminerit.

Ex vſu igitur turundarum potius quam ex ablegatione generari poſſe concludit vlcus illud ferinum Hipp. cum oſculum vulneris occludant, & ita pus ſupprimant, ac præterea fluxionem advocent, iis verò omiſſis os vulneris patens maneat, atque adeo purulenta materia, vt generatur, poſſit etiam illico extra ferri, nullaque præſtatur fluxioni occaſio, & propterea corruere primum argumentum, quod neceſſitatem turundarum probabat. Et quoniam inſtare quis potuiſſet, quomodo, ſi tu-

ſi turundarum vſus malus eſt, ſub earum vſu tot vulnerati ſanantur, idcircò reſpondet, Naturam robuſtam ſæpè errata contemnere, nec ſemper vſum turundarum maximum, & incorrigibile damnum afferre, quia etiam dixerat in curatione vulnerum non eſſe neceſſarias turundas, & penicillos ratione medicamentorum cum ita ea parare liceat, vt ad vulneris fundum pertingant abſque vſu turundarum, quodquidem difficultatem habere videtur, cum non ſatis ſit, ſi perveniat medicamentum ad fundum vulneris, immo nec ad unaquamque eius partem, ſed inſuper requiratur, vt vis ipſis perduret, ideoque laudanda ſint linamenta, quæ longiori tempore medicamenta ſervant cuicunque vulneris parti hærentia, quæ vero inſtillantur, citò extra ferantur, vel ad vnam tantùm vulneris partem ſe recipiant, nunquam autem omnes tangant, & ſemper cum excrementis confundantur, idcircò reſpondet ſub rara ſolutione pauco tempore virtute medicamentorum nos indigere, cum potiores curationes partes non medicamentis, ſed Nature deferamus.

Septalius 8. ſuarum. Animad. n. 4. Ex eo, quod in hac medendi ratione rariſſimè ſolvuntur vulnera, infert, reiici à tali curatione genus omne turundarum, & penicillorum & ſimilium, quòd ſive ſicca, ſive medicamentis imbuta apponerentur, pure, & ſeroſis humoribus repleta intumeſcerent, & formata in cavitate vulneris partes diſtenderent, doloremque inferrent, & pus retinerent, ipſum verò ex mora maiorem putredinem conciperet, ferinumque vlcus Hipp. induceret. Neque eorum vſum probandum ſubiungit, vt aperta ſerventur vulnera, & ex profundis ichores abſtergi poſſint, & pus expurgari, quod ſi tegumento, & linteis foveatur naturalis calor, & paretur effluxus, in cavitate vulneris minime retineantur, neque quod ad carnis generationem faciant, cum potius ei impedimento ſint, dum ipſam Naturam opprimunt. Denique non ad veram, & propriam

am vulneris curationem eorum vſum admittendum cenſet, ſed tantummodo ob complicatum affectum, cuius gratia impedienda eſt vulneris vnio, aut amplum conſervandum ad aliquam manualem operationem, ut ad oſſis abraſionem, aut ad extrahendum aliquod peregrinum corpus, atque ad egreſſum huiusmodi corporum & excrementorum etiam, quæ aliunde generantur. Neque timet oris vulneris coalitum antequam cavitas ſit expurgata, & carne repleta, quod aſſiduus excrementorum effluxus coalitum impediat, & prius in fundo, vbi magis vigercalor, generetur caro, animadvertitque mirum Naturæ artificium, quando videlicet ob tegumentum robuſtior facta benè operatur cum paulatim cavitatem repleat, ac vniat, orificium ſervans ad excrementorum expurgationem, donec cavitas ſit repleta, & nihil ſit amplius, quod expurgari poſtulet. Neque timet, ne caro illa mollis, & fungoſa ad oras vulneris ſuccreſcat, & excrementorum egreſſum prohibeat, quod calor naturalis ex tegumento robuſtior factus non permittat huiusmodi carnem ſuccreſcere, & ſi qua ſuccreſcat vna, vel altera detectione pulviſculis exſiccantibus, aut filis evulſis ſiccis facilè tollatur, vt neque hac ratione admittendæ ſint turundæ, ac penicilli. Neque etiam eorum vſum admittendum, aut neceſſarium cenſet medicamentorum gratia, vt videlicet eorum ope medicamenta cuilibet vulneris parti admoveri poſſint, quod non ſit neceſſaria crebra illa medicamentorum impoſitio, & ſi quandoque neceſſaria fuerit vis alicuius medicamenti, neque neceſſarium ſit illud admovere per turundas, & ſplenia, ſed liquatum Gal. monitu immitti poſſit. Triplici igitur in caſu tantum permittit turundarum, penicillorumve vſum, cum videlicet amplum conſervandum eſt vulnus, vel etiam maius reddendum ad aliquam manualem operationem, aut ad egreſſum alicuius rei extraneæ, atque ad parandum convenientem effluxum; ratione verò curationis vulneris inutilem, immo noxium, & al-

legandum, quod partem comprimant, ac diſtendant, eidemque ſint oneri, & ita ad commovendam fluxionem faciant, & pure inducto vulneratam partem malè afficiant, & potius excrementa ſupprimant, quàm educant, vt quæ orificium vulneris obſtruant. Hippocratem etiam damnaſſe vſum turundarum, ac linamentorum affirmat quinto Epid. in Maſſilienſi, cui currus onuſtus ſuper coſtas inductus coſtas confregit, vbi reprehendit Medicos, qui linamentorum vſu pus retinente mortis cauſa fuere; & libro de Vlceribus, vbi damnat puris interceptionem ad oſculum vulneris turundarum vſum conſequentem, & lib. de Vulneribus capitis, vbi apertè linamenta reprobat, niſi amplum reddendum ſit vulnus ad aliquam manualem operationem. Et quia òbiiciebatur, in vulneribus parandam eſſe viam exitui puris, ne eo retento vlcus ferinum reddatur, & ideo adhibendas eſſe turundas, ac linamenta, ipſe negat cum Magato eorum vſu parari excrementis exitum, quin affirmat occludi potius, & impediri excrementorum egreſſum, contra ablegatis linamentis liberum habere ingreſſum.

Daniel Sennert. 5. ſuæ Prax. p. 4. c. 9. Nullum
p. 532. vſum eſſe in vulneribus turundarum, ac penicillorum ſtatuere, ait, Magatum, & Septalium, ſe autem libenter concedere, in iis vulneribus, quæ ſunt ſuperficialia, recta, & parum puris generant, turundas non eſſe neceſſarias, nec earum impoſitione temerè vulneris curationem retardandam; at ſi vulnus ſit profundum, obliquum, vt puri exitus rectus non pateat, & multum puris generetur, omnino videri turundas eſſe neceſſarias, vt puri exitus apertus per eas paretur, & via relinquatur, vt medicamenta ad interiora vulneris per eam penetrare poſſint, & ne vulneris ori-
c. 7. p. 437. ficium citius conglutinetur, & coaleſcat, antequam quod in ſuo imo vulneris conglutinetur: quæ ſi negligantur, & pus, atque excrementa in vulnere detineantur,

antur,

antur, maximorum dolorum, & periculorum cauſas eſſe poſſe exiſtimat; & commemorat aliquot exempla, quorum meminit c. 7. propoſita à Gulielm. Fabric. Centur. 4. Obſeru. 76. Primum eſt cuiuſdam ciuis Colonienſis, cui neglectis turundis vulnus, quod in manu acceperat, ſuperficie clauſum fuit, vnde circa quartam diem dolor exortns eſt, quem ſecuta febris eſt, inflammatio, & phlegmone, ita vt variis in locis exulcerata ſit manus, & non niſi magno labore fuerit reſtituta. Alterum eſt ciuis Launenſis, qui ſcalpello volam manus punxit, & quia vulnus propter ſui anguſtiam turundis apertnm minimè tenuit Chirurgus, grauiſſima ſecuta ſunt ſymptomata, & æger vix poſt diuturnos cruciatus ſanitati reſtitutus eſt. Tertium eſt Ruſticæ cuiusdam Hildanæ, quæ ſpina ſummum indicem punxit: cum verò propter cauſam antea allatam vulneris ſuperficies coaluiſſet, & pus circa partes neruoſas collectum fuiſſet, exortus eſt dolor, inflammatio, atque Gangræna, hincque Sphacelus, quæ tamen abſciſſo ad metacarpum digito conualuit. Quartum eſt Ruſtici prope Lauſanam, qui malleolo ſpinam ſibi inflixit: morbo autem neglecto, & punctura nimis citò clauſa, exortus eſt dolor, mox ſecuta inflammatio, & Gangræna, tandem Sphacelus totam tibiam inuaſit, & occupauit, cum verò abſciſſionem tibiæ recuſaſſet, intra paucos dies extinctus fuit, vnde infert, anguſta vulnera, etiamſi in partibus neruoſis ſint, turundis tamen, donec vulnus ſatis fuerit expurgatum, aperta retinenda eſſe cum enim in quolibet vulnere pus colligatur, ſi ei exitus non patet, retinetur, paulatimque incaleſcit, & acre fit, vnde in parte vulnerata præcipuè neruoſa ſequitur dolor, qui ſanguinem, & humorem attrahendo grauiſſima ſymptomata exitat. Negat, quod ipſi contendunt, oras vulneris ſemper per ſe patere, vt ad hanc rem non ſint neceſſariæ turundæ, quod ſæpè vulnera pro vario ægri ſitu, quem habuit, dum vulneraretur, ſunt obliqua, & anfractuoſa, vt, & ſi

c. 7. p. 488.

p. 532.

vulneris parietes, & labia nondum conualuerint, ita tamen ſe contingant, immo premant, vt puri liber exitus non patear.

p. 533. Secundò negat, quod ſatis ſit liquare medicamenta, vt ad fundum vulneris penetrare valeant, & ob id non ſint neceſſariæ turundæ, quod cum vulnera non recta ſunt, medicamenta ita facilè ad fundum penetrare non poſſint: & licet vulnus obliquum, & tortuoſum non ſit, tamen non ſemper commodum eſſe, ait, nimis fluida vulneri inſtillare, quod à ſanie facilè eluantur, ſed interdum craſſior bus, & viſcidioribus opus eſſe, quæ turundis illita diutius, & firmius vulneratis partibus adhærent, & proinde vim ſuam rectius exercent.

Ibidem. Tertiò negat, quod ipſi contendunt, nunquam orificium ſuperius conglutinari, antequam inferior vulneris cauitas coaleſcat, & propterea non ſint neceſſariæ turunde, quibus apertum ſeruetur orificium vulneris; hoc falſum eſſe ait, & experientiam ſæpiſſimè contrarium docere, & adducit duo exempla vulnerum à Guilielm. Fabric. Cètur. 3. Obſerv. 7. propoſita, quorum orificia fuere citò ſanata, vulnere, intus nondum ſanato, vnde pus intus collectum fuit, & inde grauia, & periculoſa mala excitata. Et quia dicunt, continuum effluxum excrementorum facturum, ne orificium vulneris claudatur, ſuis præſuppoſitis contradicere, ait, cum antea ſtatuerint, exiguam omnino puris copiam in vulnere generari.

Ibidem. Quartò, quia dicebant, Turundas partem diſtendere, & comprimere, doloremque excitare, & fluxionem parere, animaduertit turundas nec nimis craſſas eſſe debere, ut partem nec premant, nec diſtendant, & omnino nullo modo ei moleſtiam aliquam, & dolorem pariant, neque etiam puri exitum intercludant, & cum tale quod faciunt, erratum artifici, non Arti imputandum. Monet tamen etſi danda ſit opera, ut ulnera ſine omni moleſtia, dolere, uel quantum fieri poteſt

-teſt cum minimo curentur, tamen omnem moleſtiam abeſſe non poſſe, aliter omittendæ, inquit, eſſent faſciæ, deligationes, & ſuturæ: ſed inter duo mala minus eligendum.

Ibidem.

Quintò negat, omittendas turundas, quod pure inquinatæ partem uulneratam lædant, quod vbi hoc modo conſpurcatæ ſunt, detrahendæ ſint, & nouæ ſubſtituendæ: idque raram ſolutionem impugnare arbitrantur.

Tandem quia adducebant Hipp. & Gal. qui nunquam expreſſè in vulnerum curandorum ratione mentionem fecerint, reſpondet eos nec earum uſum prohibuiſſe; prius tamen ex iis, quæ Gal. de vulnerum curatione præcipit, turundarum etiam vſum quandoque probari poſſe exiſtimat. *p. 523.*

Ibidem

Itaque concludit, læuia vulnerata, & in quibus pus multum non generatur, Naturæ tutò committi poſſe, & non multùm referre etſi talia vulnera rarius detegantur, vt verò in grauioribus, & in quibus plurimum excrementorum prouenit, quis otioſus ſpectator, & cunctator ſit, & ſoli Naturæ rem omnem committat, ſe non ſuadere ſubiungit, quod ex neglecta vulneris detorſione neceſſaria tantùm vna die damni, & periculi ſuboriri poſſit, quantúm poſtea integro menſe non emandari queat. Turundæ verò, vt vbi opus non eſt, vulneri imprimantur, vel tales vulneri indantur, quæ dolores pariant, fluxionem concitent, puris effluxum prohibeant. non ſuadere, vbi tamen neceſſitas, & cauſæ ſuprapoſitæ earum, vſum poſtulauerint, eas ſine damno omitti non poſſe profitetur, quia tamen experientia artem extrudit, exemplo monſtrante curam, ſe non obſtare, ſubiungit, quin aliquis, & hanc viam experiatur ſine ægri tamen periculo, & à facilioribus, & leuioribus ex ipſius Magati animaduerſione inchoando, atque ab his ſenſim grauiora, & difficiliora progrediendo.

CONSIDERATIO VNICA.

CVm via ſymphatica curandi vulnera tota ſit in reſtituenda, & roboranda Natura vulneratæ partis, vt priſtinum robur reſumens opera neceſſaria ad ſanationem vulnerum fæliciter perficiat, iure, qui huic viæ inſiſtunt, quæcunque moleſta ſunt vulneratæ parti, euire, quantum fieri potetat, conati ſunt. Et quoniam motio, & contrectatio vulneratæ partis, vulneriſque abſterſio moleſta, & incommoda Naturæ videbatur, cum inde facilè pars doleret, & expoſitio pariter vulneris ambienti aeri, vnde non leue diſpendium referebat vulneratæ partis naturalis calor, propterea quàm poterant rarò vulnus detegebant, ac procurabant, nihil timentes ab excrementis, quibus expurgandis congruas ſubfluxiones, ſi forte deerant, principio moliebantur. Conſiderabant etiam linamenta, ac turundas eſſe quid alienum, & extraneum Naturæ, fierique non poſſe, quin ſuo contactu ſentiens partes naturali tegumento deſtitutas offenderent, atque onerarent, pure conſpurcari, & conſpurcata malè afficere partem, eandemque ſæpè diſtendere, & comprimere, ac dolorem inferre, & præſertim, cum à ſitu, & figuratione, in qua fuit collocata, remoueretur, & non rarò purulentam materiam ſupprimere, propterea turundas, & linamenta, ſeu penicillos ablegarunt: quibus etiam nullus locus eſſe poterat in eorum curandi modo, cum vulnus rarò ſoluerent, diu autem retineri linamenta pure conſpurcata intra vulnus citra partis detrimentum non poterant, vt ea tantummodo admitterent, cum remorari vulneris ſanationem oportebat, aut ad amplum reddendum vulnus, alicuius operationis manualis gratia, aut ad parandas ſubfluxiones, aut ad explorandum vulnus; nec timebant immaturum orificij coalitum, quamuis vulneris labia linamentis non interciperentur, quoniam illico ſubfluxiones parabant, vt facilis redderetur excrementorum expurgatia, & curabant, vt deor-

Quibus in caſibus vſum turundarum admittant rarò ſoluentes vulnera

deorſum verſus orificium vergeret, quo adjuvante excrementorum pondere facilius Natura purulentam materiam extra vulnus propelleret, fit enim, cum vulneris fundum primo expurgetur, & expulſa excrementa aſſiduò vulneris orificium alluant, vt ante fundi coalitum orificium occludi non poſſit. Et ea quoque ratione, quod ſi anguſtum erat orificium, ſubfluxionis parandæ gratia amplum reddebant, vnde cum labia à ſeinuicem diſtarent, coaleſcere non poterant. Neque iis indigebant, vt medicamenta vulneraria ſuſtinereet, quoniam Naturæ viribus potiſſimum curationem perficiebant, & ideo ſatis illis erat per quædam intervalla intra vulnus liquatum medicamentum inſtillare, vel catethere, cum vulnus anguſtum, & profundum erat, injicere. Hæc adeo conſentanea ſunt rei Naturæ, vt non poſſit non acquieſcere intellectus, non acquievit tamen Sennertus, & ſicuti raram ſolutionem improbavit, ita probare non potuit, vt ſine turundis, ac penicillis curatio vulnerum inſtitueretur, & ea objecit, quæ vidimus, & fundamenta, quibus innixi ita ſtatuerant, labefactare conatus eſt. Verum cum ex iiſdem principiis profecta ſint, non majoris roboris ſunt, quam ea eſſe deprehendimus quibus raram ſolutionem impugnavit. Quia perſuaſum habuit, modum curandi vulnera Magati, & Septalii eſſe ſimplicem quendam modum, quo extrinſecus apponuntur medicamenta, & poſt aliquot dies ſolvuntur, & immutantur, percipere non potuit, quomodo raró ſoluta vulnera fœliciter curari poſſint; cum enim non abſtergantur quotidie excrementa, vt fit in communi modo, neque immittantur medicamenta in vulnus, quæ ea abſumant, credidit, retineri excrementa in vulnere, indeque multa mala impendere; & propterea multa objecit Magato, & Septalio, quæ poſito vero, & germano eorum curandi modo, nullius momenti eſſe oſtendimus in ſuperiori Quæſtione: & poſitis fluxionibus, quas ipſe neglexit, nullam difficultatem facere ea, à quibus timuit

muit. Eidem fundamento inhærens, quomodo absque vſu turundarum, & penicillorum ſanentur vulnera aſſequi non potuit, & ideo, quàm neceſſarii ſint in eorum curatione, pluribus oſtendere conatus eſt: quæ, poſitis ſubfluxionibus, & vero Magati, & Septalii curandi modo, nullum negotium faciunt. In vulneribus quidem ſuperficialibus rectis, & quæ non multum puris generant libenter concedit, fieri curationem poſſe abſque turundis, ac penicillis, at in profundis, obliquis, ita vt puri exitus rectus non pateat, & quæ multum puris generant, prorſus neceſſarias eſſe arbitratur, vt puri exitus apertus paretur per eas, & uia medicamentis ad penitiores vulneris partes, & impediatur immaturus orificii coalitus, & antequam quod in imo eſt, ſit conglutinatum, vnde retinerentur excrementa in vulnere, quæ retenta dolores, & pericula vulnerato afferre poſſent. Verum ſi ſubfluxiones, & vim tegumenti cognoviſſet, non tantopere timuiſſet. Ipſe turundis immiſſis parari egreſſum excrementis credidit, at Magatus, & Septalius, cum excrementa liberum exitum non habent per vulneris orificium ſubfluxiones parant, aut turunda dilatante immiſſa ſemel, & iterum, donec orificium patens fiat, aut congruis ſectionibus, nimirum ex eiuſdem aut oppoſitæ partis, aut inter mediæ diſſectione, vt vulnus requirit, & loca permittunt, ſectionemque turunda immiſſa amplam reddentes, ſeu labia ſectionis diducentes, & per eundem facilè medicamenta opportuna immittunt. Quapropter vnica reſponſione omnibus Sennerti obiectis, & argumentis à principio adductis, ſatisfieri poſſet, ſi videlicet dixerimus, mala, quæ ipſe timet, omiſſis turundis, ac linamentis, impendere, cum non parantur ſubfluxiones, & ſubfluxionum defectu certum eſt, coaluiſſe orificium eorum vulnerum, quorum ipſe hiſtoriam narrat ex Gulielm. Fabric. minimè conglutinatis penitioribus vulneris partibus, vulnera erant anguſta, non præparabant ſubfluxiones, quid mirum, ſi occluſum

c. 9. p. 532.

Vnica reſponſione ſoluentur omnia Sennert. obiecta.

ſum fuit oſculum? Gal. ipſe huiuſmodi vulneribus cutem ſecabat ad quatuor angulos rectos, ita ut vulneris locus eſſet ſectionis centrum, & digitis labia diducebat. Si igitur parentur ſubfluxiones, nihil erit, cur timeamus orificii coalitum cum labia à ſeinuicem diſtent, vt autem coaleſcant, ad mutuum contactum adducta eſſe oporteat, & conſequenter neque erit, cur timeamus, ne ſupprimantur excrementa, ſed potius ſupprimentur, vbi vulnus anguſtum eſt, ac profundum, immiſſis turundis, quæ orificium occludunt. Sed quoniam Frater meus aliquot argumenta adduxerat, quibus probabat non eſſe neceſſarium vſum turundarum, & linamentorum in curatione vulnerum, immo noxium, videamus, quomodo iis reſpondet Sennertus, qui primam rationem Magati, qua probat, non eſſe neceſſarium vſum turundarum in curandis vulneribus ita proponit, Turundæ neque ideo adhibendæ ſunt, vt vulneris oras apertas ſeruent, neque, vt per eas medicamenta vulneris lateribus adhæreant, non quidem prioris vſus gratia, quod antequam vulnus conglutinatum ſit, ora eius ſemper pateant, ita quidem, vt nec ſi vellemus, claudi poſſint: ſed neque alterius, cum medicamenta ita liquari poſſint, vt commodè in vulnus inſtillari queant. Reſp. Sennertus negando turundas non eſſe neceſſarias, vt vulnus apertum ſervetur, cum ora eius ſemper per ſe pateant, quia ſæpè vulnera pro vario ægri ſitu quem habuit, dum vulneraretur, ſunt obliqua, & anfractuoſa, vt etſi vulneris parietes, & labia nondum coaluerint, ita tamen ſe contingant, immo premant, vt puri liber exitus non pateat. Attulit Sennertus argumentum Magati valde mutilatum. Quod enim habetur c. 5. lib. 1. non affertur à Magato ad rem determinandam, ſed ad rei difficultatem oſtendendam, & potius ex aliorum ſententia, cuiuſmodi ſolent eſſe argumenta, quæ in principiis Quæſtionum adduci ſolent ante rei determinationem. Videre oportebat cap. 45. lib. 1. vbi rem determinat,

3. De comp. med. per Gen. 2. & 3.

Vbi parantur ſubfluxiones non eſt timendus immaturus orificii coalitus.

p. 531.

Argumentum Magati.

Reſp. Senn. ad primam partem argumenti.

Infringitur.

nat, & ita arguit, aut vulnus eſt amplum & patens, aut anguſtum, & ſtricti orificii; ſi amplum, & patens ſive ſuperficiale ſit, ſive profundum, non eſt timendus immaturus coalitus, quoniam labia ſatis à ſe invicem diſtant, nec poſſunt coaleſcere niſi interventu carnis, quæ generari non poteſt, niſi ſubiecta caro convenientem habuerit diſpoſitionem, quam conſtat non habere, antequam expurgata ſint excrementa. Neque etiam poſt vulneris expurgationem claudi poteſt vulneris orificium, antequam cavitatis profunditas ſit repleta, quia citius ſemper generatur caro in fundo, vbi naturalis calor eſt robuſtior: & continuus etiam excrementorum affluxus ad vulneris orificium coalitum impedit; & propterea, vt impediatur immaturus coalitus ampli vulneris non eſt neceſſarius turundarum vſus. Si verò anguſtum ſit vulnus, quia ſectione, aut turunda dilatante ſemel, & iterum immiſſa opportunæ ſubfluxiones parantur, neque in eo, vt impediatur immaturus coalitus turundæ erunt neceſſariæ, quocirca Sennerti reſponſio nulla eſt, cum enim vulnus anguſtum eſt, obliquum, tortuoſum, ſeu anfructuoſum, parantur idoneæ ſubfluxiones, vt nullus timendus ſit intempeſtivus coalitus. Neque accidit præmaturus coalitus, niſi ob ſubfluxionum defectum. Ad alteram argumenti partem reſpondet Sennertus cum vulnera recta non ſunt, liquata medicamenta, non ita facilè ad fundum penetrare poſſe. Et licet vulnus tortuoſum, & obliquum non ſit, non ſemper tamen commodum eſſe, medicamenta nimis fluida vulneri, cum à ſanie facile abluantur, ſed interdum craſſioribus, & viſcidioribus opus eſſe, quæ turundis illita, diutius, & firmius vulneratis partibus adhæreant. At ſicuti per paratas ſubfluxiones egreſſus præbetur excrementis, ita præſtatur aditus medicamentis, quæ etiam per catetherem immitti poſſunt, & quamvis non multo poſt effluerent, id parvifaciunt, quia non ſolis medicamentis, ſed viribus Naturæ excrementis conſulunt, quod etiam ad primam

Cur non ſit timendus immaturus orificii anguſti vulneris coalitus.

p. 533. Reſp. Senn. ad alteram partem argumenti.

Infringitur.

mam argumenti partem, quia dixerat Magatus, & Septalius quoque aſſiduum excrementorum affluxum impedire coalitum vulneris, reſpondet Sennertus, hoc ſuis præſuppoſitis contradicere, cum antea ſtatuerint, exiguam omnino puris copiam in vulnere generari. Affirmarunt quidem, exiguam puris copiam effluere è vulnere, quod rarò ſolvitur, non quidem abſolutè, ſed facta comparatione ad vulnus, quod crebrò ſolvitur; tantamque affluere noverunt, quanta ſatis eſt, vt impediatur præproperus coalitus. *Ob. Senn.* *Reſp.*

Noxium arguebat Magatus eſſe turundarum vſum, quia naturæ partis ſunt infeſtæ, & partem onerant, diſtendunt etiam, & ideo fluxiones pariunt. Reſp. Sennertus, eas turundas, aſſumi poſſe, quæ allata incommoda non pariant, quia eæ ſolæ, quæ nimis craſſæ ſunt, noxiæ ſunt, monet tamen, licet danda ſit opera, vt vulnera ſine omni moleſtia, & dolore tractentur, aut quantùm fieri poteſt, cum minimo, non poſſe tamen prorſus ſine omni moleſtia procurari, aliter omittendæ eſſent, & ſuturæ, & faſciæ: ſed inter duo mala minus eligendum. Verum licet in amplis vulneribus immitti poſſint turundæ, quæ nec partem diſtendant, nec pus ſupprimant, non ob id tamen omne evitatur incommodum, quia communis Praxis huiuſmodi vulnera linamentis infarcit, quæ & parti ſunt oneri, & eam comprimunt, ac diſtendunt. In anguſtis autem vix turundam immittes, quæ oſculum patens ſeruet, & partem non diſtendat, ac dolorem inferat, niſi enim vim faciat labiis, ſemper anguſtius reddetur orificium, & tandem expurgandis excrementis ineptum at ſi craſſiores immittas, quod hodie, vt oſculum patens ſeruent, factitare Chirurgos etiam primi calculi video, non melius conſules vulnerati rebus, ab iis enim ſæpè vidi, & ſuppreſſa excrementa, & excitatos dolores inſignes, & inflammationes ſecutas, atque abſceſſus moleſtos, quos anfractuoſi ſinus exceperunt, fatetur Sennertus non poſſe evitari prorſus omnem dolorem, *Alterum argumentum Magati. Reſp. Senn.* *Infringitur. In anguſtis vulneribus vix uſurpari poſſunt turundæ citra dolorem.*

 & mo-

& moleſtiam in curatione vulnerum, inter duo tamen mala minus eligendum, at, ſi turundas adhibens, non potes absque omni dolore, & moleſtia rem tranſigere, cur eos reprehendis, qui ablegatis turundis nullo, aut minimo dolore curationem abſolvere profitentur?

Argum. 4. Magati.

Contendebat etiam Magatus cum Septalio, noxium eſſe turundarum, & penicillorum vſum, quia pure imbuuntur, & conſpurcantur, indeque malam qualitatem acquirunt. Reſp. Sennertus, vbi conſpurcatæ ſunt, detrahendas eſſe, & novas ſubſtituendas, quaſi id citra vllum incommodum fieri queat. Ita quidem habebitur ratio noxæ, quam attuliſſent inquinatæ turundæ, ſed vitantes Scyllam in Charybdim incidimus, cum ſæpè ſolventes calorem naturalem partis offendamus, & crebra abſterſione, & contrectatione partis, humorum fluxionem ad partem alliciamus, & cum vulnus multa excrementa generat, quoties qualibet die ſolvenda eſſet pars? & quamvis crebrò detrahantur, nonne aliquo etiam tempore ita conſpurcatæ intra vulnus manent? ſatius igitur fuerit abiectis turundis liberum egreſſum excrementis præſtare. Sed revertamur ad vulnera illa profunda, ſed anguſta, ac tortuoſa, quæ ſine turundis tractare nefas exiſtimat Sennertus, & videamus ſerio, an adeo alienum ſit à ratione ea ſine turundis curare. Profectò turundæ recta ſolummodo incedunt, & vbi eò pervenit turunda, vbi vulnus flectitur, vlterius, niſi vim inferas, non pertranſit, itaque reſiduum vulneris, quod priorem partem ſuperat, ſine turunda erit. Sed neque cum vulnus valdè profundnm eſt, licet recta incedat, turunda immitti ſolet, quæ ad cavitatis fundum pertingat, obſervatum enim eſt, huiusmodi turundas inſignes dolores parere, & fluxiones commovere, ſed longe brevior turunda immittitur, vt raró digiti longitudinem ſuperet, & vidi ſemper Chirurgos primi calculi, ubi incidiſſent in vulnera, in quæ inditæ fuiſſent turundæ adeò oblongæ, eas detraxiſſe, & longè breviores immiſiſſe.

Reſp. Senn. p. 534. Infringitur

Vtrum vſus turundarum neceſſarius ſit in vulneribus profundis, & anguſtis.

Hæc

Hæc eſt communis praxis, neque crediderim in Sennerti regionibus Chirurgos alia via incedere. Cum igitur ita res ſe habeat, quæram à Sennerto, quid futurum ſit de reſiduo vulneris, quod turundam non excepit, num periculum impendeat immaturi coalitus ſuperioris partis, quæ magis à fundo diſtat, cum nihil inter ora interponatur, numque valdè illud officiat vulneri, quod ſolidius medicamentum per turundas in eam vulnerispartem non immitattur, ſi ita eſſe admittit, igitur non erit potior conditio vulneris, quod turundis curantur, quàm illius, quod turundas neſcit, cum in vtroque par periculum immineat, licet enim aliqua pars huius vulneris beneficio fruatur turandæ, penitior tamen eius pars, quæ prima ſanari debet, in periculo eſt, & conſecutione quadam totum vulnus, immo deterior conditio vulneris, in cuius partim turunda immittitur, quoniam ſubiecta eſt moleſtiæ, & incommodis, quæ turundæ inferre ſolent, & ab his omnibus exemtum eſt vulnus, quod ſine tuundis curatur. Si abeſſe omne periculum velit, igitur & aberit periculum inæquali vulnere, ſi absque turundis procuretur, immo hic longius aberit periculum, quia nihil in eo eſt, quod remoretur excrementorum egreſſum, vt in eo, quod turundis tractatur, immo in eo abſunt ſubfluxiones, per quas expurgari poteſt vulnus, ille autem turunda orificium occludit, obiiciet, ſe quotidie ſemel, & iterum vulnus ſoluere, & in qualibet ſolutione partem comprimendo pus à penitioribus partibus elicere, at quid prohibet, quo minus in tentet in vulneribus, quibus turundam non adhibet, etiamſi vulnus non ſoluat? Obiiciet rurſus, niſi turundam immittat, citius, quàm oporteret, & antequam expurgatum ſit, vulnus coaleſcere, ſed quam conſentiat cum Methodo totum per partem affectam, expurgare conſidera & hic non raro decipiuntur vulnerati à gregariis Chirurgis, qui conſultò vulnerum ſanationem ſpecie neceſſariæ expurgationis remorantur, & interim vulnerati expurgant loculos. *Animaduerſiones circa expurgationem excrementorum.*
Si vulnus profundum, & anguſtum ſine turundis curari

poteſt, multò magis amplum, neque obliquitas, ſeu tortuoſitas in profundis, & anguſtis negotium facit, quoniam ſubfluxiones omne vulnus ad rectitudinem ducunt, diſſecta enim parte oppoſita, aut fluxionis loco, vulnus obliquum rectum euadit.

Subfluxiones vulnus tortuoſum ad rectitudinem dicunt.

Concludamus igitur, poſſe absque vllo periculo in curatione vulnerum vſum turundarum ablegari, immo ſatius eſſe eas reiicere, & tantummodo adhibendas, vbi opus eſt, vulnus amplum reddere alicuius manualis operationis gratia, aut parandæ ſunt ſubfluxiones, aut vulnus explorandum, aut eius coalitus remorandus alterius affectus gratia, eſt etiam, cum alimenta ipſa pars ſunt tegumenti, vt quando periit multa carnis portio, ob idque vulneris labia longè à ſe inuicem diſtant, & adduci non poſſunt: tunc enim linamenta lata, quæ vulgo faldellæ appellantur cum opportuno medicamento per vulnus diſponimus, vt vbique foueant tegumento naturali deſtitutas partes. Atque, vt vidimus, nouum non eſt, vulnera ablegatis turundis curare, cum Apparicius Vaſconius tam fæliciter quæcunque vulnera ſine turundis curaret, & Hippoc. vulnera capitis, & fortaſſe etiam reliqua. dum enim lib. de Vlceribus ait, Recentia vulnera omnia tum ipſa, tum circumſitæ partes minimè inflammationem incurrent, ſi quis quàm citiſſimè ſuppuret, & pus ab oſculo vlceris non interceptum ſupprimatur, nihil aliud ſignificare videtur, quàm puris ſuppreſſionem, quæ fit à turundis. In puncturis tamen neruorum anceps vſum valdè, an tractandæ ſint, vt communia vulnera, video Gal. adeò anixum in abſumenda ſanie, & 6. Meth. 2. & 3. necnon, & 3. de Comp. med. per Gen. 2. pariter & 3. rem hanc adeo inculcare, & die bis, terque vulnus ſoluere, & medicamenta opportuna immittere, & nocte quoque, vt verear ne non poſſit res tranſigi crebra ſolutione, & turundarum, ſeu linamentorum medicatorum vſu Neruorum ſubſtantia facilè adeo putreſcit, & tam promptè affectiones ſuas crebro, vnde principium trahunt, communi-

Neruorum punctura vi medicamentoſa indigent.

nicant, retentæque ſaniei tantillum tam grandia mala nonnunquam parturit, nam aliquando, qui videbatur ſanatus, repenten convulſus interiit, vt neceſſaria videatur vis medicamentoſa: eademque vſus eſt frater meus lib. 2. licet in rara ſolutione perſtiterit, Fateor, nobis copiam eſſe efficaciſſimorum medicamentorum, quibus carebant antiqui; habemus artificioſa Balſama, oleâ ſtillatitia ex cera, terebintina, & abietina lachryma, matres appellatas Balſami, olea compoſita ex multiplici infuſione Hyperici, & ſimilium, oleum, Apparitii, olea Vulneraria magni Ducis Hetruriæ, & ſexcenta alia; negare non poſſum, quin viderim profunda, & anguſtiſſima vulnera in partibus nervoſis vna, vel altera huiusmodi medicamentorum impoſitione brevi ſanata; ſed neque ob id acquieſco, aut timorem abieci, grauiora quoque capitis vulnera nollem quis aggrederetur, niſi prius obſeruaſſet ſub alio curationis rationem. Non enim facile eſt, tegumentum parare, quod partem protegat, non autem oneret, & adducere labia citra ſubfluxionum offenſam; & tamen ibi, ſi unquam, ſunt adducanda.

Grauiorum vulnerum capitis curatio debet addiſci ſub præceptore

Hæc habui, de curandi ratione Magati, & Septalii quæ dicerem, dictaque omnes nouerint, non ut aliquem à communi curandi vulnera modo abducam, neque altercandi, litiſue ſerendæ gratia, aut Sennerto detrahenndi, cuius ſcriptis multum tribui ſemper & ab omnibus tribuendum duxi, quin multis autor fui, vt iis delectarentur, vt omni eruditione refertis, & cuicunque legenti maximè profuturis, ſed vt rei veritas eluceſcat, & Sennertus Ipſe intelligat ſe non impugnaſſe Magati, & Septalii curandi modum, ſed quem ipſe propoſuit, longè ab eorum modo diſcrepantem, puerilem nimis, neque uel gregario cuiquam Medico attribuendum. Nefaſque eſt, uel ſuſpicari, clariſſimum Septalium, Italiæ decus, & noſtri ſæculi Hipprocatem, adeo frigidam, & jeiunam curandi rationem recepiſſe, & ſcriptis commendaſſe. Ignoſcendum tamen Sennerto eſt, qui deceptus eum modum Septalii,

talii, & Magati credidit, qui ſibi expendendus propoſitus fuit, & mihimet perſuadeo, eum æqui, bonique omnia facturum, vbi rem melius intellexerit, pergratumque illi futurum, fuiſſe admonitum: cum præſertim non minus ipſius Sennerti, quàm Septalii, & Magati partes ſuſceperim. Fortaſſe enim apud eos, qui animaduertiſſent, Autores feciſſe uiros illos tam ineptæ curandæ rationis, non prorſus benè audiſſet, multa alia dici potuiſſent, vt optimè nouit ipſemet Sennertus & pæſertim in illam Quæſtionem, An partes ſeminales ſemine nutriantur, quod negat Sennertus contra Magatum, & affirmat Magatus cum Gal. lib. 1. de Sem. 11. vbi ita ſcribit. Ne igitur opineris, ſingula ex principalibus membris animalis è ſemine à principio conſtitiſſe, aliunde verò ſuum vltimum, atque accommodatiſſimum habere alimentum, ſed hæc miſſa facere uolui, cum legenti c. 15. primi lib. Magati, & 8. p. 4. l. 5. Sennert. facile ſit coniicere, uter aberrauerit à ſcopo. Itaque iam uela contrahamus ſummo Opifici, omium gratiarum largitori gratias agentes, qui nos in portum inuexit, ita nos in portum ducat æternæ felicitatis. Amen.

FINIS.

AD LECTOREM

HÆc habui, candide Lector, quæ de noſtro curandi modo tibi proponerem, excogitata quidem non temere, ſed rationis ductu, comprobata non caſu, ſed uſu. Id autem perſuaſum habeas velim, non eo ſpectare, uti communem curandi modum labefactent, aut miſſum faciant, teque ab eo diſtrahant, verumtamen, quod æquum eſt, hoc expoſcere, ne videlicet contemnas, priuſquam rationes expenderis, & experientiam, quæ fidem inventis facit, conſulveris: Imo hæc una quamlibet difficultatem e medio tollere, omnem ex animo ſcrupulum evellere, atque ſtomachum, ſi quis in te eſſet, mitigare poterit. Integrum eſto poſtea, aut hanc amplecti viam, aut communem, & cuilibet obviam perſequi. Verum ſi æquus fueris judex, ea, non ex eorum numero, qui ſententiam ferunt, antequam partes audierint, non dubito, quin ſaltem vel invitus cogaris fateri, non ſatis elaboratam fuiſſe hactenus partem hanc Medicinæ, deſiderareque adhuc nonnihil in communi curandi modo, neque re vera tibi antea fuiſſe prorſus cognitam rem vulnerum, illud quoque ſperaverim, niſi ex iis fueris, quos livor excæcat, incredibilem te ex hac ratione curandi percepturum voluptatem, dum cernes nullo negotio, & quaſi te nihil moliente, vulnera, quæ aliis maximum faceſſunt negotium, & ſub aliena curatione gravia ſymptomata excitare conſueverunt, fæliciter ſanari. Hoc tamen tibi curæ eſſe debet, quicunqne modi hujus efficacitatem experiri volveris, ut rem intelligas. Rem vero intellexiſſe

conjicies, ubi ad exactam naturæ operum cognitionem perveneris. Atque in hac re tibimet præceptor eſſe poteris, ſi a levioribus vulneribus initium ducens ab iis paulatim ad graviora fueris progreſſus. Sic autem te exerceas velim. Primo quarta quaque die vulnus procurabis, & in unaquaque ſolutione diligenter vulneris ſtatum obſervabis, deinde ad quintam ſolutionem differes, quod quidem intervallum temporis pertimeſcendum tibi à principio non erit, cum pauca tunc generentur excrementa. Prima vero ſolutio te docebit, quouſque poſſit ſecunda protrahi. Et ſi vulnus exiguum fuerit, parum aberit, quin in hac prima ſolutione coaluerit. Et hoc modo paulatim ad raram ſolutionem te conferes. Si dolor ſupervenerit, aut febris alicujus momenti, aut aliud ſymptoma, quod te non adhuc ſatis verſatum ſollicitet, ac ancipitem reddat, ſolve, ut cauſam agnoſcas. Ita in operibus naturæ te exercebis, & vim illius aſſequeris, & quæ re vera timenda ſint, quæve ſpernenda intelliges. Viam quoque ſalutis ac mortis, quod eſt primum & potiſſimum prædictionis & curationis caput, exploratam habebis. Præterea ſtatum vulneris, & quamcunque illius immutationem ſub ipſis linteis ad amuſſim cognoſces, tuaque maxima laude prædicere poteris. Sed cave ne ſuffluxionis obliviſcaris, neve turundis aut linamentis vulnus repleas. Penicillos quoque ex ſtupis albumine ovorum imbutos, niſi fluxus ſanguinis urgeat, prorſus ablegabis, vulnuſque ipſum, priuſquam medicamentum adhibeas, curioſe abſterges, vinoque calenti ablues, ſi opus fuerit. Illud neque præteribo, interdum vulneratos offerri acribus & mordacibus ſuccis refertos, unde & excrementa vul-

neris

neris aliquam habent mordacitatem, quæ circumjacentes vulneris partes erodit, quapropter, ut eas protegas, unguentum aut ceratum album, vel quid aliud ejuſdem facultatis, linteo exceptum adhibebis. De quo volui te eſſe admonitum, ne in hujuſmodi corpora incidens, hæreres.

Reliquum eſt, ut alacri animo, quæ tua benignitas erit, induſtrios meos hoſce labores, qualeſcunque illi ſint, excipiens foveas, ut ne vel tu ex illis habearis, qui aliena opera ungue critico perſtringentes, tantum abeſt, ut ſibi laudem aliquam comparent, ut potius in petulantiæ labem incidentes ſua uſque ad interitum rodantur invidia. Vale, benigne Lector, & diu cum virtute & felicitate vive.

INDEX
RERUM ET SENTENTIARUM OMNIUM MEMORABILIUM,
Quæ in hoc Secundo Libro,
DE RARA MEDICATIONE VULNERUM,
continentur, locupletiſſimus.

A.

A*Bdominis* in cavitate contenta materia, niſi copioſa fuerit, non cogit ut vulnus inconſutum relinquatur. pag. 418. In vulnere ampliando quomodo facienda ſit ſectio. 417. In vulnere inteſtina prolapſa quamprimum introducenda, & quomodo introducantur. 418. In vulnere penetrante principio id agendum eſt, ut inteſtina, ſi exciderint, in ſuum locum reducantur; ſecundo, ut ulcus ſuatur; tertio, ut medicamentum imponas; quarto, ne qua præſtantior pars ſimul afficiatur proſpicias. 416. In vulnere reductis inteſtinis, ac vulnere contuſo, quid agendum. 419. Si inteſtina prolapſa fuerint aliqua re conſpurcata, aut ipſis adhæreat aliquod peregrinum corpuſculum, antequam introducantur, diligenter expurganda, & vino etiam calente abluenda. 418. In vulnere ſi inteſtina prolapſa flatibus turgeant, diſcutiendi flatus, priuſquam inteſtinum reducatur; & quibus ii diſcutiantur. 416. In vulnere ſi præ anguſtia vulneris inteſtina prolapſa introduci nequeant, ſectione magis amplum eſt reddendum vulnus. 417. In vulneribus ſi omentum exciderit, ne corrumpatur ab externo aëre, quam primum introducendum. 415. In vulneribus ſi omentum extra abdomen diutius manſerit, & lividum vel nigrum evaſerit, quod immutatum, vinculo eſt excipiendum, dein abſcindendum. ibid. Penetrantia vulnera omnia periculoſa, etiamſi contentæ partes non ſint vulneratæ. 410. Penetrantia vulnera quomodo innoteſcant. 402. Vulnera ita conſuenda, ut peritonæum muſculis ipſis adducatur. 412.
Vulnera,

Vulnera, quæ non penetrant, minime periculoſa. 411. Vulnerum differentiæ. ibid. Vulneribus quomodo adminiſtranda ſutura. 412.

Abraſio oſſis capitis contuſionem detegit & curat. 144. 244. Delendæ rimæ gratia quo fiat. 150. Fugienda in ſuturis. 241. Qualis eſſe debeat. 227. Quomodo fiat. 228. Vitari debet in ſuturis. ibid.

Adſtringentia in vulneribus nervorum nervo exiſtente denudato probantur, tecto improbantur 38.

Aër externus maxime inimicus partibus intra thoracis cavitatem contentis. 392. Omnis quantumvis æſtivus vulneribus capitis gravioribus eſt inimicus. 334. Quomodo præparandus vulnerato in æſtate, & quomodo in hieme. 335. Temperatus probatur in vulneribus capitis. ibid.

Aëris occurſus cavendus in vulneribus capitis etiam ſimplicibus, præſertim temporibus non calidis. 334. Totum corpus ambientis uterque exceſſus eſt vulneratis capite inimicus. 335.

In Aëris prava conſtitutione vulnus eſt magnum, quod alioquin foret parvum. 489.

Agglutinantia idonea in vulneribus oculorum. 358.

Alimenti proprium eſt a natura vinci & aſſimilari. 487.

Alterantia in vulneribus capitis. 356. In vulneribus hepatis & lienis. 424. In vulneribus thoracis cum læſione contentarum partium. 397.

Ambuſtio non comitatur vulnera ſclopo inflicta. 467. 478.

Anatomica inſpectio neceſſaria ad cognoſcendum, quando vulneratus ſit nervus. 13.

Animalis facultas ob validos ictus, cerebrum concutientes & commoventes, interdum contrahitur, & colligit ſeſe adeo, ut cerebrum proprii muneris obliviſci videatur. 174.

Animi affectus immodici vitandi ſunt a vulneratis capite, præſertim autem ira & timor. 335.

Anodyna in inflammatione ventriculi a vulnere. 458. In inflammatione uteri. 463. In veſicæ inflammatione. ibidem. In vulneribus inteſtinorum ubi dolor ſupervenit. 422. 461. In vulneribus oculorum. 358. Sola ventriculi robur diſſolvunt. 456.

Aphoriſmus. 45. part. 6. explicatur. 60.

Apoplexia cur accidat ob ictus capitis. 204. Peſſima. 193. Sequitur etiam ad carotidum arteriarum diſſectionem. 381.

Aqua calida fugienda in vulneribus nervorum. 35.

Argumentum tollens efficaciter ambuſtionem in vulneribus tormento bellico inflictis. 478.

Argumenta probantia ambuſtionem adjunctam eſſe vulneribus tormento bellico inflictis. 469. 477. ſolvuntur. 476. Probantia ambuſtionem non eſſe adjunctam vulneribus bellico tormento inflictis. 467. ſolvuntur, & ſolutio reprobatur. 470. 473. Probantia fracturas calvariæ curandas eſſe medicinis non autem oſſis exciſione. 277. 279. ſolvuntur. 292. Probantia purgationem non convenire in vulneribus capitis. 344. ſolvuntur. 350. Probantia vulnera ſclopo bellico inflicta eſſe venenata. 469. ſolvuntur. 488. Probantia vulnera tormento bellico inflicta non eſſe venenata. 468. ſolvuntur. 471. reprobatur ſolutio. 484.

Arteriæ magnæ vulneratæ indicia. 381.

Arteria magna vulnerata nimia ſanguinis profuſio confeſtim interficit. 383. Venoſa vulnerata intercepta via inſpirato aeri, atque expulſæ fuligini, neceſſario ſuccedit nativi caloris extinctio. 384.

Articulus nullus vulneratus cum luxatione eſſet reponendus, niſi propter vulgi imperitiam verenda eſſet Medici accuſatio. 432.

Articuli vulnerati cum luxatione quomodo tractandi. 437. Vulnerati cum luxatione, ſi ex minoribus fuerint, repoſiti, non neceſſario mortem inferunt, ſed tamen magna cura & diligentia opus habent, prædicendusque eſt futurus abſceſſus. 434.

Articulorum inferiorum vulnera periculoſiora, quoniam humores facilius in inferiores partes decumbunt. 431. Minorum vulnera non ita periculoſa, ſed tamen & ipſa timenda. ibidem. Vulnera cum luxatione cur lethalia omnino, ſi fiat repoſitio. 433. Vulnera cum luxatione diu tecta ſunt ſervanda, etiam ex Hippocrate. 438. Vulnera cum luxatione periculoſiſſima, & ſi quis luxatum articulum reponere volverit, ac repoſuerit, actum eſt de vulnerato, niſi articulus fuerit digitorum. 432. Vulnera

nera, & Medico, & ægrotanti, faceſſunt negotia. 432. Vulnera facillime maligna evadunt. 433. Vulnera, quæ claudos reddant. 431. Vulnera, quæ in parte interna infliguntur magis periculoſa ſunt propter vaſa & nervos ibi exiſtentes. 430. Vulnera, quæ quidem magna ſunt, & conjungentes nervos præſecant, palam eſt, quod claudos efficient. 431. Vulnera ſine luxatione quomodo tractanda. 435. Vulnera valde timenda, eo quod articuli valde apti ſunt ad recipiendas fluxiones, præſertim quæ in parte interna infliguntur, & cur. 430. Vulnerum cum luxatione longa eſt curatio, & longo tempore humore madent hujuſmodi vulnera, & proinde indigent evacuationibus & potionibus totum exſiccantibus. 438.

In Articulorum vulneribus cum luxatione ſitus & figurationis nullus habendus delectus, ſed ea eligenda, quæ ægro magis arridet, & quæ ei minus afferat doloris, modo tamen membrum non pendeat, & immotum ſervetur. 437. Vulneribus quis ſitus eligendus. 438. Vide Humeri. Cubiti. Manus. Femoris. Genu.

Aſpera arteria. Vide Trachea arteria.

Attrahentes medicinæ occulta qualitate experientia tantum innoteſcunt, quæ qualitate manifeſta id caliditate faciunt & partium tenuitate. 289.

Avicennas quomodo procuret vulnus, facta oſſis fracti repoſitione. 68.

Ad Aures evocantia materiam in vulneribus capitis, & ad earum emunctoria. 452.

C.

Caligo ante oculos cur accidat ab ictibus ex quibus os capitis diſrumpitur. 129.

Calli ad generationem quæ requirantur. 61. Generatio in oſſium fractura quomodo procuranda. 95. Interventu agglutinantur oſſa in adultis. 60.

Calor niſi adnectatur humiditas nihil poteſt putrefacere. 35.

Calvaria debilior eſt in pueris & mulieribus, quam in adultis, & viris. 135. Imbecillima eſt in ſincipite, & cur, deinde in temporibus, & cur. 138. Imbecillis eſt in loco ſuturarum. 136.

In occipite robuſtiſſima. 139. Perforanda. Vide Os capitis. Sine ſuturis robuſtior eſt. 136.

Calvariæ fractæ indicia. 127. Vide Fracturæ. Fracturæ. Vide Fracturæ. Introceſſionem non ſemper comitantur prava ſymptomata. 165. Læſiones compoſitæ. 113. Læſiones ſimplices. 114.

Camaroſis ſive concameratio quid. 123.

Capilli diſſecti, intra vulnus capitis exiſtentes, arguunt, os eſſe fractum. 142.

Capitis dolor. Vide Dolor. Externa inflammatio quo modo tractanda per ejus vulnera. 453. Inflammatio, ſi a pure retento ortum habuerit, quomodo procuranda. 447. Internarum partium inflammatio quomodo procuranda. 448. Internarum partium inflammationis indicia quæ. 438. In vulnere cum membranæ detectione maximum ſecuritatis ſignum eſt, quando incipit ab oſſe exciſo & membrana caro increſcere. 203. In vulnere cum membranæ detectione optimum etiam ſignum eſt, quando oſſe exciſo, & membrana detecta, intra ſeptimam febris non ſupervenit. Vel præexiſtens fit minor, & a membrana ad foramen materia ſub oſſe contenta pellitur. ibidem. In vulnere cum oſſis denudatione & exciſione uſque ad meditullium, non uſque ad membranam caro a meditullio ſuccreſcens bonum quidem eſt, ſed non certum ſalutis judicium. 204. In vulnere cum oſſis denudatione, quo amplior fuerit denudatio, & quo imbecillius fuerit os denudatum, eo magis timendum. 186. In vulnere ſimplici, quouſque ſit protrahenda ſolutio. 219. In vulneribus ad quæ reſpicere debeat, qui futura vult præſagire. 205. In vulneribus quæ futuram inflammationem ſignificent. 443. In vulneribus unde elicienda ſint præſagia. 179. Vulnus cum introceſſione oſſis. Vide introceſſio. Vulnus nullum contemnendum ex Hippocrate; ubi explicatur illa ſententia. 112. Vulnus nullum ſimpliciter citra periculum pronunciandum, & cur. 181. Vulnus quo facilius ſibi adnectere poteſt magnitudinem ratione facultatis, eo perículoſius cenſendum eſt: & adhuc periculoſius, quo intenſior magnitudo imminet. 180. Vulnus ſimplex quomodo tractandum per viam agglutinationis. 217.

Vulnus ſimplex quomodo tractandum per viam regenerationis carnis. 220. Vulneris cavi procuratio. 223. Vulneris cum oſſis denudatione procuratio. 224. Vulneris magnitudo varia. 180. Vulnera ad ſuturas valde timenda. 185. Vulnera ad temporalem muſculum valde periculoſa. 184. Vulnera cum oſſis detectione magis timenda. 185. Vulnera cum oſſis fractura ex ſe ſunt periculoſa, licet non ut morbi, ſed ut morbificæ cauſæ. 186. Vulnera in ſincipite ſunt magis timenda, quam in occipite. 184. Vulnerum differentiæ. 111.

Caro ab oſſe exorta ſi repente evaneſcat, aut nigra vel livida fiat, malum. 200. Ab oſſis non perfracti meditullio pullulans, non eſt certum ſalutis indicium. 204. A dura meninge pullulans maximum ſecuritatis ſignum. 203. Mollis ſæpe viſitur, quando os eſt receſſurum. 177.

Carotides arteriæ diſſectæ apoplexiam & carum protinus inducunt. 369. Quomodo tractandæ. 376.

Carotidum arteriarum vulnera omnia lethalia, propter ſubſequentem immedicabilem ſanguinis profuſionem. 370.

Carpo manus vulnerato. Vide Manus.

Caſus in terram cur accidat ex ictibus, qui os capitis diſrumpunt. 129.

Cataplaſmata laxantia fugienda in vulneribus nervorum. 42.

Cavi vulneris in carnoſa parte procuratio. 6.

Cavo in vulnere victus & evacuationes. 7.

Celſus quomodo procuret vulnus facta oſſis repoſitione. 69.

Celſi ſententia de terebratione. 286.

Ceratum ad fracturas calvariæ integra cute. 324. Ad ventriculum vulneratum. 426. Ad vulnera venenata. 108. Agglutinans noſtrum, quod ſuturæ vicem gerit, præſertim in vulneribus faciei. 363.

Cerebri concuſſi & commoti indicia. 164. Læſi & vulnerati indicia. ibid. Vulnera lethalia, & cur, ſervantur tamen aliqui, ſi vulnus ſit exiguum, pauciſſimi, ſi effatu dignum. 191. Vulnerati procuratio. 312.

Chirurgi a Phyſico ſeparatio an recte fuerit excogitata. 2.

Cibi acres & mordaces, calefacienteſque & pravum ſuccum generantes, ac multa excrementa, cavenda in vulneribus capitis. 330.

Clyſteres convenientes in inflammatione renum vulneratorum. 462. Convenientes in vulneribus craſſorum inteſtinorum. 420. Convenientes in vulneribus inteſtinorum, quando ſunt inflammata. 461.

Coitus vitandus in vulneribus capitis. 338.

Colliſio quid. 116. Mollioribus tantum oſſibus accidit. 117. Vide Contuſio, quæ incommoda afferat. 244. Quomodo tractanda. 245.

Colliſionis calvariæ indicia, quando os tectum eſt pericranio, aut etiam carnea portione. 158.

Collyria digerentia. 360. In vulneribus oculorum. ibid. In vulneribus oculorum, ſi inflammatio ſupervenit. 359. Narcotica. ibidem.

Color oſſis capitis in ejus vulneribus immutatus, malum. 198. Pravus Vulneris, vide vulneris color.

Compreſſio cerebri quæ ſymptomata afferat. 129.

Conciliatoris curatio in calvariæ fracturis. 279.

Contuſio calvariæ quid ſit. 116. Calvariæ difficillima ad cognoſcendum. 154. Calvariæ duplex eſt illiſio, quæ eſt quando os contuſum depreſſum manet, & colliſio, quando os reſilit, & ad priſtinum locum revertitur. 116. Calvariæ præcipue abraſione detegitur. 155. Calvariæ periculoſiſſima, & cur. 188. Calvariæ quomodo innoteſcat. 155. Timenda magis in capite, quam quævis alia læſio. 183. Vide Colliſio.

Contuſionis differentiæ. 118.

Cordis vulnera lethalia omnino, & cur. 383. Vulnerum ſigna. 379.

Convellatur cur oppoſita pars, reſolvatur vulnerata. 213. Cur pars oppoſita, illæſa vulnerata. ibid. Cur utraque pars in vulneribus capitis, vel reſolvatur. 212. Cur vulnerata, oppoſita vero reſolvatur. 213.

Convelli aut reſolvi oppoſitam, illæſa vulnerata, triplici ratione contingit. 210.

Convulſio & reſolutio, præſertim in oppoſita parte, ad extremum ventum eſſe ſignificant. 194. In vulnere nervorum aliquando

latenter invadit, præterquam quod appareant ſigna inflammationis aut putredinis. 18. In vulnere nervorum excitatur a fibris non ſectis inflammatis, aut purulenta materia repletis. 13. Magis accidit oſſibus fractis ſi reſtituantur, quam ſi non reſtituantur. 56. Oſſibus fractis cum vulnere accidit, ſi poſt ſecundam diem reſtituantur. ibid. Qua de cauſa ita facile ſequatur ad cæcam nervi puncturam. 13.

Convulſionis & reſolutionis oppoſitæ partis in vulneribus capitis cauſa ex Caſſio & Areta eo rejicitur. 208. De cauſa opiniones aliorum atque aliorum afferuntur & rejiciuntur. ibid. De cauſa opinio probabilis. 210.

Cranii fractura. Vide Fractura, & Calvariæ fractura.

Cruſtifica fugienda in profluvio ſanguinis ex membranis cerebri. 315.

Cubiti in vulnere recta brachii figura improbatur. 436. Vulnerati in figuratione cautio. 437.

Cubito vulnerato ſive a parte externa ſive interna, media figura eligenda. 436.

Cucurbitæ uſus in vulneribus venenatis. 105.

Curatio ſimplicis vulneris carnoſæ partis. 5. Vulneris cum oſſis fractura. Vide oſſa, & Vulneris. Vulnerum nervorum. Vide Nervorum.

D.

DEceptionis cauſa eorum, qui ſtatuerunt, vulnera tormento bellico inflicta venenata eſſe, fuit, quod horum vulnerum magnitudinem menſi ſunt ex dimenſionibus & partibus. 488.

Deligandi ratio in vulneribus cum oſſis fractura. 78.

In Deligando fracturas cum vulnere animadvertenda. 88.

Deligantes in vulnere cum oſſis fractura, quæ reſpicere debeant. 74. Quam faſciam eligere debeant. ibid.

Deligatio idonea in vulneribus capitis. 327. In fracturis cum vulnere ſive arctior fuerit facta, ſive laxior, ſolvenda, & iterum deligandum; ſi tamen laxior fuerit, non cogit, ut ſtatim ſolvatur, ſicuti quæ arctior eſt, ab hac enim imminet inflammationis & gangrænæ periculum. 82. Mala in vulneribus

ribus capitis. 327. Quæ conveniat vulneribus cum oſſis fractura, variæ ſententiæ afferuntur. 67. Et improbantur. 70. Quæ rejiciatur ab Hippocrate in vulneribus capitis. 327. Vera unde elicienda. 71.

Deligationis convenientis in fracturis cum vulnere indicia. 81. Nimis arctæ in vulneribus capitis pravi effectus. 79. Qualitas. 77.

In Deligatione facienda quæ conſideranda. 327. 328. 329.

Delirium cur ſequatur ictus capitis, ex quibus os frangitur. 129. Non ſemper comitatur inflammationes membranarum cerebri. 439. Perpetuum comitatur inflammationes diaphragmatis. 441. Perſeverans in vulneribus capitis peſſimum. 199. Per vulnera capitis non eſt expectandum manifeſtum, quando inflammationis internarum partium aliqua ſubeſt ſuſpicio; ſæpe enim delirium non eſt conſpicuum, cum tamen internæ partes inflammari cœperint. 439. Sequitur veſicæ inflammationem. 442. Sequitur uteri inflammationem in progreſſu. ibid.

Diaphragmatis inflammatio a vulnere omnino lethalis. 441. 445. Inflammatio a vulnere quomodo procuranda. 456. In vulneribus riſus apparentis cauſa. 441. Vulnera in carnoſa parte, ſi inflammatio ſupervenerit, pauci evadunt. 385. Vulnera in nervoſa parte omnia lethalia. ibid. Vulnera omnia periculoſa propter continuum diaphragmatis motum. ibid. Vulnera quomodo procuranda. 391. Vulnerati ſigna. 380. Vulnerati inflammati ſigna. 441.

Digerentia in inflammatione ex retento pure internarum partium capitis. 450. In inflammatione hepatis, debent eſſe permixta cum adſtringentibus & emollientibus. 460.

Digitis vulneratis. Vide Manus.

Dolor capitis in ejus vulneribus, qui ab eryſipelate non provenit, neque juxta naturam & conſuetudinem accidit laborantis, malum minatur. 197.

Dubitationes tres circa oſſis capitis exciſionem ſolvuntur. 273.

E.

E*Ffluxus* quomodo parandus in cavis vulneribus carnoſæ partis. 7.

Emplaſtrum ad materiam contentam ſub cranio. 254. Conveniens in fractura calvariæ integra cute. 323. Aliud. 324. De meliloto optimum digerens in jecinoris inflammatione. 461.

Emplaſtra ad inflammationem ventriculi ex vulnere. 457. 458. Apponenda ad detegendam latentem fracturam calvariæ. 146. Convenientia in vulneribus nervorum. 36. In vulneribus venenatis ad evocandum venenum. 108. In vulneribus ventriculi ad corroborandum ventriculum. 426. Relaxantia fugienda in vulneribus nervorum. 42.

Epilepſia cur accidat in vulneribus capitis. 128. 129.

Errhina evocantia materiam ad nares in vulneribus capitis. 452.

Eryſipelatis externi mala ſymptomata in vulneribus capitis inducentis indicia. 175.

Evacuationes eædem conveniunt in vulneribus ſpinalis medullæ, quæ in vulneribus cerebri. 371.

Euphorbii uſus fugiendus ſi nervus ſit denudatus. 26. Uſus in vulneribus nervorum. 27.

F.

F*Aſcia* in vulneribus cum oſſis fractura qualis eſſe debeat. 74. *Febris* ab externo eryſipelate in vulneribus capitis minime lethalis. 197. In vulneribus capitis poſt ſeptimam ſuperveniens, mala ac lethalis eſt, & cur. 194.

Febris ab externo eryſipelate in vulneribus capitis indicia. 196. A cauſa interna indicia. 197. Ex generatione puris indicia. ibid.

Femoris articulo vulnerato ſupinus decumbat æger, & congruis puluillis & deligationibus curetur, ut caput iſchii in proprio loco contineatur, & cum cicatrix gignitur, imperandum ægro, ut femur huc illuc per intervalla commoveat. 437.

Fercula convenientia in vulneribus capitis. 332.

Ferulæ non apponendæ in vulneribus cum oſſis fractura, priuſquam tranſierit inflammationis tempus, aut ſaltem laxæ deligendæ. 84. Quales eſſe debeant. 89.

Ferularum ab uſu quando omnino abſtinendum. 84. In appoſitione, quæ animadvertenda. 89.

Figura ea, quæ maxime naturalis eſt parti, ex conſequenti etiam a dolore eſt libera, & quæ a dolore eſt aliena, eidem eſt naturalis. 91.

In Figura eadem extendendum eſt membrum , quando oſſa reducere volumus , & ſub eadem coaptanda oſſa , deligandaque pars, ac reponenda. 92.

Figuratio partis, quando in ea eſt vulnus cum oſſis fractura, facta repoſitione & deligatione , qualis eſſe debeat. 90. Partium in articulorum vulneribus. 436.

Fotus ad evocandam materiam ſub calvaria collectam. 254.

Fractura calvariæ delenda , ſi totam oſſis craſſitiem non penetret ; amplior reddenda, ſi anguſta ſit , ſaltem aliqua in parte , ſi totum os penetret. 234. Calvariæ periculoſa , magis autem penetrans. 186. Facta oſſis denudatione , ſi conſpicua non fiat, adhibenda abraſio, & experimentum atramenti ; quæ tamen non habent locum in ſuturis. 145. 148. Oculis etiam dignoſcenda, proinde niſi os , in quo fracturam eſſe ſuſpicamur , ſit denudatum, detegendum eſt, congrua ſectione adhibita. 145. Oſſis ſub cute ſana quomodo cognoſcatur & procuretur. 321. Totam calvariam penetrans quomodo cognoſcatur. 161. 162.

Fracturæ calvariæ indicia ex ſecutis ſymptomatis. 127. 128. Indicia ex teli qualitate. 131. Indicia ex vi percuſſionis. 133. Indicia ex viſu & tactu. 142. Indicia in alia parte a vulnerata. 158. Indicia in interna parte cranii illæſa externa. 161. Indicia leviora. 153. Indicia ſumpta ex diſpoſitione ſeu paſſibilitate vulnerati ſecundum affectam partem, tum ſecundum calvariam in genere, tum ſecumdum ejus partem vulnere affectam. 135. Indicia unde deſumantur. 127.

Fracturam calvariæ quæ ſymptomata comitentur , & qua de cauſa. 128. 129.

In Fractura calvariæ rima periculoſior eſt quam ſedes. 187.

De Fractura oſſis in alia parte a vulnerata quid ſentiendum. 124.

Fracturæ calvariæ compoſitæ & ſimplices. 118. 119. Compoſitæ proprio nomine carentes. 123. In plenilunio magis timendæ. 192. Qua ratione ſint morbificæ cauſæ. 234. Quid mali afferant. ibid. Tractandæ ut morbificæ cauſæ. ibid. Ut morbi ſunt, qua ratione eſſent tractandæ. ibid.

Fracturarum oſſium variæ differentiæ. 50. Vide Oſſis.

In Fractu-

In Fracturis calvariæ impediri non poteſt materiæ collectio ſupra membranam, citra oſſis exciſionem. 287.

Fungus in membrana quomodo generetur. 312. Quomodo tollatur. ibidem.

G.

G*Aleni* ſententia de terebratione. 285.

Gangræna cerebri lethalis; interdum tamen evadunt. 199.

Gargariſmata ad evocandam materiam ad fauces in vulneribus capitis. 452. Ad gulæ & faucium vulnera qualia conveniant. 374.

Genarum in vulneribus quomodo adminiſtranda ſutura. 362. In vulneribus victus conveniens, tam ſi læſus fuerit temporalis muſculus, quam ſi citra ejus læſionem contigerit. 365. Vulnera cum læſione temporalis muſculi quomodo procuranda. 364. Vulnera per agglutinationem ſunt curanda, ſi fieri poſſit. Idcirco ſutura indigent, ſi fuerint profunda. 362. Vulnera periculo vacant, niſi læſus fuerit temporalis muſculus; cum hujus enim læſione valde periculoſa ſunt. 363. Vulnera quandoque ſequuntur immoderatæ ſanguinis profuſiones, convulſio & mors. 362.

Genis vulnerati a locutione & maſticatione, etiam mediocri, caveant, ſi vulnera ſint magna; ſi parva, mediocris maſticatio concedi poterit. 365.

Genu vulnerato recta figura eligenda. 437.

Genuum vulnera periculoſiſſima. 431.

Globulus tormento manuario exploſus ambuſtionis non eſt particeps. 478.

Guido Cauliacenſis quomodo vulnus cum oſſis fractura procuret, facta oſſis repoſitione. 69.

Gulæ in vulneribus gargariſmata conveniunt; debent autem guſtui eſſe grata, ſicut & quæ degluttiuntur. 376.

H.

H*Epar* vulnera habet plurimo manantia ſanguine, atque idcirco moriuntur, priuſquam vulnera agglutinentur. 405.

Hepatis inflammatio a vulnere, licet propter partis præſtantiam ſit valde timenda, nihilominus, niſi vulnus baſim jecinoris aut penitiores ejus partes attigerit, congrua curatione adhibita

ta, non raro ſanatur: At, ſi vulnus ſit magnum, perpauci evadunt. 445. 446. Vulnera magna lethalia, parva ſanari poſſunt. 405. Vulnera quomodo tractanda. 423. Vulnerati inflammati curatio. 459. Vulnerati inflammati ſigna. 441. Vulnerati inflammationi quæ revellentia conveniant, & quæ digerentia. 459. 460. Vulnerati ſigna. 403.

Hippocratis locus explicatur ex libro de vulneribus capitis. 112. Locus alius ex eodem libro. 120. Sententia de terebratione. 284. Textus quartus libri de Vulneribus capitis explicatur. 137. Textus quintus ejuſdem explicatur. 138. Textus ſextus ejuſdem. 136. 139. Textus undecimus ejuſdem. 152. Textus alius explicatur. 181.

Humeri antica parte vulnerata alæ diploma craſſius ſubjiciendum, aliquoque involuendum brachium, quod cubitum ſuſtineat, ut caput humeri altius impellat. 436. Ima parte vulnerata, ſtatim ac vulnus coaluit, imperandum ægro, ut brachium huc & illuc moveat per certa intervalla, ne, inducta cicatrice, læſio in motu contingat. ibidem.

Humida omnia fugienda ſunt in nervorum vulneribus. 35.

Humor, quem proprius calor non obtinet, nihil habet reliquum, niſi ut ad putredinem convertatur. 489.

I.

Ictus vis quomodo oſtendat fracturam calvariæ. 95.

Iecinoris vulnerati & inflammati. Vide Hepatis.

Iejuni inteſtini vulnera omnino lethalia. 408. Vulnerati indicia. 404.

Ignis cur expellat globulum in tormento bellico contentum. 478.

Ignita ferramenta fugienda in vulneribus nervorum. 41.

Illiſio quid. 116. Vide Colliſio.

Indicationem, quæ a partibus ipſis præſtatur, ſi quis detraxerit, nihil prohibet, quo minus medicinam non ſex menſibus, ſed ſex diebus perdiſcas. 5.

Indicationes curativæ in nervorum vulneribus. 20. In oculorum vulneribus. 361. In oſſe fracto penitus, ſed a ſede ſua non emoto. 62. In oſſium fracturis cum ulcere. 61. In vulnere ſpinalis medullæ. 371. In vulneribus capitis cum læſione membra-

membranæ & cerebri. 217. In vulneribus capitis cum oſſis fractura. 215. In vulneribus tormento bellico inflictis. 490. In vulneribus venenatis. 102.

Inflammatio internarum partium omnium a vulnere lethalis. 444. Oculorum vulneribus ſuperveniens quomodo tractanda. 361.

Inflammationis internarum partium in capitis vulneribus indicia quædam. 439. Oculorum indicia. ibidem.

Inflammationem futuram in vulneribus capitis quæ ſignificent. 439. Futuram in vulneribus quomodo prævidere poſſit Medicus. 443.

Injectiones quando conveniant in penetrantibus vulneribus thoracis. 390.

Inteſtina craſſa vulnerata curationem recipiunt. 409. Prolapſa in abdominis vulnere quomodo introducenda. 416. Vulnerata cum ſubſtantiæ deperditione quomodo tractanda. 422. Vulnerata potionibus vulnerariis indigent. 420. Vulnerata ſi fuerint ad manus conſuenda, & quomodo. 419.

Inteſtinorum craſſorum vulneribus convenientes clyſteres. 420. Craſſorum vulneratorum indicia. 404. Craſſorum vulneratorum inflammationes periculoſæ, non tamen prorſus lethales, niſi cum eo devenerint, ut impediant fœcum tranſitum. 416. Tenuium inflammatio omnino lethalis. 445. Tenuium omnium vulnera, quæ ad internam cavitatem penetrant, lethalia. 409. Tenuium vulneratorum indicia. 408. Tenuium vulneribus quæ per os exhibita conveniant. 420. Vulneratorum inflammationis curatio. 461. Vulneratorum inflammationis ſigna. 442.

Inteſtina cum deperditione ſubſtantiæ vulnerata integra ſanitas raro ſequitur, ſed remanet ulcus fiſtuloſum. 409. Vulnerata conſuebat Celſus & Galenus. 419. 421. Vulnerata conſuta quæ agglutinent. 420.

Introceſſio compoſita eſt fractura compoſita ex rima, contuſione & oſſis loci mutatione. 119. Oſſis talis, ut membranam & cerebrum comprimat, periculoſa valde. 192. Simplex quid. 119. Simplex, accidens pueris abſque vulnere carnoſæ partis, a natura abſque externa ope ſanatur. ibidem. Simplex calvariæ, ſi nullum ſymptoma pravum invehat, naturæ committenda. 246.

Simplex calvariæ, ſi prava ſymptomata concitet, terebra adhibenda, & os quamprimum elevandum. ibidem.

Introceſſionis compoſitæ differentiæ. 120. Compoſitæ procuratio. 247. 248. Simplicis differentiæ. 119.

Introceſſionem oſſis capitis non ſemper ſequuntur prava ſymptomata. 165.

Ira fugienda eſt a vulneratis capite; ea etenim fervet ſanguis, & repletur caput vaporibus. 337.

Jugulares venæ vulneratæ quomodo tractandæ. 370.

Jugularibus venis vulneratis valde lethale eſt ob ſubſequentem ſanguinis profuſionem, cui ſuccuri non poteſt conſtrictione juguli, citra periculum ſtrangulatus. ibidem.

L.

L*Actis* emulctio fugienda eſt in vulneribus capitis, & cur. 338. *Lambitiva* ad vulnera œſophagi. 374. Ad vulnera traheæ. ib. In vulneribus thoracis cum læſione pulmonum...... In vulneribus thoracis cum materia contenta. 394.

Lethargus in vulneribus capitis perniciosſus. 193.

Lienis vulnera quomodo tractanda. 423. Vulnera ſunt valde periculoſa, magnaque lethalia, levia ſanari poſſunt. 407. Vulnerati indicia. 403. Vulnerati inflammatio periculoſa, & cum magno vulnere pernitioſa. 646. Vulnerati inflammati curatio. 461. Vulnerati inflammati ſigna. 441.

Ligamentorum duræ meningis ad ſuturas exiſtentium contuſionis indicia. 159. Quibus dura meninx cranio alligatur, diſruptorum indicia. 170.

Linamenta reprobantur in vulneribus capitis. 299.

Lingua in vulneribus capitis ſi puſtulis extuberet, valde lethale eſt. 199.

Linguæ in vulneribus cavendum a maſticatione forti & locutione, ut lingua quieſcat. 368. Puſtulæ in vulneribus capitis unde proveniant. 199. Vulnera ſimplicia conſuenda, & conſuendi modus. 368. Vulnera ſimplicia quæ medicamenta expoſcant, & quæ cava etiam. ibidem

Loch ad vulnus aſperæ arteriæ. 374. Ad vulnus œſophagi. ibidem.

Luxatio

Luxatio articuli cum vulnere periculoſiſſima. 432. Articuli, ſi reponatur articulus, omnino lethalis, niſi articulus ſit digitorum. 433.
in *Luxatione* articuli cur ſuccedat mors, ſi reponatur articulus. ib.
Luxati articuli cum vulnere non ſunt reponendi, niſi ſint ex minimis, contra Paulum Æginetam. 434. Vide Articuli.

M.

M*Achinamenta* in vulneribus cum oſſis fractura. 238. 254.
Manus carpo vulnerato, vel digitorum manus articulis, a quavis parte vulnus contigerit, continenda eſt ſemiflexa manus & digiti. 437.
Materia intra thoracis cavitatem contenta interdum ob copiam ita facultatem opprimit, ut nulla excitetur tuſſis. 381. Sub oſſe collecta, per vulnera capitis, non poteſt uſu potionum tolli. 288. Sub oſſe collecta, per vulnera capitis, non poteſt medicamentis externis citra oſſis perforationem tolli. 289. Sub oſſe contenta integra cute quid agendum. 252. Sub oſſe contenta, in vulneribus capitis, quæ mala inferat. 287. Sub oſſe contenta, in vulneribus capitis, quomodo derivetur ad communes vias. 252. Sub oſſe contenta, in vulneribus capitis, quomodo digeratur. 254.
Materiæ collectio impediri non poteſt in fracturis calvariæ abſque oſſis exciſione. 285.
Materiæ intra thoracis cavitatem contentæ quomodo conſulendum. 388. Sub oſſe contentæ in vulneribus capitis quomodo parandus exitus. 252. Sub oſſe inter utramque membranam contentæ quomodo parandus exitus. ibid.
Materiam contineri intra thoracis cavitatem, quibus ſignis deprehendatur. 381.
Materiæ medicæ in vulneribus nervorum. 26.
Medicamenta actu frigida fugienda ſunt in vulnere cum oſſis fractura, rigores enim febriles inducunt, & interdum etiam convulſionem. 97. Ad membranam cerebri denigratam ex corruptione. 304. Ad membranam denigratam ex refrigeratione. 305. Ad membranam inflammatam. ibid. Ad ſanguinis profluvium ex membranis quæ fugienda & quæ admovenda. 314.

Ad ſanguinem contentum ſupra cerebri membranam. 310. Ad vulnus tenuis membranæ & cerebri. 312. Ad vulnera craſſæ meningis. 313. Ad vulnera venenata applicanda. 104. Ad vulnera venenata aſſumenda. ibidem. Agglutinantia oculorum vulnera. 360. Attrahentia peregrina corpora in oculis contenta. 358. Congrua dolori & inflammationibus oculorum. 359. Congrua in contuſionibus nervorum. 48. Convenientia in fractura calvariæ, integra cute. 322. In penetrantibus vulneribus thoracis citra læſionem contentarum partium & materiæ collectionem. 387. In punctura nervorum. 24. In vulneribus inteſtinorum. 419. 420. In vulneribus nervorum quando putredo apparere incipit. 45. In vulneribus ſpinalis medullæ. 371. In gulæ & faucium vulneribus debent eſſe liquida & liquabilia, & craſſitiem ac lentorem quendam habere, ut ſe poſſint diffundere & ad partem pervenire, illique adhærere, ac veluti concreſcere per aliquod temporis ſpatium. 375. Evocantia materiam ad conſuetos meatus. 254. Evocantia venenum. 104. Evocantia venenum ſpagyrica. 109. Ex euphorbio & ſulphure fugienda, nervo exiſtente denudato. 38. Ex euphorbio in vulneribus nervorum. 25. 26. Ex euphorbio quæ conveniunt. 27. Ex euphorbio quæ extrinſecus apponi debeant. 26. Membranæ denudatæ, quando adhuc labem non contraxit. 297. Membranæ denudatæ quando ſub oſſe reperta eſt materia. 301. Per os exhibenda in vulneribus inteſtinorum. 420. Per os exhibenda in vulneribus oris ventriculi & rectus eorum uſus. 428. Per os exhibenda in vulneribus ventriculi. 425. Quæ deglutiuntur ad vulnera, cavendum ne habeant aliquam adverſam qualitatem ventriculo aut toti. 376. Quæ extrinſecus applicata materiam ſub oſſe contentam attrahant, non reperiuntur. 288. Quæ vim habeant ſanguinem in thoracis cavitate contentum fundere. 391. Varia ad nervorum vulnera ex Galeno. 29. 32. Varia ad nervorum vulnera recentiorum. 32.

Medicamentorum ex euphorbio ad nervorum vulnera apta compoſitio ex effectu elicienda, & quomodo. 27. Membranæ denudatæ rectus uſus. 298. Vulneratorum nervorum facultas tum tenuis

nuis

nuis eſſe debet, tum modo calefaciens, & quæ exſiccare citra mordacitatem poſſit. 24.
Medici æque eſt juvantia adhibere & a nocentibus præcavere. 335.
Membranæ craſſæ cerebrum involventis denigratæ procuratio. 305. Craſſæ detectæ procuratio, quando labem aliquam non contraxit. 303. Craſſæ inflammatæ procuratio. 307. Craſſæ livor & denigratio, quando intra quartam non removeantur, lethalis. 304. Craſſæ, per vulnera capitis læſæ, ſigna. 163. Craſſæ per vulnera capitis compreſſæ ſigna. ibid. Craſſæ vulneratæ procuratio. 312. Craſſæ vulneratæ ſigna. 164. Fungus quomodo tractandus. 313. Immobilitas, niſi ex aliqua manifeſta cauſa, mala eſt. 201. Procuratio, quando materia ſub oſſe concluſa reperitur. 301. Receſſus a proprio loco notabilis. 307. Receſſus a proprio loco procuratio. 311.
Membranarum vulnera lethalia. 191.
Membrum ſub eadem figura, quando fracta oſſa & a ſuo loco emota reducere volumus, extendendum, & coaptanda oſſa, & deligandum, & reponendum, omnia enim hæc facienda ſunt membro in ſua naturali figura exiſtente, & quæ a dolore maxime ſit aliena. 92.
Morbus morbo tollitur, ut evitetur majus malum. 293.
Morbi tractantur a Medicis, quandoque ut morbi ſunt, quandoque ut morbificæ cauſæ, & qua ratione utrumque fiat. 231.
Muſculus temporalis non eſt conſuendus. 218. Non eſt ſecandus, vel cum timore. ibidem.
Muſculi temporalis vulnus maxime præcavendum ab injuriis ambientis. 219. Quomodo tractandum. ibidem.

N.

N*Arcotica* & eorum uſus in vulneribus oculorum, ubi ſupervenit inflammatio. 359. In vulneribus oculorum ſunt fugienda fortiora. ibidem.
Narium vulnera nulla periculoſa, ſed in ipſis decoris maxima habenda eſt ratio. 366. Quomodo tractanda, ſi fuerint cum defectu ſubſtantiæ. ibidem. Quomodo tractanda, ſi fuerint cum oſſis naſi fractura. ibid. Quomodo tractanda, ſi nihil ſubſtantiæ fuerit deperditum. ibid.

in Narium vulneribus quæ deligatio conveniat. 366.

Naſi deperdita portio quomodo reſtituatur. ibidem.

Natura non poteſt venenum vincere, ſed ab eo vincitur. 482.

Nervus punctus medicamenta poſtulat moderate calida, valde exſiccantia, citra dolorem tamen, & tenuium partium. 24. Recurrens, ſi altera ex parte præſecetur, vox erit in poſterum rauca, ſi utraque ex parte, vox amittitur. 370. Si contuſus fuerit & diſrupta ſimul fuerit pars carnoſa, conveniunt medicamenta, quæ moderate calefaciant & fortiter exſiccent & quandam vim aſtringentem habeant, & quæ horum materia. 47. Vulneratus quando penitus præſecandus, ut vitetur convulſio. 40.

Nervi in vulnere quandoque convulſio latenter invadit, & præterquam quod appareat ſignum inflammationis aut putredinis. 18. Punctura cæca convulſionem facile accerſit. 11. Puncturæ curatio per exſiccantia. 21. Puncturæ cæcæ, quæ nullum admittit medicamentum, curatio. 22. Puncturæ cæcæ quæ medicamenta requirant. 24.

Nervo contuſo atque ſimul lacerato, modo non omnes fibræ ſint diſruptæ, eadem curatio competit, quæ nervo non penitus diſſecto. 47. Contuſo vel attrito idem imminet periculum, ac ſi tranſverſim ex parte tantum eſſet diſſectus. 17. Vulnerato detecto quæ conveniant. 38. Vulnerato detecto quæ extrinſecus apponi debeant. ibidem. Vulnerato dolores inſignes accidunt, niſi totus nervus ſit diſſectus. 9.

Nervo toto diſſecto res eſt in tuto. ibidem. Vulnerato detecto frigida fugit Galenus, tepida probat æſtate & in temperatura calida, calida vero improbat. 43. Vulnerato detecto fugienda ſunt omnia acria & mordacia, & ob id medicamenta omnia ex euphorbio & ſulphure. 37. Vulnerato & denudato cavenda ſunt olea & oleoſa omnia ac pinguia, item cataplaſmata relaxantia ſeu emollientia. 42. Vulnerato, ſi uſque ad quintam vel ſeptimam diem nec phlegmone tentetur, vacetque prorſus dolore & nullam ſentiat tenſionem, in poſterum tutus erit. 18.

Nervi cur ita facile putreſcant, Avicennæ & Galeni ſententia. 14.

Improbatur. 15. Alia ratio. 17. Non ſunt tangendi ignito ferro. 41. Senſus, ſi intra ſubſtantiam cerebri per capitis vulnera disrumpantur, quibus ſignis innoteſcat. 170. 171.

Nervorum vulneribus aqua calens fugienda. 35. In vulneribus circumjacentibus partibus quæ adhibenda. 45. In vulneribus curativæ indicationes. 20. In vulneribus idonea medicamenta, ſimplicia & compoſita. 26. In vulneribus omnibus cavenda ſunt actu frigida, & tepida. 42. In vulneribus quæ conveniant, quando putredo apparere incipit. 45. In vulneribus quousque protrahenda ſolutio. 44. In vulneribus ſollicitos nos eſſe oportet in ſubtrahenda fluxionis & inflammationis materia. 21. In vulneribus tumor apparens, ſed repente deliteſcens, malum; ut etiam omnino non apparens. 18. 19. Non totales præciſiones conſequitur convulſio, communicata noxa à fibris diſſectis, iis, quæ non ſunt diſſectæ. 9. 13. Totales præciſiones conſequitur debilitas particulæ in ſenſu & motu. 13. Vulnus quomodo tractandum. 35. 36. Vulnera non ſemper inducunt læſionem in ſenſu & motu, ſed tunc tantum, quando medullaris ſubſtantia læſa eſt. 10. Vulnera quanti momenti. 8. Vulnera, quo majora ſunt ſecundum eſſentiam, eo minus periclitatur vulnerati ſalus. 8. 9. Vulnera, ſi inflammari cæperint, & cæca ſit punctura, ſectione congrua dividere orificium oportet. 37. Vulnerum præſagia. 13. Vulnerum varia ſymptomata. ibid. Vulneribus priusquam admoveantur medicamenta, ſi pars doleat, ſatius erit dolorem ſedare fotu partis ex oleo aliquo tenuium partium non aſtringente. 35.

O.

Obcæcatio in vulneribus capitis mala. 193.

Obmuteſcentia in vulneribus capitis peſſima. ibidem.

Oculus vulneratus in quiete continendus. 336.

Oculorum inflammatio à vulnere periculoſa. 359. Inflammatio à vulnere quomodo procuranda. 454. Inflammationis ex vulnere indicia. 444. Inflammationi ex vulnere convenientia medicamenta. 359. In vulneribus agglutinantia idonea. 358. In vulneribus ſupercreſcens caro quomodo detrahenda. 361. Vulneris cum contuſione curatio. 360. Vulnera nulla ſunt ſpernenda

da propter partis nobilitatem, ſtructuram, & exquiſitum ſenſum. 356. Vulnera quomodo tractanda. 357.

Oculis vulnerati decumbant capite elevato, ſuperfluum vitent ſomnum pulverem & fumum, resque vaporoſas oculos ferientes, & lachrimas. 337.

in Oculis peregrina corpora contenta quomodo extrahantur. 358.

Oeſophagi vulnus, ſi magnum ſit, periculoſum eſt, & difficulter ſanatur, quoniam ob deglutitionem eſt in continuo motu, & ſuperveniens inflammatio ipſum obſtruit: parvum curari poteſt. 370. In vulneribus cavendus vomitus. 374. In Vulneribus ſæpe deglutire oportet medicamenta opportuna, ſed parum pro vice, ne nimis oneretur ventriculus. 376. Vulnera quomodo procuranda. 400. Vulnerum ſigna. 370.

Oeſophago totaliter præciſo, lethale omnino vulnus eſt. ibid.

Oleum catellorum 493. 494. Stillatitium terebinthinæ & abietinæ lacrimæ, & oleum balſami, item oleum Auctoris de hyperico cum aqua ardente, optima ad nervi puncturam. 22. Vitellorum ovorum ſedat dolores. 359.

Oleoſa omnia fugienda ſunt in vulnere nervorum, nervo denudato exiſtente. 41. 42.

Olfacienda ad abſumendam materiam in vulneribus capitis ſub oſſe contentam. 452.

Omentum ſi in vulneribus penetrantibus abdominis exciderit, antequam pereat ejus nativus calor, quod facile contactu ambientis aëris accidit, introducendum, & ita quam primum. Si jam livere aut nigricare cœperit, quod livet aut nigricat vinculo excipiendum, deinde amputandum. 415.

Optici nervi præciſi & ſanati hiſtoria. 172.

Os abſceſſurum in vulneribus cum oſſis fractura quæ ſignificent. 53. capitis ad ſinciput & ad ſuturas debiliſſimum. 136. capitis an in uno vel pluribus locis ſit perforandum, & quantum ejus excidendum. 260. &c. capitis excidendum ſeu perforandum, quando rima anguſta totum penetrat; & quibus inſtrumentis perforetur. 237. 238. capitis fractum in parte interna quomodo tractandum. 161. capitis fractum integra cute, ſi prava ſymptomata excitet, denudandum congrua ſectione, ut fractura

inſpici

inſpici & procurari poſſit. 321. Capitis fractum integra cute, ſi nullum excitet ſymptoma, medicamentis agendum, non denudandum. 323. Capitis in temporibus robuſtius eſt oſſe ſincipitis, ſed reliquis imbecillius. 138. Capitis interdum per vulnera ſphacelatur, & tanta putredine & corruptione urgetur, ut inuſtio ſit neceſſaria. 321. Capitis nigrum fit,à principio vulneris,oſſe minime perforato, vel ob inflammationem, vel ob contuſionem & ſuppurationem, vel ob materiam ſub oſſe contentam, vel ob mortificationem ab ambiente. 319. Capitis non ſemper excidendum penitus usque ad membranam. 271. Capitis prave afficitur à mala carnis affectione. 238. Capitis quando excidendum ſeu perforandum. 266. Capitis quod introceſſit, cum rimis anguſtis, terebram requirit. 249. Capitis, quod introceſſit, quomodo elevandum. 248. Capitis, quod vehementer confractum eſt, totum auferendum. 263. Capitis quomodo conſervandum per capitis vulnera. 317. Capitis quomodo excidendum. 268. Capitis quot ex cauſis ſit excidendum. 255. Capitis ſi introceſſerit cum rimis patentibus, & nihil incommodi afferat, ſinendum, nec vis inferenda. Si ſymptomata afferat, quam primum elevandum. 248. Capitis, ubi receſſurum eſt,ſæpe caro mollis viſitur. 177. Carne penitus nudatum ſolet abſcedere. 52. Cur abſcedat. 224. Illud, in quo læſionem eſſe ſuſpicamur, niſi detectum ſit, detegendum, ut conſpicua fiat fractura. 145. Impediens, ne fiat oſſis fracti & à ſua ſede emoti repoſitio, præcidendum, aut ſerra, aut ſcalpro; prædicenda vero ex hoc futura partis brevitas. 99. Occipitis omnium robuſtiſſimum. 139. Præciſum tranſverſim penitus ægre ac tarde agglutinatur. 57.

Oſſis abſceſſus, aut ſeparatio, quando futura. 58.231. Capitis fracti indicia. Vide Fracturæ. Circuitus totus, ſi in quadraginta diebus recedat, optime recedet. 59. Colliſio. Vide Colliſio. Detractio non æque ſecura eſt in omnibus calvariæ partibus; non enim in ſuturis eſt tuta. 264. Detractio non omnino tuta, etiam in oſſibus petroſis, & laterali capitis parte. 265. Fracti ſecundum totam ſubſtantiam cum vulnere procuratio. 63. Fracturam vulneri adnexam quæ ſignificent. 52. Fracturarum cauſæ. 51. Fracturarum

rarum differentiæ. 50. in exciſione in capite quæ animadvertenda. 255. Introceſſio. Vide introceſſio. Portio carnem disrumpens, & extenſionem propter illatum dolorem prohibens, præſecanda, antequam fiat extenſio. 99. Portio præciſa auferenda. 63. Portio præciſa quando ſinenda. 61. 62. Quantum excidendum in rima, & ſede teli. 260. Subſtantiæ portione diſſecta quid agendum. 250. Vividus color, ſi in lividum aut nigrum trensmutetur, eſt malum. 200.
Oſſi capitis denigrato quomodo conſulendum, & malis, quæ illius denigrationis ſunt cauſæ. 319.
Oſſe capitis fracto, & à ſua ſede emoto cum ulcere, repoſito, ſi convulſio ſuperveniat, exigua eſt ſpes ſalutis. 56. Capitis fracto integra cute quæ conveniant. 322. Capitis ſano exiſtente ſubjectæ partes non poſſunt male ſe habere. 320. Capitis vitiato & non perforato, non poſſunt ſubjectæ partes eſſe ſanæ. ibid.
Oſſa fracta cum vulnere, & à ſede ſua emota, poſt ſecundam diem, & ubi inflammatio cœperit, non ſunt reducenda. 63. Fracta cum vulnere, & à ſede ſua emota, quomodo reducenda, & quid facta repoſitione agendum, ſeu quomodo tractanda ſit pars, variæ ſententiæ. 65. 67. Fracta non coaleſcunt vero coalitu in adultis. 61. Quæ citius areſcunt, & quæ citius ſuccreſcente carne propulſantur, citius ſeparantur. 60. Quæcunque repoſitionem refugerunt, & quæ penitus carne nudata ſunt, recedunt. 100. Tarde abſcedunt, quando tarda fit ſuppuratio. 58.
Oſſium agglutinationis tempus longius eſt, quando adnexum eſt ulcus. 60. Agglutinationis tempus varium. 59. Portio ſi deficiat, non reſtauratur, & ob id cicatrices cavæ fiunt. 60.
Oſſibus fractis cum ulcere convulſio magis ſupervenit ſi reſtituantur, quam ſi non reſtituantur. 56. Fractis cum ulcere, ſi non reponantur, ſanitas, quæ ſequitur, vitiata eſt. 57. Fractis cum ulcere, ſi non reponantur, tardius ſequitur ſanitus, & difficilius. ibid.

P.

P*Alpebrarum* vulnera quomodo tractanda. 361.
Pareus quomodo procuret vulneratam partem cum oſſis fractura, facta oſſis repoſitione. 69.

Pars

Pars deligata, quando in ea eſt vulnus cum oſſis fractura, quomodo reponenda. 91. Oppoſita cur reſolvatur illæſa vulnerata. 206. Vulnerata quomodo reſolvatur, & oppoſita convellatur. Vide Convulſionis.

Partes omnes noſtri corporis molliſſimæ ſunt & humidiſſimæ, à principiis generationis, ſed calor progreſſu temporis ſuperfluam humiditatem abſumit. 15.

Paulus Ægineta conſulit, ut reponantur articuli luxati cum ulcere, & reprobatur. 434. Quomodo facta oſſis repoſitione tractet partem vulneratam. 67. 68.

Perforatio calvariæ neceſſaria eſt, quando rima anguſta totum os penetrat. 237. In capite magis timenda, quam ſectio. 183. Quando facienda. 266. Vide Oſſis, & Terebratio.

Pericardii vulnerati ſigna. 379.

Peritonæum cum peritonæo non agglutinatur. 412.

Pharmaci exhibendi tempus in vulneribus capitis. 356.

Pinguia cavenda ſunt in vulneribus nervorum, nervo exiſtente denudato. 41. 42.

Potio Judæi ad vulnera thoracis & fiſtulas. 399. Theodorici ad fracturas calvariæ. 282. Vulneraria præſtantiſſima in vulneribus thoracis. 399.

Potiones in pulmonum inflammatione. 455. Vulnerariæ calidæ reprobantur in fracturis calvariæ. 288. Vulnerariæ in vulneribus tenuium inteſtinorum. 420. Vulnerariæ in Vulneribus thoracis. 399.

Potionibus omnibus thoracis mel aut ſaccharum admiſcendum. 400.

Potus conveniens in ventriculi vulnerati inflammatione. 459. In vulneribus capitis. 333. In vulneribus inteſtinorum. 422.

Præſagia inflammationum ſupervenientium vulneribus. 443. &c. Vulnerum capitis ex colore oſſis. 198. Ex delirio. 199. Ex dignitate partis. 183. Ex diſpoſitione vulneris. 200. Ex diverſitate oſſis. 188. &c. Ex dolore capitis. 197. Ex febre. 194. Ex lingua. 199. Ex membrana. 191. Ex natura contentarum partium oblæſarum. ibid. Ex natura oſſis. 186. Ex qualitate fracturæ oſſis. ibid. Ex ſymptomatis conſequentibus. 192. Ex vomitu. 198. Vulnerum abdominis. 402. Vulnerum articulo-

rum. 430. Cum oſſis fractura. 54. Cum veneno. 103. Genarum. 362. Nervorum. 13. Oculorum. 356. Spinalis medullæ. 371. Thoracis. 382.

Pulmonis inflammatio à vulnere plerumque lethalis, & cur. 444. Inflammatio à vulnere quomodo procuranda. 454. Vulnus ſi ab inflammatione præſervetur, neque ſit in penitiore ejus ſubſtantia, ſed potius in fibrarum extremitatibus, non pauci ſervantur. 385. Vulnerati inflammati ſigna. 440.

Pulmones vulnerati ſi phlegmonis ſævitiam effugiant plerique in hecticam & phthiſin tranſeunt. 445.

Pulmonum vulnera magna lethalia. 384. Vulneratorum præſagia. ibidem. Vulneratorum ſigna. 380.

Pulvis pyrius non eſt venenatus. 468.

Pulveres cephalici dicti, oſſe detecto ſano, quia os ſua natura ſiccum eſt, & pauca nativa humiditate præditum, quotidie impoſiti, magis abſumunt humiditatem nativam ipſius oſſis, ut tandem calori naturali oſſis deficiat ſubjectum, & ita os illud emoritur & abſcedit. Si vero os ſit demortuum, ad actum non reducuntur, unde non videtur congruus eorum uſus. 316.

Puncta in facie auferenda ſunt ante quartam. 363.

Punctura nervi cæca. Vide Nervus.

Purgans medicamentum ab inflammata parte nihil poteſt detrahere. 349. Medicamentum etiam ſelectivè competit in vulneribus capitis, antequam tamen facta ſit inflammatio. ibid. 357. Pharmacum competit in inflammatione internarum partium capitis, non tamen facta inflammatione. 448.

Purgantia idonea in vulneribus capitis. 347. 352. Quem locum habeant in vulneribus thoracis. 397.

Purgatio habet magnam vim revellendi à capite. 348. per inferiorem alvum multis nominibus convenit in vulneribus capitis, ex Hippocrate, Galeno & Avicenna. 342. 343. Reprobatur à quibusdam. 344.

Pus corrumpit oſſa, niſi ſit concluſum. 319.

Pyrius pulvis innocue ingeritur. 468. Non eſt venenatus, quoniam ejus componentia non ſunt venenata. ibid.

R.

RAdulæ. Vide Scalpra.
Regiones & urbes, in quibus capitis vulnera ſunt magis aut minus lethalia. 204.
Renum inflammatio à vulnere periculoſa. 442 447. Vulnera, quoniam carneam ſubſtantiam habent, niſi ad interiorem cavitatem penetrent, ex ſua natura ſanari poſſunt. Si cavitatem penetrent, propter aſſiduam urinæ percolationem raro coaleſcunt, & citam etiam mortem inferre ſolent. 409 Vulneratorum indicia. 404. Vulneratorum inflammationis curatio. 462. Vulneratorum inflammationis ſigna. 442.
Repellentia in inflammatione veſicæ. 463. In inflammatione vulneratorum renum. 462. In ventriculi vulnerati inflammatione. 456. In vulneribus oculorum. 359.
Repoſitio partis vulneratæ cum oſſis fractura. 91.
Reſolutio cur comitetur interdum ictus capitis. 129. Vide Convulſionis.
Revellentia in vulneribus genarum. 364. In vulneribus thoracis. 397. Potius uſurpanda in vulneribus ſpinalis medullæ, quam repellentia. 372. Præter purgationem & venæ ſectionem convenientia in capitis vulneribus. 354.
Revulſiones eædem conveniunt in vulneribus ſpinalis medullæ, quæ in vulneribus cerebri. 371.
Rhaſis quomodo procuret vulnus cum oſſis fractura, facta oſſis repoſitione. 69.
Rima cæca periculoſiſſima, quia latet. 192. Calvariæ, quid ſit. 114. Cur periculoſa, etiamſi non penetret. 187 188. Deletur oſſis abraſione. 235. Eſt periculoſior ſede teli. 187. In oſſe capitis non penetrans delenda, ne ſanies in ea collecta os inficiat ac membranam. 234 Latens quomodo cognoſcatur. Vide Fractura. Longius excurrens quomodo tractanda. 242. Patens minus periculoſa. 187. Penetrans totum os quomodo tractanda. 237. Poteſt contrahi in parte, quæ ictum non recipit. 114 Quælibet non habet conjunctam contuſionem. 115.
Rimæ in altera parte à vulnerata exiſtentis indicia. 157. In interiori parte cranii indicia. 161.

Rimarum differentiæ. 114.
In Rimis quot in locis ſit perforandum os, quando perforatione opus ſit. 262.
Riſus cauſa in vulneribus diaphragmatis. 441.

S.

SAnguis concretus ſub calvaria exiſtens non ſemper ſuppuratione, aut abſterſione, quæ fit beneficio medicamentorum, tollendus, ſed interdum manuali opere, ut quamprimum deoneretur membrana, quando videlicet tanta eſt ejus quantitas, ut prava ſymptomata inferat. 304. Effuſus ſub calvaria, quibus ſignis cognoſcatur, an contineatur intra cerebri ſubſtantiam, vel potius ad membranas. 170. In vulneribus capitis ante inflammationem unde mittendus. 340. In vulneribus capitis partitis vicibus extrahendus. 341. In vulneribus capitis, quando mittendus. 340. In vulneribus capitis, quando ſupervenit inflammatio, unde mittendus. 447.
Sanguinis collecti ſub oſſe capitis indicia. 169. In profluvio ex membranis fugienda cruſtifica & emplaſtica, atque adſtringentia admovenda, ita tamen, ut caveantur fœtida, & alio inſigni odore prædita, & inſignem aliquam qualitatem habentia, & nimis ponderoſa. 315. Miſſio parca convenit in vulneribus ſimplicibus, niſi plethoricum fuerit corpus. 6. Mittendi quantitatem in vulneribus capitis, quæ determinent. 341. Profluvium ex membranis cerebri, quomodo & quibus medicamentis cohibeatur. 315.
Sanguini concreto ſub calvaria exiſtenti, denudata jam membrana, quomodo conſulendum. 304.
Sanguinem concretum in thorace fundentia. 391.
Scalpri abraſorii uſus. 261.
Scalpra abraſoria. 237. Exciſoria. 240. 256. Lenticulata. 240. Minus tuta. 256.
Scarificationes in vulneribus venenatis. 105.
Scopi propoſiti in curatione vulnerum venenatorum. 104. Vide Indicationes.
Sectio, denudandæ calvariæ gratia, ubi illa vitanda. 229. 230. In capite fugienda ad extrema vulneris, & ubi os læſionem majo-

majorem habere ex telo ſuſpicio fuerit. 229. In capite fugienda in ſuturis. 228. In capite minus timenda quam perforatio. 183. In capite reprobatur, quæ fit in modum crucis. 228. In capite vulneris ampliandi gratia quomodo facienda. ibid. In fronte non eſt facienda tranſverſim. 230.

Sedes teli quid. 118. Non penetrans tota delenda. 243. Penetrans quomodo tractanda. ibid.

In Sede teli quot in locis ſit perforandum os. ibid.

Senſus & motus cur amittantur in cerebri concuſſione & commotione. 172.

Signum maximum ſecuritatis in vulneribus capitis cum detectione membranæ. 205.

Signa bona in vulneribus capitis. 201. Fractæ calvariæ. 127. Vide Fracturæ. Fracti oſſis ſub cute integra. 321. Lethalia in vulneribus capitis. 193. Partium vulneratarum. Vide unamquamque partem ſuo loco.

Simplicis vulneris in carnoſa parte procuratio. 5.

Simplicia vulnera intra quartam coëunt, niſi erratum fuerit commiſſum. 6.

Simplicium vulnerum victus. ibid.

Simplicibus vulneribus non convenit purgatio, niſi valde cacochymum fuerit corpus. ibid.

Sinapiſmi in vulneribus capitis ut conficiendi. 448.

Situs eligendus in vulneribus articulorum. 435. In vulneribus capitis. 329. In vulneribus cum oſſis fractura eſt, in quo morari diutius poteſt pars, & qui ei minimum doloris afferat, & in quo nervi, muſculi, venæ & arteriæ quam rectiſſime maneant. 91. In vulneribus thoracis. 393.

Solutionis tempus in denudatione membranæ abſque labe. 298. In denudatione membranæ cum labe. 301. In vulneribus abdominis. 421. In vulneribus articulorum. 436. In vulneribus capitis cum oſſis denudatione. 226. In vulneribus capitis ſimplicibus. 221. In vulneribus cum oſſis fractura. 93. In vulneribus nervorum. 44. In vulneribus oculorum. 358. In vulneribus thoracis. 392.

In Solutione prima vulnerum cum oſſis fractura cautio. 95.

Somnus immoderatus replet caput vaporibus & humiditatibus. 337. In vulneribus capitis ſtatim a cibo vitandus, ut qui nimis caput repleat vaporibus. ibidem. Moderatus convenit vulneratis capite, diurnus non, niſi nocte vigilarint. ibidem.
Sopor in vulneribus capitis peſſimus. 193.
Soporis vulnera cerebri comitantis cauſæ. 129.
Specillum pro rimanda calvariæ fractura qualenam eligendum. 143. Si nequeat ingredi cavitatem in vulnere thoracis, & tamen ſuſpicemur de penetratione vulneris, quid agendum. 378.
Specilli immiſſio vulnus abdominis penetrans detegit. 402. Immiſſione aſſequi poſſumus calvariæ fracturam. 143. Immiſſione aſſequi poſſumus penetrationem vulneris thoracis. 378. In immiſſione in thoracis cavitatem, quæ obſervanda, ne decipiamur. ibid. In uſu quæ obſervanda, in calvariæ fractura rimanda. 143.
Sphacelus cerebri lethalis omnino. 199.
Spinalis medulla vulnerata quæ medicamenta, & quem victum expoſcat. 372.
Spinalis medullæ vulnera afferunt reſolutionem incurabilem. 371. 372. Vulnera ex quibus innoteſcant. ibid. Vulnera non ſunt leviora iis, quæ fiunt in cerebro. ibid. Vulnerum præſagia. 370.
Spinalem medullam conſolantes inunctiones in ejus vulneribus. 372.
Spinali medulla vulnerata, eædem evacuationes & revulſiones conveniunt, quæ in vulnere cerebri. 371.
Splenia quomodo deliganda. 85.
Spleniorum in uſu cautio. 98. Qualitas. 85. Uſus in vulneribus cum oſſis fractura facta repoſitione & deligatione. ibidem.
Suctus in vulneribus venenatis quantam vim habeat, etiamſi non fiat a Pſyllis, & qua ratione fiat. 105.
Suendi inteſtini ratio. 419. Peritonæi modus. 414.
Sulphuris uſus in aſthmate. 394. 440. In vulneribus nervorum. 26.
Superfaſciationes convenientes poſt ſpleniorum appoſitionem in vulneribus cum oſſis fractura. 86.
Suppuratio poteſt mortem inferre dupliciter, aut ſcilicet confertim ob nimiam ſanguinis profuſionem, aut proceſſu temporis ſuffo-

ſuffocando, aut ad tabem ducendo. 396. Quando ſequatur thoracis vulnera. 395. 396.
Surditas in vulneribus capitis peſſima. 193. 194.
Sutura peritonæi quomodo adminiſtranda. 414.
Sutura quando reperitur in vulnere, eſt in cauſa, ut vulnus ſit magis periculoſum. 190.
Sutura oblæſa os perforare oportet utraque ex parte ſuturæ. 241.
in Sutura fugienda eſt terebratio. ibid. 273.
Suturæ faciunt ad imbecillitatem oſſis, & quo plures erunt & rariores, eo magis. 136. In calvaria quæ, & quem uſum præbeant. ibid. Interdum pereunt. ibid. Quando pereant. ibidem.
Suturarum apertio ad rimam reducitur. 241. Diſpoſitio quando varietur. 136 Ligamentorum contuſio quomodo innoteſcat. 159.
Symptomata arguunt veneficam qualitatem, quando magnitudini vulneris proportione non reſpondent. 488. Lethalia vulneribus capitis ſupervenientia. 193. Quando ſuperveniant ex commotione cerebri. ibidem. 174. Vide Signa. Similia iis, quæ proveniunt ab interna affectione, accidere ſolent ab externo eryſipelate capitis, & quomodo diſtinguantur. 175.
Symptomatum malorum vulneribus capitis accidentium cauſæ quomodo diſtinguendæ. 173. Quæ fracturas cranii ſequi ſolent, cauſæ. 128. Quæ ſequuntur vulnera bellico fulmine inflicta, cauſæ. 489.

T.

T*Elorum* conſideratio quomodo faciat ad cognitionem fracturæ calvariæ. 126. 142.
Tempus excidendi oſſis. 266. Futuræ ſalutis aut mortis in vulneribus capitis. 205.
Tendo ſi totus ſit præciſus, nullus ſubeſt metus convulſionis, verum partis motus oblæditur. 13.
Tendinum vulnera non inducunt adeo ſævos dolores, ut nervorum. 12. Nonnihil a malitia vulnerum nervorum recedunt. 20. Potiſſimum lædunt motum. 13.
Terebra non eſt admovenda oſſi, quod membranam comprimit. 248. Non eſt admovenda ſuturis. 275.
Terebræ abaptiſtæ ſeu inemergibiles. 258. Abraſoriæ, & earum uſus. 257. Exciſoriæ. 256. Non ſerratæ, ſed potius exciſoriæ tutiſ-

tutiſſimæ. 259. Qua ratione reddantur inemergibiles. ibidem. Quibus utimur ad os excidendum ſeu perforandum, quomodo fiant inemergibiles. 258. Serratæ, & earum uſus. 239.

Terebrarum rectus uſus. 269. Varia forma. 257. Terebrandi ratio. 268.

Terebrare oportet in læſione ſuturarum utraque ex parte ſuturæ. 275.

Terebratio convenit, quando rima anguſta totum os penetrat. 237. Cur in fracturis calvariæ ſit neceſſaria. 285. Unica non ſufficit in læſione ſuturarum. 275. Unica non ſufficit in qualibet fractura, & cur. 274.

Theodorici curatio in fracturis calvariæ. 282.

Thoracis cavitatem penetrantia vulnera omnia periculoſa, cum materia contenta adhuc magis periculoſa, periculoſiſſima, ſi quæ ex contentis partibus fuerint convulneratæ. 382. Cavitatem penetrantium vulnerum ſigna. 377. In cavitate exiſtentis materiæ ſigna. 381. In penetrantibus vulneribus cum læſione contentarum partium non ſunt inſtillanda medicamenta ad internas partes. 394. In penetrantibus vulneribus cum materia contenta fugienda tuſſis. 393. In penetrantibus vulneribus ſi contineri materiam ſuſpicemur, per tres circiter dies vulneris orificium conſervandum eſt patens; & ſi interea nulla ſe prodant indicia contentæ materiæ, occludendum erit vulnus. 387. In penetrantibus vulneribus, ſi illæſæ fuerint contentæ partes, quæ medicamenta conveniant; nec non & ſi materia non contineatur in cavitate thoracis. 388. In vulneribus cavenda eſt vehemens inſpiratio, ſuſpiria, clamor, imo locutio, aëris injuriæ & vomitus. 401. In vulneribus ſuppurationem fieri, aut factam eſſe, quæ indicent. 395. Penetrantia vulnera cum læſione contentarum partium quomodo procuranda. 391. Penetrantia vulnera, cum materia contenta, quomodo tractanda. 388. Penetrantibus vulneribus an conveniant injectiones ſeu lotiones. 390. Penetrantibus vulneribus an conveniat perforatio inter quartam & quintam coſtam affecti lateris, ſi materia contineatur in cavitate thoracis. 391. Vulnus non ſanandum, ſed conſervandum apertum, quamdiu materia continetur in thorace. 389. Vulnera non penetrantia in anteriore parte, & a lateribus, ex ſe periculo vacant: in poſtica non item, propter partes nobiles ibi contentas.

tas. 382. Vulnera non penetrantia, niſi una vulnerata ſit aliqua ex internis partibus, aut materia intra thoracis cavitatem contineatur, quamprimum concludenda, ut externi aëris ingreſſus prohibeatur. 386. Vulnera non penetrantia non ſanantur prompte propter continuum thoracis motum; & ſi coſta aliqua fuerit oblæſa, periculum eſt, ne remaneat ulcus fiſtuloſum. 382. Vulnera quando ſequatur ſuppuratio. 395. 387.

Thoracem penetrantia vulnera quomodo cognoſcantur immiſſione candelæ aut ſpecilli, & quæ obſervanda ſint in eorum immiſſione. 378.

Thorace vulneratus ſi a vehementi tuſſi infeſtetur, & læſa ſit aliqua internarum partium, in maximo periculo eſt conſtitutus. 395.

Timor fugiendus eſt a venenatis capite, nam eo virtus dejicitur, calor ad interna ſe recipit, externaque deſerit; unde quæ ad vulnera attinent non corriguntur, vaporeſque elevantur ad caput. 337.

Tracheæ arteriæ in vulneribus lambitiva permittenda, ut ſenſim liquefacta deſcendant, confertim enim deglutita ad œſophagum pervenirent. Præterea cavendum, ne largius deſcendant, tuſſim enim excitarent. 376. In vulneribus quæ medicamenta requirantur. 374. Vulnera, quoniam ipſa exanguis eſt, & in continuo motu ob reſpirationem & deglutitionem, ſi magna ſint, ſunt lethalia; ſi parva, curationem recipiunt. ibid. Vulnerum curatio. ibidem. Vulnerum ſigna. 369.

Tracheæ arteriæ vulneribus tuſſis inimica. 376. Vulneratæ cum deperditione ſubſtantiæ quibus ſuccurrendum. 376.

Trachea arteria vulnerata intra thoracis cavitatem, omnino lethale eſt. 386. Vulnerata ore continenda quæ agglutinandi vim habeant, ut ſint liquabilia. 375.

Trepana abraſoria. 238. Vide Terebræ.

Tubulus neceſſarius in vulneribus thoracis. 389. Quando detrahendus. 395.

Tuſſis cavenda in vulneribus thoracis. 393. 401. Inimica eſt vulneribus tracheæ arteriæ. 376.

Tumores apparentes boni, ſi molles ſint, crudi enim mali. 20. Apparentes ſi repente deliteſcant citra manifeſtam cauſam, malum. 19. Si in vulneribus non appareant, malum. 18.

V.

VEna cava, aut arteria magna vulnerata, brevi, vel etiam momento mors ſequitur, ob nimiam ſanguinis profuſionem. 405.

Venæ cavæ vulnera omnino lethalia, imo ſtatim nimia ſanguinis profuſio mortem adfert. 382. Cavæ vulneratæ indicia. ibid. Sectio maxime neceſſaria in vulneribus capitis. 341. Vide Sanguis miſſio.

Venarum jugularium vulneratarum ſigna. 370.

Venenum peculiari natura hoc habet, ut cor petat, & ejus nativum calorem corrumpat. 480. Si jam ad penitiores partes penetraverit, non eſt nimis affligenda pars, ſed toti cura adhibenda. 109. Subſtantiam noſtri corporis deſtruit. 480.

Venenum evocantia in vulneribus venenatis. 105. Evocantium in uſu cautio. 107.

Veneno evicto in venenato vulnere quid agendum. 109.

Venena alia a tota ſubſtantia ſunt deleteria, alia vero qualitate manifeſta. 481. A manifeſta qualitate deleteria extrinſecus appoſita non interimunt. ibidem. Tota ſubſtantia deleteria extrinſecus applicata interimunt. 482.

Venenorum differentiæ. 481.

Venenata vulnera ſemper magna ratione facultatis. 102. Vide vulnera venenata.

Ventriculus fere in continuo eſt motu in re cibi. 407. Vomitu quam primum inaniendus, & antequam mittatur ſanguis in vulnere magno capitis, ſi præceſſerit crapula. 340.

Ventriculi inflammatio a vulnere periculoſa, parvo tamen exiſtente vulnere ſanari ſolet. 445. Inflammatio a vulnere quomodo procuranda. 425. Oris inflammatio omnino lethalis. 445. Oris vulnus etiamſi eſſet ad manus, non eſſet conſuendum, propter exquiſitum partis ſenſum. 428. Oris vulnera deplorata. 407. Oris vulnera trahunt in conſenſum cor & cerebrum. ibid. Vulnus ad manus exiſtens conſuendum. 425. Vulnera cum deperditione ſubſtantiæ quomodo tractanda. ibid. Vulnera cum deperditione ſubſtantiæ rariſſime curationem recipiunt. 408. Vulnera non parvam utilitatem recipiunt ab ingeſtis; cavendum tamen, ne copia aſſumptorum gravetur ventriculus. 425. Vulnera ſi exigua ſint, & in fundo, ſanari poſſunt. 407 408. Vulnera, ſi ſola externa tunica ſit vulnerata, quoniam carnoſa eſt, minus habent periculi, & ſanari

nari poſſunt: Si vero utraque tunica ſit vulnerata, periculoſiſſima ſunt. 407. Vulnerati inflammati indicia. 440. Vulnerati ſigna. 403.

Ventriculo vulnerato an dilatandum abdomen, ut vulnus conſuatur. 425. Vulnerato inflammato pauca, ſed ſæpius, exhibentur. 459.

Venulæ ſub calvaria disruptæ indicia. 169.

Venula ſub calvaria disrupta, quomodo aſſequi poſſimus, quo in loco disrupta ſit. 170.

Vertigo cur ictus capitis, ex quibus os frangitur, conſequatur. 128. 129

Veſicæ inflammatio valdè timenda eſt propter actionis neceſſitatem, doloris acerbitatem, & conſenſum nervoſarum partium. 447. Vulnera in parte exangui inſanabilia, niſi valde exigua ſint, quia nervoſa eſt, tenuis & exanguis. 409. Vulnera quæ agglutinari poſſint. 410. Vulneratæ indicia. 404. Vulneratæ inflammationis indicia. 442.

Veſicantia in inflammatione internarum partium capitis ex quibus conficiantur. 449.

Veſicantium in præparatione cautio. 450.

Victus conveniens in capitis vulneribus. 332. In hepatis & lienis vulneribus. 425. In inteſtinorum vulneribus, 421. In nervorum vulneribus. 46. In oculorum vulneribus. 357. In ſimplicibus vulneribus. 6. In ſimplicibus vulneribus capitis. 219. In ſpinalis medullæ vulneribus. 372. In thoracis vulneribus cum læſione contentarum partium. 397. In vulneribus cum oſſis fractura. 93. Craſſus reprobatur in vulneribus capitis, quoniam ſub eo generatur copioſior ſanguis, & fit fluxilis, & in caput repit. 331. Quando incraſſandus. 332.

Vigiliæ moderatæ conveniunt vulneratis capite, immoderatæ enim totum corpus calefaciunt, & cerebrum, ac ſpiritus agitant. 337.

Vinum conveniens, pro madefactione ſpleniorum in vulneribus cum multiplici oſſis fractura, debet eſſe nigrum & auſterum, non tamen nimis. 97. Nec in ſimplicibus quidem vulneribus competit. 6. Præcipue potens caput ferit, & propterea fugiendum in vulneribus capitis. 331. Tenue in vulneribus cum oſſis fractura in penitioris ulceris partes penetrat, & ſi ſit nimis auſterum, adſtringendo & contrahendo vulneratam partem non mediocres infert dolores. 97.

Viſcerum natura curam habet, & ob id eorum vulneribus non ſunt inſtillanda medicamenta. 394.
Vnguentum Conciliatoris ad fracturas calvariæ. 281.
Vnguenta ad vulnera nervorum. 33. Ad vulnera venenata. 107.
Vomitus circa ſeptimam, ſeu decimam, vel decimam quartam adveniens in vulneribus capitis, malus eſt, fit enim affecto ventriculo lege conſortii ; niſi occaſione tertianæ febris , aut aliqua alia manifeſta cauſa evenerit 198. Et quæ vomitum faciunt fugienda ſnnt in vulneribus capitis. 354. Qua de cauſa ſequatur ictus capitis, ex quibus os frangitur. 130.
Vreterum vulnera inſanabilia propter continuam urinæ percolationem, quæ ad cavitatem thoracis illabitur, & proinde hydrops inſanabilis ſuccedit. 410.
Vteri inflammatio & propter dolorem vires proſternit, & propter conſenſum partium præcipuarum maxime periculoſa. 447. Vulnera peciculoſa propter conſenſum præcipuarum partium ; ſi tamen inflammatio prohibeatur, ſperari poteſt ſalus. 410. Vulnera quomodo tractanda. 429. Vulnerati inflammatio quæ menſes promoveant non requirit. 463. Vulnerati inflammatio reſolventia poſtulat fortiora, quam ſi in externis partibur eſſet inflammatio. 464. Vulnerati inflammationis curatio. 463. Vulnerati inflammationis ſigna. Vulnerati ſigna. 405.
Vulnus capitis nullum contemnendum. 112. Vide Capitis. Capitis quando amplius reddendum ſectione adhibita. 145. Vide fractura. Cum fractura oſſis in ipſo articulo, vel prope articulum, caſus eſt difficillimus. 55. Cum fractura oſſis prope caput, periculoſius. ibid. Cum fractura, ſi præterea adſint oſſis fruſtula, quæ ſentientes partes pungant, periculoſius eſt. ibid. Cum oſſis colliſione. Vide Colliſio. Cum rima in oſſe. Vide Rima. Cum ſede teli. Vide Sedes teli. Facta reductione oſſis, quomodo procurandum, antequam deligatio adhibeatur. 83. Facta reductione oſſis, quomodo tractandum ex Hippocrate. 68. 70. Facta reductione oſſis quomodo tractandum revera ſit & deligandum. 67. 71. Facta reductione oſſis quomodo tractandum, ſecundum aliorum ſententiam, quæ reprobatur. 70. In femore & humero cum oſſis exitu, periculoſiſſimum ; ſi enim fiat reſtitutio, pauci vel nulli evadunt. 54. Quod alias parvum foret, ob pravam aëris

aeris conſtitutionem eſt magnum. 489. Simplex capitis quomodo tractandum. 214. Venenatum quomodo & quibus medicamentis curandum. 104. &c.

Vulneris capitis diſpoſitio quando os abſceſſurum eſt. 200. Capitis ſtatus innoteſcit ex affluente pure, dolore, & aliis ſuperfluitatibus, urinaque ac pulſu; etiamſi non detegatur vulnus. 329. Cavi in capite cum oſſis denudatione procutatio. 223. Cavi in capite proruratio. ibid. Cavi in carnoſa tantum parte procuratio, ut paretur idoneus effluxus in eo. 6. Color pravus, ut pallidus, vel ſubflavus, & carnium lotarum ſimilis aut lividus. 200. Cum oſſis fractura. Vide Oſſis. Cum oſſis fractura cur iis facile accidat convulſio, ſi oſſa reducantur, poſtquam inflammari cœperint. 53. Cum oſſis fractura præſagia. ibid, Cum oſſis fractura procuratio. 49. Cum oſſis fractura, quæ totum os non corripiat, curatio. 62. Cum oſſis fractura, quouſque protrahenda ſolutio. 93. Vide Solutionis. Cum oſſis fractura ſecundum totam ſubſtantiam. 63. Muſculi temporalis procuratio. 218. Simplicis procuratio. 5. Vide Simplicis. Venenati curatio. 103. Venenati differentiæ. 102. Venenati præſagia. 103. Venenati ſigna. 102.

à *Vulnere* in capite parum aut nihil emanare à principio, malum. 200.

in *Vulnere* cum oſſis fractura quid agendum ſi reductio non fuerit facta à principio. 65. Cum oſſis fractura quid agendum revera. ibid. Cum oſſis fractura, repoſitione facta, quid agendum, ſeu quomodo tractanda ſit pars, ex aliorum ſententia. 67. Cum oſſis fractura reducendi modus. 63. Cum oſſis fractura ſi fiat reductio poſt ſecundam diem, prædicenda convulſio. 56. Cum oſſis fractura transacto inflammationis tempore, tentanda reductio, ſi quæ fuerit ejus ſpes. 65. Cum oſſis fractura vitanda ſunt medicamenta actu frigida, rigores enim febriles inducunt, & interdum etiam convulſionem 97. Venenato mox inflicto optimum conſilium eſt, antequam venenum intro repat, partem vulneratam paulo ſupra vulnus arcte devincire, & ſi vulnus eſſet in digito, & venenum ex peſſimis, etiam digitus præmiſſo prognoſtico eſſet amputandus. 109. 110 Venenato, ſi teli portio fuerit intus relicta, omni ſtudio adhibito extrahenda, aliter omnia remedia forent irrita. 111.

Vulnera

Vulnera cum fractura oſſis ad ſuturas periculoſisſima, & cur. 190. In occipite & poſt aures minus periculoſa. ibid. In ſincipite cum oſsis læſione ſunt periculoſiora, quam in alia quavis parte, dempto ſuturarum loco, & cur. 189. Membranarum & Cerebri. Vide Membranarum & Cerebri. Nervorum. Vide Nervorum. Oculorum. vide Oculorum, & ſic de reliquis partibus. Perenni motu agitata denuo lacerantur. 401. Sclopo inflicta non eſſe ambuſta pluribus rationibus comprobatur. 467. Sclopo inflicta non eſſe ambuſta una irrefragabili ratione convincitur. 478. Sclopo inflicta non eſſe venenata pluribus rationibus adſtruitur. 468. Sclopo inflicta non ſunt venenata veneno à tota ſubſtantia deleterio. 482. Sclopo inflicta non ſunt venenata veneno qualitate manifeſta exitioſo, videlicet calida. 482. Venenata ſemper magna. 103.

Vulnerum capitis ariditas ſeu tabes, ut carnis ſalitæ ſimilitudinem gerat, ſaniesque tenuis, aut nimis craſſa & viſcida ac fœtens, mala. 200 Cum oſsis fractura quando inſignis oſsis portio abſceſſura eſt, procuratio, & quousque differenda ſolutio. 95. Simplicium capitis curatio. 214.

Vulneribus capitis plurimum nocuus eſt aër. 334 Sclopo inflictis duo ſcopi propoſiti. 492. Sclopo inflictis quæcurxndi ratio cōveniat. 490

in Vulneribus capitis cum detectione membranæ maximum ſecuritatis ſignum. 203. Capitis lethale eſt ſi obmuteſcentia, obcæcatio, ſurditas, coma vel lethargus & caros, atque apoplexia, quæ ab ictu ſupervenerunt, perſeverent, vel imminuta redeant, vel non prægreſſa ſuperveniant. 193. Capitis non eſt pronuncianda certa ſalus ante diem quadrageſimum. 202. Capitis quæ bonum eventum ſignificent. ibid. Capitis qui cibi ſint exhibendi, & à quibus ſit abſtinendum. 331. Capitis qui potus conveniat. 333. Sclopo inflictis quæ corruptionem inhibeant. 490. Sclopo inflictis quæ ſuppurationem promoveant. 492.

Vulnerariæ potiones in vulneribus thoracis. 399.

Vulnerati capite debent cavere alvi ſtypticitatem. 342 &c. Coitum, lactis emulctionem, ſi fuerit mulier ablactans. 338. Immodicos animi affectus, præſertim iram & timorem. ibid. Luminoſum aërem. 336. Omnem motum tam animi quam corporis ibid. Somnum meridianum, niſi noctu vigilaverit, & immodicum, & immodicas vigilias. & ſomnum ſtatim à cibo. ibid. Strepitus & fragores, odoreſque caput replentes. 338.

Vulneratis capite quies convenit & animi & corporis. 336.

F I N I S.